BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
10 A
15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13. 16 c. 15

13. f. c. 78.

35 / 6

35

Digitized by Google

CONRADI RITTERSHVSII IVRISCONSVLTI,

PARTITIONES IVRIS FEVDALIS,

in duos libros tributæ.

PRÆFIXA EST EIVSDEM Oratio de IMP. FRIDER. I.

Cum PRÆFATIONE CL. V. D. Huberti Giphanii, *S. Cæſar. Maieſtat. à Conſiliis aulicis Imperii.*

SVBIECTO RERVM ET VERBORVM Indice copioſiſſimo.



HANOVIÆ

Sumptibus Guilielmi Antonii, & P. Egenolphi,

MDCIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REVERENDISSIMO

ILLVSTRISSIMOQVE

Principi ac Domino, D. Henrico Iulio, Poſtul. Epiſcopo Halberſtadienſi, Duci Brunſwic. & Luneburg. Acad. Iuliæ, quæ eſt Helmæſtadii, primo ac pp. Rectori, Domino ſuo clementiſſimo & Mæcenati benigniſs.

S. D.

PARTITIONES FEVDALES iſtas Illuſtriſſime ac clementiſs. Princeps, amicorũ rogatu edere paranti, & de patrono, quem ipſis pro more paſſim recepto conciliarem diſpicienti, inter alia hoc quoq; in mentem mihi veniebat; *Honeſtum eſſe, cui multum debeas, eidem plus etiam debere velle.* Ea cogitatio ad Reuerend. Celſit. tuam rectâ ſtatim me quaſi manu deducebat, vt tibi potiſſimũ iſtud quicquid eſt opuſculi inſcribere, & tantum patronũ tantillo huic meo fœtui cooptare auderem, qui ei defenſioné, ſicubi res poſceret, præſtare & vellet & poſſet. Quũ .n. ante hac dedicationem operis muſei & Philologi tàm gratam à me habueris, vt *Oppiani de Venatione & Piſcatu* aurea omnium eruditorum conſenſu iam olim

habita carmina à me recenſita, & ſub Illuſtriſs. Tuo nomine in lucem reproducta, aureâ tui vultus effigie, aliiſque inſuper tanti doni acceſſionibus, quaſi id ſolum declarandæ Clementiſſimæ tuæ erga me affectioni parum ſufficiens eſſet, adeò liberaliter remuneranda iudicaris (quo nomine plurimum tuæ Celſitudini me debere, & aliàs ſæpè inter amicos & nunc publicè grato animo & ore profiteor) bona me ſpes habet, eandem, ne hoc quidem IVRIDICVM OPVS, quod ſub Illuſtriſſimi nominis tui auſpiciis in lucem prodit, ingratum habituram, neque aſpernaturam eſſe hominem, qui multum debens tuæ Celſitudini, plus pluſque debere, nec priora beneficia ingrato callidove animo diſſimulare cupiat. Sic igitur primùm tua Celſit. hanc inſcriptionem à me velim accipiat. Deinde tametſi ipſe, Princeps Illuſtriſſime, nihil aut perparum ex huius libri lectione haurire queas noui (quippe quem ſciunt omnes qui litteras ſciunt, cùm in omni genere ſcientiarum, quæ Principe laudatiſſimo dignæ ſunt, tùm in iure quoque & Ciuili & Feudiſtico tàm egregiè verſatum eſſe, vt cum quouis præſtantiſſimo Iuriſconſulto non dicam paria facere, ſed & vincere poſſis non paucos) tametſi quoque omnibus ſuis numeris abſolutum non eſſe hoc opuſculum, vt in Academiâ mihi natum, ingenuè fateor: Tamen aliquis fortaſſe fructus inde poterit redũdare (& vt redundet, opto voueoque) ad Illuſtriſſimam ſobolem tuam: n quâ familiam ducit natu maximus Celſit.

tuæ

tuæ filius DN. FRID. HVLDERICVS, ipſo nomine bis amabilis, & magnæ expectationis adoleſcens: Cui, vt & fratribus, Inclytis generoſiſſimæque indolis Principib. quamquam non deſunt ſui, abs te ſapientiſſimo arbitro atque æſtimatore ingeniorum, electi additique magiſtri & Ephori, à quibus teneræ ipſorum mentes ad omnem virtutis doctrinęque tam diuinæ quàm humanæ laudem formētur, vt ipſis talia & multò etiam meliora domi (quod aiunt) naſcantur, nec noſtris hiſce præceptis admodum egere videātur: Tamen nihil, vt opinor, nocuerit, aliquando etiam ad ea deflectere oculum, quæ vel tuæ Celſit. vel ipſis offeruntur ab aliis, vnde ſi nihil aliud, at certè conſenſum animaduertant eorum, quæ alii alibi docent, cum illis quæ ipſi à ſuis magiſtris accipiunt, tantoq; proinde plus fidei eis adiungant. Τὸ γὰρ ἀληθὲς ἓν καὶ σύμφωνον, καὶ αὐτῷ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα, ait ille. Equidem in hoc toto Feudalium partitionum opere, etſi formam & quaſi veſtem nouam huic virgini, (ſiuo Matrona eſt,) circūdare & aptare nō neglexi; tamen ſtudio ſemper habuiſſe memini, τοῖς τῶν παλαιῶν ζηλώμασιν ἐμμένειν, ὅπερ γενναίων εἶναι ἀνδρῶν, neſcio quis veterū referēte Suidâ veriſſimè pronuntiauit. Si quando autem fui hallucinatus, opera dabitur vt olim δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι κατ' Εὐριπίδην appareant, vbi προθυμοτέρους hosce conatus non prorſus diſplicuiſſe intellexero, cùm aliis, tùm maximè tibi, Princeps Clementiſſ. quo nemo alius poterit facilè exactius ac melius, nemo volet incorruptius ac beni-

gnius iudicare. Ne pluribus tuam Celſit. morer, atque vel imprudens in publica commoda peccem, hîc tempeſtiuè deſino in voto perpetuæ & florentiſſimæ felicitatis tuæ, & Illuſtriſs. coniugis ac prolis, nec non & beatæ pacis populorum, quos à Deo opt. max. tuæ ditioni ſubiectos æquiſſimis imperiis & ſapientiſſimis arbitriis gubernas. Vale. Altorfii in Academia Noriberg. Menſe Martio, An. CIↃ.IↃ.CIII.

Reuer. T. Celſit.

Deditiſſ.

CONRADVS
RITTERSHVSIVS.

HVBER-

HVBERTVS GIPHANIVS IVRISCONS. CONRADO RITterſhuſio, Iuris Doctori & Anteceſſori Clariſs.

S. D.

ETSI, *Vir Clariſs. multorum de* Feudis, *tam veterũ, quàm recentiorum, quos inter duo in Germania noſtra vt ita dicam* ἀμαξιαῖοι, *qui* πάντα ὑπὸ μίαν μύκωνον *modò pronati extant cõmentarii; non poſſum tamen tuum improbare conſilium, qui* Partitiones de feudis *tuas diuulgare velis. Eas enim dupondiis noſtris accommodaſſe te puto: vt Ciceronẽ* Rhetoricas *ſuas filio Marco, etiam tum adoleſcentulo ſeu puero potius. Sed non ſatis video cauſam cur eum tu indicẽ libro tuo ſumpſeris. In Cicerone patet ratio. Sed, vt dixi, laudo conſilium & inſtitutum tuum. Scio enim ea quæ in omni ſcriptione &* συντάξει *requiruntur, optimè a te præſtari poſſe. Quæ autem ea ſint, velim pauliſper ad ea exponenda digredi, vt alii quoque videant ea te in hoc Commentario & ſecutum & aſſecutum eſſe. Sed perincommodè accidit, vt eo ipſo ferè tempore, quo litteras tuas accepi, in grauem morbum reciderem: qui etiam nunc in lectulo, licet leuior iam factus, me detinet: Vt tamen voluntati tuæ morem gererem, qui mihi es chariſſimus:*

quædam puero dictare volui, eaq; licet inchoata & imperfecta ad te mittere.

Duo omninò, Vir Clariſs. ſcriptionum genera eſſe videntur: Vnum, quo noſtra explicamus ac memoriæ mandamus: Alterum, quo aliena explanamus. Quæ duo genera & Galen. explanat in 3. Epidem. Hippocr. diſtinguit: Ἄλλη μὲν γὰρ ἐστιν ἡ διδάσκουσα τὰ πράγματα διδασκαλία κατὰ διέξοδον ἀκριβῶς γινομένη· Διαφέρουσα δ' αὐτῆς ἡ κατὰ τὰς ἐξηγήσεις τῶν συγγραμμάτων ἐν ταυτῷ ἑκατέρα τὸ προκείμενον ἔχουσα. *Hoc vulgò Commentarii licet non ſatis recte, veteres Explanationis nomine appellant: Illud vulgo in iure ferè* Tractatus *vocant, licèt item non ſatis rectè. Sed omiſſis verbis, aliisque actibus, de re ipſa, & Iuris ac ciuili ſcientia, videamus. De altero quoque genere, quod in explanandis aliorum ſcriptis eſt poſitum,* ἄλλος *erit* λόγος. *Vtrunque genus tractarunt quidem & veteres Iuriſconſulti: vt, prius, in libris* Inſtitutionum, Pandectar. Digeſtor. Quæſtion. Reſponſor. Sententiarum, Opinion. Dot. Fideicommiſſ. &c. *Alterum in libris* ad Edictum, ad Sabin. ad leges XII. Tabularum. *Sunt & recentiorum tam Accurſianorum quàm doctorum & politorum hominum in vtroq; genere ſcripta innumerabilia. Verũ in vtroq; genere quæ ſint tenenda ac ſeruanda ſcriptori ſcilicet, vel Interpreti ſiue Explanatori: quàmq; in vtroq; à multis variè peccatum ſit, longum eſſet hic explicare.*

Quare omiſſo iam explanationum genere, de altero breuiter explicemus. Non poſſum tamen quin Antonii Vaccæ docti ICti, de vitiis ſuorũ populariũ in illo ἑρμηνευτικῷ *genere, breuiter & verè adfert,*

hîc

Google

hicquoq; exponam: Neſcio, (*inquit, in Epiſtola ad Alex. Farneſium*) quo fato factum ſit, vt veram docendi atq; interpretandi rationem paulatim amiſerimus: dum vel ambitione atque oſtentatione: vel Germanæ veræq; doctrinæ inopiâ ſuperuacuas quæſtiones inculcant: de rebus impertinentibus & non neceſſariis, nec ſuis locis, diſputant: auctoritati ſuorum plus quam rationi tribuunt: quæ breuiter dici poſſunt, magno verborum apparatu atq; anfractu aguntur: quod propoſitum eſt, atque vbi interpretatio maxime deſideratur, id ne attingitur quidem: vbi non deſideratur, ibi magno conatu intenditur: interpretum commenta magis quam leges ipſas enarrant: tum mutuis velut telis ſeſe ac vulneribus conficere ſtudent: ſacra prophana; diuina, humana docendo commiſcentur: nihil diſtincte ab originis aut ſimplicitatis ſuæ cognitione repetitum traditur. Denique id vnum agi videtur, vt magno labore, magnaque temporis & pretii librorum iactura, nihil ſcire doceamur. *Hæc ille. Quæ ſeptem barbarorum Interpretum vitia, quibus & alia accedunt, facile mihi eſſet multis exemplis demonſtrare; ſed de his & de vera explanationis ratione, aliàs Deo adiuuante diſſeretur.*

Quod ad prius συγγραμμάτων *ſiue* διδασκαλιῶν *& ſcriptionum genus attinet, requirit & illud ſuum ſingularem & vberem commentarium; eius tamen ſumma capita ſatis erit hîc attingere. Omninò autem quatuor in omni iuſta ſcriptione neceſſaria mihi eſſe videntur,* Oratio *ſiue* Elocutio (ἑρμηνεία) *pura & elegans:* Diſpoſitio *ſiue* Ordo rei [illegible]

datus: Res ipſa: & Ratio rei docendæ & confirmandæ, quam τρόπον ἐπιστήμης. *Princeps Philoſophorum vocare mihi videtur, eosq; iure & merito reprehēdit, qui rem ipſam, & rationem hanc, ſimul quærunt.* Ἄτοπον, *inquit*, ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην, καὶ τρόπον ἐπιστήμης, *lib. 4. minore, plane extremo. idem extremo libro De partib. animant.* Τρόπον τῆς μεθόδου *vocat. Videtur & Plato in Cratyl.* τρόπον τῆς διδασκαλίας *appellare.*

Ergo de ſermonis ſiue orationis puritate & proprietate, non eſt dubiū quin ea & hoc maximè efficiat, vt oratio vel ſermo ſit planior ac dilucidior: quæ profectò prima & ſumma eſt virtus elocutionis. Quare & Quintilianus Iuriſconſultorū ſummum circa verborum proprietatem laborē eſſe ſcribit, libr. 5. in fin. Quo magis deploranda eſt huius ſæculi ratio, quo, qui ne Latine quidem rectè norunt, tamen magnos & ponderoſos de Iure cōmentarios diuulgare non verentur. Vir omnium laudum cumulatiſſimus, *inquit, de Petro Bellino Menochius, & de Cuiacio idem,* Vir omnium, *inquit,* laudum digniſſimus: *idemque de Connano,* Doctè, *inquit,* ac omnium melius doctiſſ. Franc. Connanus. *alios omitto. Verum de puritate plura ſi quis requirat, videat Galenum in lib. De ordine librorum ſuorum extremo. Cum autem purum & dilucidum ſermonem laudamus, non probamus eorum ſectam qui hodie plus operæ in verbis, quam in rebus collocant. Præclarè Galenus:* τῶν ὀνομάτων περιέργεια μετὰ τῆς τῶν πραγμάτων ἀμελείας ἤρξατο. *Eleganter Quintil. lib.* 8. Curam, *inquit*, verborum rerum volo eſſe ſollicitudinem. *Illud tamen vetus oraculum quod Plutarchus adfert in comment. de*

Iſide

Iſide & Oſyride, meminiſſe ſemper oportet, Eos qui rerum vocabula non curent rectè intelligere, in rebus quoque ipſis facilè errare. *Præter puritatem, (cui contraria barbaries & inquinatus ſermo, abuſio quoq; & nouatio verborum) etiam ipſa eloquentiæ oſtentatio & verborum copia, non minus cauenda eſt. Oratio Iuriſconſ. elegans, preſſa & ſubtilis eſſe debet. id quod Cicero non vno in loco indicat.* Facilè, (*inquit ad Iuriſconſ. Seruiū*) cedo tuorum ſcriptorum ſubtilitati & elegantiæ. *Quo in genere ex relatis Iuriſconſ. in Pandectas excellunt Alfenus, Iulianus, & Paulus. Quare & qui vel eloquentiam hîc oſtentant, vel grauitatem verborū ſectantur, vel longâ atq; diffuſâ oratione iura tractant, veram ſcribendam rationem & viam ignorare mihi videntur. Quod vitium in Caſcellio videtur notare Pomponius, quod idem in multis hodie notari poteſt.*

Iam verò ad Diſpoſitionem ſiue ordinē ſcriptionis quod attinet, Caput hoc eſt grauiſſimum. Non tamen eſt huius loci laudes & vtilitates ordinis explicare, quas in Oeconomico diligenter expoſuit Xenophon. Ariſtoteles eo memoriam iuuari ſcribit. Ἔστι, *inquit,* εὐμνημόνευτα ὅσα τάξιν τινὰ ἔχει, *ſic & Cicero lib. 2. de Orat.* Ordinē eſſe maximè, qui memoriæ lumen adferret. *Theophraſtus auguſtum quid eſſe ſcribit Ordinem, & comprehenſionem ſeu Definitionē.* ἐν τοῖς τιμιωτάτοις *eſſe* τὴν τάξιν, καὶ τὸ ὡρίσθαι. *Non eſt quoq; inſtituti ſermonis, genera Ordinum explicare, de quibus hodie maxime laborant Medici, Galenum ſecuti, in libro De arte medendi. Tantum, Monita quædam ſiue Præcepta: & contrà Vitia quædam Interpp. Iuris Accur-*

ſianorum indicabimus. Diſtinguit Galenus hac in re tres, vt vocat, διδασκαλίας, ſiue Diſpoſitiones: Vnam Analyticam: Alteram Syntheticam: Tertiam, Horiſticam ſiue Definitionis. Quæ tamen trimembris, Collocationis diſtinctio, nec aliis multis viris doctis placet, & mihi noua videtur. Sed ea diſputatione alium in locum ac tempus reiecta, Monita illa exponamus. Prius tamen id quoq; admonendum, Iuriſconſultos veteres in iure tractando, magnam habuiſſe Ordinis rationem. Compoſitio tot Edictorum ab Iuliano in vnum librum congeſta, quanti fuit iudicii & artis? Sic Tribunianus in Pandectis, quarum confuſionem multi reprehendunt, rectè diſponendis magnâ diligentia eſt vſus, vt alibi demonſtratum. In aliis quoq; & ſingulis eorundem Iuriſconſultorum ſcriptis, ordinis curam videre licet. Vlp. in l. 3. §. vlt. de recept. qui arbitr. &c. Tractemus, *inquit*, de perſonis arbitrantium. *Et poſt ea Paulus ſub eod. tit. l. 32.* De officio, *inquit*, arbitri ſciendum eſt, &c. *Ita de reſtit. minor. 25. annis Vlp.* Nunc, *inquit*, videndum, qui in integrum reſtituere poſſint, *l. 16. in cauſa, §. vltim. D. de minor. 25. annis. Sic & de op. no. nunt. idem Vlp. tractans*, Nunc videamus, *inquit*, quibus ex cauſis fiat nuntiatio: quibusq; nũtietur: in quib. locis fiat nuntiatio: & quis effectus ſit Nuntiationis, *l. 1. §. 9. nunc videamus: De operis no. nunt. Idem de hæreditatis petitione agens:* Nunc, *inquit*, videamus, quæ veniant in hæreditatis petitione. *l. 18. item videndum, §. vltim. de hæredit. petit. Idem & de actione commodati diſputans:* Nunc, *inquit*, videndum eſt, quid veniat in commodati actione. *Sic & de actione quod certo*

loco: Nunc, inquit, de Officio Iudicis huius actionis loquendum eſt. l. 2. §. vltim. de eo quod certo loco. Ita & Mar. Cicero de numeris oratoriis diſputaturus, principio totam Collocationem quatuor partibus circumſcribit. Primum, inquit, Origo, deinde Cauſa, poſt Natura, tum ad extremum; Vſus ipſe explicetur orationis apta atq; numeroſa. Ex aliis quoq; veteribus ſcriptoribus facile eſſet exempla proferre.

Sed nunc Monita quædam exponamus, in quibus hoc ſit primum, A primis ordiendum: ἀρκτέον πρῶτον ἀπὸ τῶν πρώτων, *inquit Ariſtoteles. Sed omnis difficultas in eo eſt, vt intelligatur, quid primum in Collocatione, quid ſecundum, &c. ſit. Videtur autem habenda ratio rei de qua agitur. nam ſi de Actione aliqua diſputandum ſit: certis ea res capitibus continetur, vt, quæ ſit origo Actionis, quæ eius cauſa, quibus ea & contra quos detur, etiamne hæredibus & contra hæredes, quid in eam veniat, quam diu duret, quis in ea & quemadmodum concipiendus ſit libellus, quid in ea probandum: quæ contra eam Exceptiones, quod Iudicis in ea ſit officium, & ſi qua ſunt alia. In rerum conſideratione, vt hæreditatis, dominii, vſusfructus, ſeruitutis, pignoris, feudi, alia erunt capita alioq; modo diſponenda. Idem dicendum de actionibus ſiue actibus, vt de matrimonio, tutela, vſucapione, teſtamento, contractibus, ac delictis. In quibus item alia erunt capita, aliterque collocanda. Sed hæc longum eſſet hic perſequi, quæ ſingularem commentarium requirunt.*

Habetur autem in collocatione interdum ratio non eius quod naturâ primum vel proximum, ſed

dignitatis,affinitatis,ſiue cognationis,& facilitatis: & hoc eſt quod Ariſt. ſcribit non ſemper ab eo quod primum quoad rem; ſed ab eo interdum quod ad faciliorem rei cognitionem; ſit vtilius, ordiendum eſſe, lib. 8. Metaph. Hinc quoq; eſt quod Tribunianus in plerisq; Pandectarum titulis longioribus ea quæ difficiliora ſunt in extremo tit. cõiecerit: quod idem & in Euclide diligenter ſeruatũ. Plato quoque à facilioribus & paruis ad maiora & difficiliora progrediendũ, in Sophiſta. Sic & Ariſt. lib. 1. De hiſtoria animant. Ea quæ longiore egent conſideratione & opere in extremum eſſe reiiciẽda. Tertium Stoicorum eſt præceptum, idq; & olim & hodie celeberrimum, quod tamen & ipſi eosq; ſecutus Cicero, multis in locis, ex Phædro Platonis ſumpſiſſe ſe dicunt, Omnem ſcilicet, quæ ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, à definitione debere proficiſci. *Sed Epicurus Dialectices alioquin imperitus, locum Platonis de verbi notione, rectè accepit, ipſo Cic. teſte lib. 2. De fin. quo loco & ipſe Cic. Platonẽ ita accipere videtur. Omnis, ait Cic. in quærendo, quæ via quadã & ratione habetur oratio, præſcribere primum debet, vt quibuſdam in formulis ea res agatur, vt, inter quos diſſeritur, conueniat, quid ſit id, de quo diſſeratur. Hoc poſitum in Phædro à Platone probauit Epicurus: ſenſitq; in omni diſputatione id fieri oportere: ſed quod proximũ fuit, non vidit. negat enim definiri rem placere: ſine quo fieri interdum non poteſt, vt inter eos, qui ambigunt, conueniat, quid ſit id, de quo agatur. Rectè igitur & Galen. quem vt ſummum non modo Medicum, ſed etiam Philoſophum, libenter & ſæpe laudo, lib. 4. περὶ σφυγμῶν. Quicunq;, inquit, Medici*

ac Philoſophi diſputationem aliquam grauem à definitione eſſentiali ordiuntur, quamuis eam rectè confecerint & dilucidè expoſuerint, obſcuri tamen vt ſint neceſſe eſt, nec intelligantur ab auditoribus, qui paucis verbis res multas breuiter comprehenſas aſſequi nequeant: prius enim multis verbis rerum eſſentia auditoribus ſunt explicanda, vt earum poſtea facta collectio paucisque verbis comprehenſa definitio, & intelligatur facilius, & credatur. Plato enim & in Phædro & in Theage id voluit; In omni diſputatione præſcribendum primò quid ſit id de quo diſſeratur, id eſt, vt ſi multa eiuſdem verbi ſunt notiones, illa principio indicanda & ponenda, quæ de tota ſit futura diſputatio ſiue ſcriptio. Ἀνάγκη γὰρ τὴν διάνοιαν ἀορίστως ἔχειν, ἄν τις τοῦ διῃρημένου πολλαχῶς, ὡς ἀδιαιρέτῳ χρῆται· ἄδηλον γὰρ κατὰ ποίαν φύσιν αὐτοῦ συμβαίνει τὸ λεχθέν: *vt ſummus ait Philoſophiæ doctor: qui & id diligenter ſeruauit vt lib.* 1. *de Cælo, cap.* 9. *diſputans de cælo ſeu Mundo, quem Græci* οὐρανὸν *vocant, ſitne vnus an plures: prius verbi* οὐρανοῦ *tres notiones diſtinguit, & quæ ex iis propria ſit totius Commentarii ac Diſputationis, dilucidè & ante omnia exponit. Sic & cap.* 11. *contra Platonem diſtinguit notiones verbi Græci* ἀγέννητον. *Verùm hoc ſiue Vitiũ ſiue Principium & Monitũ ita iam olim inoleuit et doctis viris, vt & in Pandectis Tribun. à definitione, vbi poteſt, Titulum ſiue Tractatum exordiatur, vt videre eſt in* l.1.de legibus, l.1.de in ius vocando.l.1.de pact.l.1.de proc.l.1.de dolo malo.l.1.de tut.l.1.de capite minutis,&c. *Nec poſſit hæc opinio animis hominum facile euelli. Illud quidẽ magnus ille Medico-*

rum Tranquillus, concedit, vt notione verbi explicata & iis quæ ad eſſentiam rei pertinent præmunitis, adiungatur Definitio, velut memoriæ cauſa. Sed præmunitionibus illis omiſſis, ſtatim exponere Definitionẽ ſeu λόγον τῆς οὐσίας, *præpoſterum eſſe, vere teſtatur ac demonſtrat, vt modo dictum. Ad diſpoſitionem ſiue collocationem pertinet & hoc Monitum ſeu Præceptum,* Suo quidq; loco eſſe tractandum, nec omnia omnibus in locis congerenda, quædam vno loco attingenda tantum, quæ vt alio & ſuo plene & copioſe explicentur. *Ita Ariſt. in lib. De ſenſu:* δεῖ μὲν οὖν διορίζειν περὶ τούτων ἐν τῇ περὶ γενέσεως· νῦν δ᾽ ὅσον ἀναγκαῖον ἅψασθαι αὐτῷ. *& ipſe Plato in Timæo Interprete Cicerone: Reliquorum, inquit, Siderum quæ cauſa collocandi fuerit, quæq; eorum ſit collocatio: in ſermonem alium differendum eſt: Ne in eo, quod attingendum fuit, quam in eo, cuius cauſa id attigimus, longior ponatur oratio. Hoc præceptum qui non obſeruant, ſemper quidem confuſè rem tractant: Sæpè autem & in hæc vitia incurrunt, Vt vel eadem multis in locis inculcent atque iterent: Vel dum alienis immorantur, eaque perſequuntur diligentius, ſua & inſtituti ſermonis propria leuiter attingant. De his eleganter Tertullianus libr. 2. De pœnitentia:* Ita, *inquit*, euenit, vt, cum aliquid vbi non oportet, adhibetur, illic vbi oportet, negligatur. *Quod vitium & in magno Iuriſconſulto noſtræ ætatis ſæpe notari poteſt, & in omnibus fere reſponſis Accurſianorum Interpp. patet. Iterationis illud vitium Chryſippo familiare eſſe ſcribit Galen. libr. 2. cap. 2. de Decret. Hippocr. & Plat. qui non modò bis, terve, ſed quater interdum aut quinquies de ea-*

dem

dem re in aliis atq; aliis libris diſputet. quod idem & de iiſdem Stoicis commemorat, nec tamen improbat Cicero libr.5.Tuſc.quæſt.Geometræ,inquit, cum aliquid docere volunt ſi quid ad eam rem pertinet eorum,quæ ante docuerunt, id ſumunt pro cõceſſo & probato: illud modo explicant de quo nihil ſcriptum eſt. Philoſophi quamcunq; rem habent in manibus,in eam quæ cõueniunt, congerunt omnia, etſi alio loco diſputata ſunt.

De Confuſione Accurſianorum *Interpp. multæ doctorum hominum extant querelæ & inprimis Duareni: qui de eo vitio egregiè explicat in Epiſtola ad Guillartum. & eleganter de eodem Muretus:orat.17. & ante eos Taxequetius orat.2. Libet exẽpli cauſa breuiter quædã adferre. Paul. in l.1.D. de adquir.poſſeſ.ſcribit* bello capta fieri capientium,*arrepta verbi*,bello,*occaſione verboſe illi diſputant,quodnam iuſtum ſit bellum, Menoch.lib.6.de præſumpt.cap.69.diſputans,poſſidentem habere pro ſe præſumptionem,excurrit in commoda poſſeſſionis: eaque* XXIV. *multis verbis explicat. & libr.5.præſumpt.1.diſputans, quemq; præſumi eſſe bonum,digreditur in eam Philoſoph. quæſtionem*, vtrum quis natura ſit bonus an malus. *Idem in magno volumine ſuo De arbitrariis,vt loquitur, Iudicum, expoſito breuiter, quod quidem erat eius loci, & tamen a Iure eſt alienum, Pœnas eſſe arbitrarias, magnam partem eius voluminis conſumit in explicandis generibus pœnarum, quæque ſingulorum delictorum ſint propria. Riminaldus ad §.1. Inſtitution. de donat. de militibus verboſe tractat.Bartol.ad l.3 §.1. de operis no.nunt.*

eumq; & alii ſecuti eiuſdem notæ Interpp. quos iure eo nomine reprehendit Zaſius, De Concurſu Remediorum Iuris ordinariorũ & extraordinariorũ alieno planè loco multa congerit. Ludol. Schrad. de feudis facta mẽtione Tutorum, excurrit in ea quæ à tutoribus prius præſtari debeant quam ad adminiſtrationẽ admittantur. ex quibus tamen duo adfert falſa, Decretũ Prætoris, & generalem de defendendo promiſſionẽ, verbosè perſequitur: adeo vt iuſtus liber ea capere non poſſit. Sed infinitum eſſet hæc perſequi.

Ad hoc autẽ vitium, & illud de alienis & ſuperuacaneis, ſæpe etiam falſis auctoritatibus ſiue Allegationibus pertinet. De quo iam olim cõqueſtus eſt Conrad. Summenhartius *in lib. de contractibus, cuius verba, quia liber nõ eſt in omnium manibus, non erit alienũ hîc adſcribere:* Vt quid enim etiã, inquit, apud Iurium Profeſſores, tanta tamque inundans ſuper vna re, etiã aliquãdo vulgatiſſima, fit iuriũ allegatio: quorũ etiam pleraq; cum à caſu ipſo diſtantiſſima ſint, eundẽ minimè attingunt, atq; adeo cum à longinquo reſpiciunt: vt plus vtilitatis de papiro atq; ingenio abſumãt, quàm vtilitatis ad eundem caſum decidendum adferant. Vtilius quidem longè foret quæ tam longinquum & fere inanem habent reſpectum reſcindere, & vnũ vel duo ſolida atq; ſtringẽtia adducere Iura, & ſuperfluis cõcordãtiis omiſſis, diutius radici deciſionis immorari. *De eodẽ vitio cum alii multi, in quibus & Iacob. Toming. & ipſe Gail, tum egregie Zaſius lib. 2. Singul. Reſponſ. cap. 1. nu. 25. Nec te moueat, lector, inquit, quod me*

in Do-

In Doctorib. allegandis non inuoluo, vt nunc hunc, nunc illum cite, quemadmodũ nouitii Leguleii ſolam inaniter occupantes, facere aſſueuerunt, oſtentatione quam vtilitatẽ magis conſiderantes, &c. quaſi pulchrum ſit, ſi intus & in tergo plena ſint omnia Bartol. Baldor. Imolar. Raph. Paul. Iaſ. Alex. Salicet. aliorũq; id genus Doctorũ. Nam ſi eos ad omne verbum citari neceſſe ſit, quis erit finis? Cum Doctores ſuper Doctores magno ingeniorum prouentu creſcant. Miſera certe ſuperſtitio: imo nugoſa vanitas. De falſis autem & temerariis eorundem Interpp. Allegationib. volumine ſit opus, ſi eas vel exponere velis. Vnum vel alterũ exempli cauſa: Præſumi pro poſſidente probat Menoch. ex l. circa. de probat. & l. liberis, §. vlt. de liberali cauſa, in quib. tamen legib. nihil tale. Ius offerendi dotem marito competere, Gail. ait eſſe textum, vt & alias ſæpe in l. mutus, §. manente. de iure dot. & l. ſed etſi. ſol. matr. *in quibus ne vola quidem aut veſtigium eius rei extat. Mynſing. conſ. 41. nu. 13 adfert Ferrarienſem, vt probet ius Pontificium cum de peccato vel periculo animæ agitur in vſu ſeruandũ, & Cæſareo præferendum. Ferrarienſis autem perſpicuè contrarium docet in forma reſponſ. rei conu. in verbo Præſcriptionis. nu. 28. Idem cent. 5. obſ. 84. ſcribit ſe exemplum Mandati Procuratorii, quo quis conſtituatur omnium cauſarum, & no vnius duntaxat cauſæ Procurator, repperiſſe apud Ciceronem in eius Epiſtola quam totam allegat, quæ tamen Epiſtola plane barbara & Cicerone indigna, apud eum nuſquam extat. Eodem nomine acriter*

Alciatum reprehendit Cuiacius ad l.134. D. de verbor. obligat. qui & idem notat in Reſponſis vulgarium Interpp. in Epiſtola ad librum Conſultationum: quibus, inquit, ſæpe falſos locos notare, pudori non eſt. Et ſane in hoc ſcriptionum genere hæc duo vitia alienorum inculcatio, & allegationum multitudo ac falſitas maxime graſſantur: vnde & immania illa & ponderoſa volumina atque farragines quotidie ſuccreſcunt. In quibus familiam apud nos ducere videntur Ludouic. Schrader. & Henric. Roſenthal. *quorum hic ingentem Commentarium de feudis diuulgauit, eumque tamen* Synopſin *non veretur appellare: Ille, non minorem edidit. Vtrique ſi cum alienis detrahas Allegationes, Summaria & Indices, iuſtos propè Commentarios reddideris.*

Celebratur & hoc præceptum, Communia plerunque priore loco, propria poſteriore eſſe tractanda. de quo ita Ariſt. Phyſ. Acroaſeos. ὧδ᾽ ἂν ἡμεῖς γε λέγωμεν, *&c. Primum, inquit, de omni ſiue cõmuni generatione diſputemus: eſt. n. naturæ conſentaneum, communia primùm explicare, atq; ita ad propria & ſingula conſideranda progredi. Quam rationem & viam & in præclaro ſuo opere De animantibus perſequendam eſſe docet: alioqui, inquit, initio lib. 1. De membr. ſeu partibus animantium, ſi propria & ſingularia prius explicentur, futurum eſt vt multa ſæpe iterentur & inculcentur. Quod certe & Plinio accidit, eò quod hanc* ὁδὸν *Ariſtot. non ſecutus eſt. Videntur & ipſi Iuriſconſulti veteres hac in re peccaſſe. Etſi. n. & hoc præceptum non ignorarũt, eosq; Tribun. ſecutus, in Pand. & Cod. etiam in Inſt. generales*

nerales titulos ſpecialib. præpoſuit: vt in Pand. titulum de ſtatu hominis *duobus proximis: vt tit.* de in int. reſt. *tit. prox.* quod metus cauſa, &c. *& aliis V. ſeqq. vt tit.* de Iudic. *innumerabilibus ſeqq. vt tit.* de ſeruitut. *tit. prox.* de ſeruit. præd. vrban. *& tit. ſeq.* ruſtic. *vt tit.* de tut. *cui ſubiungit tit. ſpeciales* de teſtam. tutela & legit. tutor. de tutor. & curatoribus datis: *vt tit.* de leg. *cui ſubiungit ſpeciales aliquot: vt* de ann. legat. de vſu & vſufr. de ſeruit. leg. *&c. vt tit.* de bono. poſſ. *cui ſubiungit ſpeciales*, ſi tabulæ teſt. extabunt, *&c. Sæpe tamẽ immemores huius præcepti cõmunia in propriis & ſpecialib. inculcant, vt furioſum nõ poſſe mutuo dare vel accipere, non poſſe locare, emere aut vẽdere, &c. Sic quod ſatis erat ſemel dixiſſe cõmuniter de omni in rem actione, id illi repetunt in ſingulis in rem actionibus eas non dari poſſeſſori, ſed contra poſſeſſorem, vt videre eſt in* l. 9. regulariter. de hær. petit. l. 9. officium. de rei vind. l. vlt. de pub. in rem act. l. 16. ſi fundus, de pign. *Illud autẽ multo quis mirari poſſit magis, quod in Pand. & Cod. Tribunianus quoſdam tit. generales ſubiecerit ſpecialibus, vt tit.* com. prædior. *tit.* vrban. & ruſtic. prædiorum, *vt tit.* de oblig. & act. *generalem ſeu communem, tit. prioribus propriis & ſpecialibus innumerabilibus vt tit.* C. communia vtriuſque iudicii, *& tit.* communia de legat. *Sed eius collocationis ratio & cauſa alibi à nobis eſt expoſita. nam & alias propria ſeu minus cõmunia vel ob præſtantiam, vel quia ſint ſubliora & nobis notiora, vt cum Ariſt. prius de animant quam περὶ φυτῶν, ſiue de iis quæ è terra edũtur, vel quia proxime antegreſſis ſint propria & co-*

gnata, ita Ariſt. primo De arte dicendi: Rhetorica, argumenta priore loco propria, poſteriore cõmunia tractat. Theſſalus olim eiusq́; hæres poſtumus P. Ramus *in hoc præcepto mirè ſe iactant, & hanc vnam, vt loquuntur, Methodum appellant, quorum ea eſt* ἀπαιδευσία *vt omnes etiam ſcientias in communibus tantum præceptis hærere & habitare debere putent, tantumq́; ſuas* κοινότητα: *& communitates crepant, id quod in Practicis potiſſimum ſcientiis perabſurdum.* Ἡ γὰρ πρᾶξις περὶ τὰ καθ᾽ ἕκαστα. *Quare in iis ſcientiis nõ vniuersè ſeu communiter omnia tractanda, ſed ad ſingula progrediendum, quibus communia conſentanea eſſe debent: in his enim practicis ſcientiis, vt in ſcientia ciuili, in arte medendi,* λόγοι, οἱ μὲν καθόλου κενώτεροί εἰσιν· οἱ δὲ ἐπὶ μέρους ἀληθινώτεροι, *vt ait Ariſt. lib. 2. Ethic. cap. 7. idemq́; iterat libr. 6. cap. 7. in fin. Sic & alibi* κενοὺς *vocat* τοὺς λόγους καθόλου. *vt lib. 2. De generat. animant. cap. vlt. vbi* τὸ δὲ κενὸν δοκεῖ μὲν εἶναί τι; ἔστι δ᾽ οὐθέν. *& alibi eos ſcribit* κενολογεῖν. *Hoc vitium & in Platone notat interdum Ariſtoteles. & in Stoicis etiam poeta Horatius:* Cum ventum ad verum eſt mores & vita repugnat.

Quod etſi & Accurſiani ipſi viderunt, qui inter Brocardica ſua & hoc habent, Specialia magis afficere, vt loquũtur, quàm generalia, argum. l. 2. C. de ſeruo pign. dato. *de quo & Prateus in lib. de Reg. gener. Iide nihilominus omnia ad cõmunes & generales Regulas reuocare conãtur: quarũ poſtea innumerabiles exceptiones ſiue limitationes & ſublimitationes, vt vocãt ipſi, adferũt: qua peſte nulla maior in hac iuris ſcientia eſſe poteſt. Magni ingenii & artis, inquit Franc. Bald. in docẽdo eſſe creditur, ex*

ſingulis Pandectarum thematibus atq; adeo hypotheſibus regulam aliquam generalem elicere. Ego vero valde vereor, ne hæc Interpp audacia potius quã ars ingenioſa Iuriſprudentiam penè totam corruperit. ita Balduin. Ita & Duar. præclarus Iuriſc. multis in locis in eade Brocardica inuehitur: vt ad l. .§. ſi ſtipulanti. de verb. obligat. Non eo id dico, *inquit*, quod has theſes omnino contemnam, ſed quod in eis colligendis ac tradendis modum adhiberi velim: quem in Scholaſticis DD. à quibus corrupta eſt mirum in modum his nugis, ac prope deleta Iuriſprudẽtia, deſidero. *Et ad l. 30. talis & 31. in fi de leg lib. 1.* Illa, *inquit*, Regula Brocardica, Clauſulam in medio poſitam ad omnia referri tam antecedentia quam ſequentia, falſiſſima eſt: vt ceteræ eiuſmodi quos iſti Brocardici fabrefecerunt. *Quod Regnum Burcardicum ſiue Brocardicum ſi pragmaticis indoctis auferas, muti erunt in Conſiliis: eorũ enim prudentia nõ vera iuris ſcientiæ fundamenta communia hæc dicta ſiue ... eſſe certum eſt, vt ait Cuiacius in Epiſtola ad librum Conſultation. de quibus & conqueritur Iac. Curt. ad fratrẽ libr. 1. c. 6. vt alios omittam. Sed de his dabitur, vt ſpero, alius diſſerẽdi locus: Vt de contrario huic Vitio, quo in minima quæq; ſecãt, & ſingulatim omnia enumerare, ac plane σμικρολογεῖν ſolet: atq; arte iuris, quæ vt omnes aliæ finita eſſe debet, infinitam reddiderunt, hoc eſt, ex arte, inertiã. Pauca tamẽ (& hoc exẽpli cauſa) hic libet exponere. Regula cõmeti ſunt,* Exceptiones perẽptorias nõ poſſe opponi ante litis cõteſtationẽ: *Cui⁹ limitationes Philip Canon. adfert 45. Delẽda potius erat ipſa Regula, vtpote falſiſſima, l. 2. C. ſent. reſc.*

l.9.C.de praeſ.long.l.8. C.de exc. Fabricarunt idem regulam, omnem orationẽ de primo actu intelligendam.*cuius reg.exceptiones Tiraquel.exponit 316. Et aliam Reg.Citationem partis in quolibet actu requiri,cuius limitationes adfert Gabriel. 124. apud quem id genus* σμικρολογίαι καὶ περατολογίαι, *vt in diuiſionibus Bartoli,extant. Priuilegia dotis, Vincentius Palaeotus adfert* 100. *Bartolinus* 186. *Doli praeſumptiones Maſcardus* 119. *Lucas à Penna* 223. *Socinus caſus cõgeſſit* 82. *quib. non ſit neceſſaria litis conteſtatio: cum ne vnũ quidem iudiciũ ſine ea reperiatur, loquor de iudicio primo. Calic. in Margar. fiſci collegit* 418. *caſus, quib. bona fiſco applicentur. Menoch. Remedia poſſeſſoria facit* 32. *Maranta* 29. *cum tamen reuera ſint tria tantum*: Interdictum, Actio, & Exceptio. *de iis Remediis adfert quaeſtiones* 798. *vt de dote Campeſius* 490. *& de lucro dotis Ruland.* 111. *Vt de equo, ſiue vt ille librũ ſuum inſcribit, de equo* 550. *Bonacoſſa. vt Caſtald. de Imper.* 110. *quarum in vltimam coniecit caſus* 330. *Sed ohe iam ſatis eſt!*

Reliqua ſunt duo maximi momenti capita: Vnum, de rebus ipſis. Alterum, de ratione & modo earum & conſtituendarũ & confirmãdarum. In quibus tota iuris ſcientia eſt poſita, Graeci ἐπιστήμην καὶ τέχνην ἐπιστήμης *appellare videntur. Sed eorũ explicationem ob inualetudinẽ in aliud tẽpus reiicere cogor.*

Nunc ad te redeo, mi Rittershuſi: *De quo non dubito quin diligenter in his* Partitionibus *tuis, quatuor illa capita obſeruaris. Orationis enim tuae Genus noui, dilucidum, purum, & facile: non amas neque ſpinoſum dicendi genus, neque Battologum,*

gum, non μακρὸν λόγον τῶ Σιμωνίδυ. *Argumento ſit vel vnus Oppianus tuus, ex quo etiam ſemidoctus (quamquam & tuis in eum Poetam præclaris Notis detrahi à quibuſdam intelligo) facilè videre poſſit, quæ in te vis ſit vtriusque ſermonis. Quamquam in hoc argumento nouo & ſingulari, neceſſe eſt ſæpè & licet* βαρβαρίζειν ἐν τοῖς βαρβάροις. *Ordinem ac Diſpoſitionem libenter ex Indiculo ad me miſſo cognoui. Agis de Iure in rem, quod* Feudum *vocant, non abſimile Emphyteuſi: certe & ſimilius, quam Iuri vſusfructus ſi noſtram ætatem ſpectes, quæ feuda nõ cum perſonis, vt vſusfructus, extinguuntur, ſed etiam ad heredes vel agnatos pertinent. Omnia autem Iura in rem non videntur meliori ordine deſcribi poſſe, quàm vt ipſa quæ ſint, quamque vtilitatem poſſidenti adferãt primo explicetur; deinde, quemadmodum ea vel acquirantur vel amittantur. Poſtremò, de Remediis iuris, quibus ea vel vindicentur aut conſeruẽtur. Cuius ordinis veſtigia impreſſa videmus cum in libris Pand. vt diſtinctè in tractatione de vſufructu, & in tractat. de ſeruitut. prædior. itemque de pignor. tum in hoc erudito tuo Commentario: cuius prima in parte de iure ipſo feudi, licet in ſecũda paulò plenius ac diſtinctius; in altera, modi eius acquirẽdi & amittendi, in tertia remedia eius vindicandi ordine ac deinceps explicantur, a quo non longe abluſiſſe mihi videtur &* VVLTEIVS *noſter in accurato eius commentario* De feudis. *Quod ad rem ipſam, eiusque docendæ & confirmandæ rationem attinet, ſcio te à nouis & peruerſis opinionibus ſemper abhorruiſſe, non pompam & ſpeciem,*

ſed veritatem, ſolitamq́ Iuris ſcientiã perſecutum eſſe. Quare & in hoc tuo de feudis cõmentario, dubitari non debet, quin ea quæ vera iuris ſcientiæ ſunt conſentanea complexus fueris. Multa quidẽ hoc ius feudi habet ſingularia, quæq́ à iure veteri abhorreant, pleraq́ tamẽ ad principia Iuris reuocari poſſũt ab iis, quorũ in numero tu es, qui principia ea iuris recte iecerint. Ad opiniones Dd. quod multi factitant, ea reuocare, quã ſit incertũ, & periculi plenũ, ex ipſis opinionib. barbarorũ Interpp. cõmunib. perſpicue intelligitur: quibus ipſis nihil eſt incertius, nihil inſtabilius: adeo vt ſæpe ne inter ipſos quidem ſatis conſtet, quæ ſit communis, quæ cõmunior, quæ communiſſima. Noſti quoque, in diſputationibus Iuris, vt egregiè ait Sarmientus, non Doctorum auctoritatibus & opinionibus, ſed legibus & rationibus agendum eſſe: *idque & Matth. Weſembecius, licet alioqui his addictior, & fere dixerim homo opinioſiſſimus, tàm in Conſiliis quam in Paratitlis, tamen à veritate coactus, in epiſtola apud Hartman. Piſtorium, pronuntiat, Viros prudentes poſthac probatam & aſſertam, vt loquitur, veritatem potius, quàm falſas atque erraticas opiniones in Regno Iuſtitiæ ampleplexuros. Verùm dum de Opinionibus agimus, ſenſim & ad quartum caput delabimur: In quo quin te præclarè geſſeris, non dubito. Scio enim quo tu Præceptore in Dialecticis ſis vſus,* Philippo Scherbio *noſtro, ſummo & Philoſopho & Medico. Non igitur opiniones Imperitorum, vt magnus eas Iuriſconſ. appellat, communes; ſed rationum pondera & momenta: non nudas Iuris ſen-*

tentias

ſententias & præcepta, ſed eorum cauſas quoque & rationes in hoc tuo commentario es perſecutus. Diſtinxiſti argumenta leuia & nugatoria à grauibus atque ad ipſam rei cognitionem proxime pertinentibus, propriis & non alienis, quam diſtinctionem homines ἀπαίδευτοι ignorant: De quibus alio in loco Deo adiuuante.

Quare ſpero fore, totoque pectore opto, vt hic tuus inſignis Commentarius de Feudis, cum tibi honeſtus & glorioſus, tum Reipub. & ſtudioſis adoleſcentibus perutilis & gratus ſit. Vale vir amiciſſ. & ſalue. Pragæ 27. Martii 1603.

SERIES ET SVMMÆ CAPITVM TOTIVS OPERIS PARTITIONVM IVRIS FEVDALIS, hîc euidentiæ maioris ergô præmiſſa, & ſub vnum aſpectum propoſita.

PROLEGOMENA ad commendationem Feudorum, & de noua docendi ratione. PAGINA 41

PROOEMIVM continens encomium doctrinæ Feudalis, & Oeconomiam operis; aliaque preparatoria. 58.

PARTITIONVM FEVDALIVM
Liber primus.

CAP. I.

DE Origine Feudorum variæ ſententiæ referuntur & examinantur. De auctoribus & auctoritate horũ librorum, qui de Vſibus Feudorum inſcribuntur. De Feudorum Iure quæſtiones quædam generales & q. præliminares. De nomine & Etymo Feudi. De quibusdam verbis Feudalibus. Pagina 64.

CAP. II.

Negotia quædam Feudo ſimilia & cognata ab eodem diſcriminantur. De Allodiis vnde dicta. Vtrum in dubio res præſumatur feudalis an Allodialis. 79.

CAP. III.

Notæ ſeu proprietates Feudi. Definitio Feudi, eiusq; explicatio. Variarum definitionum inter ſe collatio. Quæſtiones item circa Definitionem moueri ſolitæ, maximeque de genere; Feudum ſitne contractus, an non ſit. 92.

CAP. IV.

Diuiſiones Feudorum præcipuæ 103.

CAP. V.

De Feudi ADQVISITIONE: & primò quidem de Perſonis, quæ feudum dare poſſint. 113.

CAP. VI.

De his qui Feudum accipere poſſint. 124.

CAP. VII.

De rebus in quibus feudum conſiſtat. 428.

CAP. VIII.

De Modis conſtituendi & acquirendi Feudum. Et primò quidem de INVESTITVRA, tàm Propria quàm Abuſiua: deque huius Symbolis ſiue ſolennibus ac ritib. Vbi eſt digreſſio in locum communem de horum in plerisq; omnib. maioris momenti negotiis interuentu. 137.

Cap. IX.

CAP. IX.

De illis quæ circa Inueſtituram conſiderari ſolent: vt Scriptura, teſtibus, tempore, loco, conditione, &c.

CAP. X.

De iureiurando fidelitatis, quod cum Inueſtitura coniunctum eſſe ſolet. Eius formulæ & ſingulorum capitum explicatio. 159.

CAP. XI.

De Pactis variis, quæ in Inueſtitura adiici & interuenire conſueuerunt, eorumque iure, viribus, & interpretatione. 173.

CAP. XII.

De SVCCESSIONE feudi: Vbi primum remouetur Teſtamentaria: Deinde Aſcendentium in linea recta 182.

CAP. XIII.

De ſucceſſione Deſcendentium, ſiue liberorum Vaſalli. Liberorum varia genera: & quinam ex his à ſucceſſione tanquam incapaces arceantur. 193.

CAP. XIIII.

De Fœminarum ſucceſſione in feudis regulariter nulla. 220.

CAP. XV.

Rurſum de liberis, qui ſuccedant in Feudis, vel non: Et Quæſtionum quarundam circa ſucceſſionem explicatio. 213.

CAP. XVI.

De SucceſſioneCollateralium: à qua primum remouetur cognati: deinde & iam Agnati in feudo nouo. Demonſtratur, Fratrum & Sororum filios ſolos inter ſe patruo vel auunculo ſuo ſuccedere debere in Capita, non in Stirpes. 213.

CAP. XVII.

De Ganerbinatu. Von Ganerben/vnd Ganerbſchafft. 254.

CAP. XVIII.

De PRÆSCRIPTIONE feudi. 263

CAP. XIX.

De aliis quibuſdam feudi conſtituendi modis. 282

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

Feudi conſtituti & acquiſiti IVS quale ſit: Et primùm quid Vaſallus debeat Seniori tàm belli quam pacis tempore. 285

CAP. II.

Quid & quatenus in feudo liceat Vaſallo vel non liceat: Vbi inter alia de ſubfeudatione & Refutatione feudi. 314

CAP. III.

De Alienatione feudi prohibita. De vàriis ſpecieb. alienationis: & quæ circa ſingulas quæri ſolent. 356

CAP. IV.

De Seniore ſeu Domino Feudi, primùm ad quid is viciſſim vaſallo teneatur: Deinde quid in Re feudali poſſit vel non poſſit. 374

CAP. V.

De AMISSIONE feudi: Et primùm de ea quæ contingit in perſona Vaſalli, ob eius culpam tàm commiſſionis, quàm omiſſionis circa perſonam ipſius Senioris; deinde in Res eius vel feudales vel alias: tùm circa perſonas eorũ, qui Senioris poteſtati vel affectioni ſubiecti ſunt: Deniq; circa extraneos. 385

CAP. VI.

Modos & cauſſas amittendi feudi culpoſas (vt ſic dicã) ſequũtur non culpoſæ. Hic quæſtiones aliquot de Amiſſione feudi ſoluuntur. 1. vtrum ipſo iure feudum Domino committatur, an verò interueniente Iudicis ſententia. 2. Feudum amiſſum ad quem redeat. 3.

Sect. 3. Quid Iuris ſit de Fructibus, Meliorationibus & Incrementis feudi amiſſi. 472.

CAP. VII.

De illa feudi amiſſione, quæ in perſona Domini contingit.

CAP. VIII.

De Actionibus, aliiſq; Iuris remediis, quæ Feudi nomine competunt Vaſallo, & Domino; Itemq; Liberis & Agnatis vaſalli, quibus feudum apertum ſeu vacuefactum eſt. 509

CAP. IX.

De Iudiciis feudalibus: Quis hîc ſit Iudex competens: Quis ordo Iudicii obſeruetur. 517

CAP. X.

De Probationibus feudalibus, & quid hîc peculiare ſit. Appellatio in cauſſis feudalibus ad quem fiat: deque Executione. 566.

Habent autem ſingula capita diſtinctas literis D. *&* M. *(quibus* Diſcipulus *&* Magiſter *denotantur) ac ordine annumeratas Quæſtiones & Reſponſiones.*

RERVM ET VERBORVM MAXIME INSIGNIVM INDEX in Partitiones Feudales, & Orationem eis præfixam.

AVctor cur librum hunc inſcripſerit Partitiones Feudales. *Pagina* 54. 56. & 60.
Abnegatio feudi à Vaſallo facta eſt cauſſa priuationis. 414. & *ſeqq.*
Abſciſſio membri, quo quis peccando abuſus eſt, pœnæ cauſſa ſæpè fieri ſolet. 448.
Accidentalia feudi. 174.
Accipitres mulierum Lenones. 455.
Acceſſiones feudi ad Vaſallum pertinent. 317. & *ſeq.*
Actiones quas nomine feudi Vaſallus exercere poſſit. 323.
Actio confeſſoria & negatoria datur Vaſallo nomine feudi. 513.
Actiones in perſonam quando Vaſallo competant. 514.
Actiones ad quid Vaſallo competant. 515.
Actiones in perſonam an dentur heredibus & contra heredes. 516.
Actio de euictione competit Vaſallo aduerſus dominum. 517.
Actiones quales cōpetant Domino aduerſus Vaſallum. 522. & *ſeqq.*
Actiones præiudiciales dantur Domino aduerſus Vaſallum. 525.
Actore non probante reus in feudis non ſtatim abſoluitur. 576.
Actus operantur in ſubiecto prædiſpoſito. 160.
Adoptiui liberi in feudis non ſuccedunt. 201.
Adoptiui quando ſuccedant. 202.
Adrianus Papa Rom. coronauit Fridericum I. 19.
Adriani Papæ literæ ad Fridericũ I. Imper. 21. & *ſeq. eiuſdem literarum callida interpretatio.* 23. *odiũ aduerſus Fridericum Imper. & totam eius poſteritatem.* 38. *cum Ioanne Sariſberienſi colloquium.* 23. & 24. *eius mors.* 38.
Adulteriũ in extraneas perſonas commiſſum à Vaſallo

ſallo an mereatur pœnam priuationis. 473

Afterlehen. 321

Agnatus an poſſit in feudo refutato ſuccedere 249

Agnatus poteſt alicuius feudum amplecti, repudiata licet eiusdem hereditate. 220. & 250.

Agnati ad quotum vſq; gradum ſuccedant in feudis. 248. & ſeq.

Agnati vaſalli quomodo pro feudo agere poſſint. 528

Agnati vaſalli num poſſint viuo etiam alienante reuocare feudum. 531

Agnati vaſalli qua actione agere poſſint ad reuocationem feudi. 531

Alere dominum an teneatur Vaſallus egeſtate laborantem. 308

Alexander Papa an Fridericum pedib. calcarit à nonnullis dubitatur. 28

Alexandri odium in Fridericum, eiusq; ſucceſſores. 38

Alienatio feudi prohibita. 337. *Ampliatio huius regulæ.* 338. *Et ratio. ibid.*

Alienationis verbum quot modis accipiatur. 345.

Alienatio quid. 345. *Eius quot ſpecies. ibid. & ſeq.*

Alienatio feudi quando ſubſiſtere poſſit. 339. & 342

Alienationis feudi formula. 340

Alienatio feudi per quam domini conditio ſit melior an valeat. 341

Alienatio vrgente neceſſitate facta an valeat. 341

Alienatio conſentiente domino facta an valeat. 342

Alienare feudum etiam dominus non poteſt inuito vaſallo. 378

Ampliationes huius regulæ. 379. *Exceptiones eiusdem.* 380

Alienatione vaſallo permiſſa an partem quoque alienare poſſit. 344

Alienare feudum in vltima voluntate an poſſit Vaſallus. 344

Alienatione amiſſum feudum ad quem redeat. 485

Alienatum feudum absque conſenſu domini & Agnatorum non poteſt Vaſallus preſcribere. 271. & ſeqq.

Rationes quibus hac ſententia probatur. 275. & ſeqq.

Argumenta contraria diluütur. 278

Alimenta an in feudis conſtituenda. 229

Allodia quæ ſint, & quæ nominis ratio. 92

Allodialia in dubio præſumuntur eſſe bona, nō feudalia. 98

Amiſſionis feudi cauſſarum catalogus: 387. *cum ſeqq.*

Amor potius deſcēdit quàm aſcendit. 192

Ancianus *vulgari verbo dicitur Senator ſiue Decurio.* 413

Annuum tempus luctus in fœminis viduis. 459

pro Anima iudicari feudum non poteſt. 187

Antiquatum, *pro antiquitus receptum.* 305

Antonius de Prato-vetere IC. Bononienſis in ordinē redegit ius feudale auctoritate Frider. III. 59

Antichreſis diuinatione *Hotom. dicitur à Feudiſt. pignus conſultum.* 337

Antichreſis poteſt Domino à vaſallo conſtitui in feudo. 365

Et quare id p̄miſſum, quãquã ſit ius ſingulare. 366

Αντικαταλλαγὴ *vet. Gloſſ. dicitur* cambitas, *uſitatius,* cambium. 133

Antiquum feudum vertitur in nouum. 109

in dubio præſumitur. 109

Appellatio etiam in cauſſis feudalibus intra x. dies facienda. 598

Exceptio, ibid.

Ariani proditio quàm ſit odioſa. 411. *& ſeqq.*

Arces Ganerbicæ aliquot enumerantur. 259. *& ſeq. Quib. adde* Reiffenberg *infra Francofurtum.*

Argam aliquem facere quid ſit. 451

Argumenta an duci poſſint ex iure feudali ad ius ciuile. 76

Arturus Richardi F. Rex Angliæ à patruo Ioanne caſus. 465

Aſcendentes in feudis nō ſuccedunt: & quare. 191. *quãdo ſuccedant in feudis.* 192

Aſtaliũ idē cum felonia. 393

Aſtus animus, Aſta lingua *nuſquam apud veteres reperiri, & putabat Cuiac.*

Augenſchein. 566. (393

Aurib. tracti teſtes. 142

Auſtria clypeus & cor Sacr. Rom. Imperii dicta Friderico I. 29

Auſtriaci Archiduces non cogũtur extra fines ſuæ ditionis inueſtituram accipere. 151

Auſtriaci Duces (qui hodie Archiduces) *initiò erant Marchiones.* 729

Authentica Codicis ſunt intelligendæ ſecundum contextum Nouell. vnde ſumptæ. 246

Αὐτόχειρες *an feudo priuandi.* 466

Æs alienum à Domino contractum an Vaſallus ſoluere teneatur. 222

Ære alieno oppreſſum Dominum an Vaſallus liberare cogatur. 309

Æſti-

Æſtimatio meliorationum feudi quomodo & quando fieri debeat. 499
Ætas qua immunitatē vaſallo præſtet. 302.

B.

BArbara oratio, qua feudorum ius ferè conſcriptum eſt, eſt vna ex cauſis difficultatis eius. 52
Baſſæ Turcorum etiam nominis ſimilitudine ad Vaſſos feudales quàm proximè accedunt. 68
Beatrix filia Com. Burgūdiæ Frid. I. vxor. 21
Bella quo fine gerenda. 39
Bellum requirit ſtipendium. 305
Bellica vis an ſit modus conſtituendi feuda. 283
Beneficii definitio, ex Seneca. 94
Beneficium l. 2. C. De reſcind. vend. an in feudis locum habeat. 533. & ſeq.
D. Bernhardi locus inſignis de Inueſtitura ſymbolis. 144
Bernhard. Anhaldinus Princeps inſignibus Saxoniæ addidit ſertū Rutaceum. 31
Bernhardi Sacci locus ex Hiſtoria Ticinenſi de Monomachia. 584
D. Boceri rationes examinātur, quibus probare vult, Vaſallum non debere Dominō cōtrā ſuū fratrē ferre opem. 300
Bona fidei poſſeſſoris ius quid differat à feudo. 83
Breue pacis. Friedbrieffe. 4. Breue teſtatum. 575. Apoſtolicum. ibid.
Breuis, etiam dicitur eodem ſignificatu. ibid.
Brunſwigam Fridericus I. Imper. Henrico Leoni tribuit. 31
Burger Lehen. 106.

C.

CÆcus an in feudis ſuccedere poſſit. 225
Calumniæ iuſiurandum an in cauſſis feudalibus præſtari debeat. 289. 562
Cambium eſt permutatio. 133
Cambium, cambitas, cambire. 349
Camera & Cauena in feudis quid. 476
Campio, eſt pugnator non à campo, ſed à Kampff dictus. 65. & 588
Canonem annuum non præſtans Vaſallus, non ob id priuatur feudo. 435
Argumēta huius ſentētiæ

& ad contraria reſponſiones. 436
Captio Feudiſtis eſt captura: non vt veteribus ICtis, deceptio. 427
Capita præcipua doctrinæ feudalis. 61. & 2. *ſeqq.*
in Caſa communi remanere 234
Catalogus interpp. Iuris feudal. 55
Catalogus ſymbolorum ſiue ceremoniarum quæ actib. legitimis adhiberi ſolent. 141. & *ſeqq.*
Cauſſarum feudi amittendi enumeratio. 387. *cum* 5. *ſeqq.*
Cauſſæ amittendi feudi culpoſæ. 390. & *ſeq.*
Cauſſæ non culpoſæ. 472. & 477
Catzenellenbogen Comitatus quando, & qua occaſione ad Lãdgrauios Haſſiæ peruenerit. 252
Cenſualis contractus differentia à feudo. 87. *ab Emphyteuſi.* *ibid.*
Ceſſione bonorum quomodo extinguatur feudũ. 478
Charitas ordinata incipit à ſeipſa. 297
Chriſtianorum in Clericos & Laicos diſtinctio antiquiſſima. 119
Chirotheca ſymbolon inueſtituræ Epiſcopatus. 145
Chriſtiano an permiſſum militare etiam ſub ſignis infidelis Principis. 223, & 294
Citatio in feudis quomodo fiat. 564
Ciuitatis feudum habentis pars ſi deſeruerit dominũ feudi, non ob id tota ciuitas feudo priuatur. 133
Clari opinio reiecta, vtpote diſerto textui cõtraria. 168
Clericus an feuda recipere poſſit. 125
Clerici poſsũt feuda dare. 116
Clerici an in feudis ſuccedant. 223. & *ſeqq.*
Clericatu quomodo amittatur feudum. 474
Cognata feudi 10. *vel* 11. 79
Cognati in feudis non ſuccedunt. 232
Cognitio grata eſt & dulcis etiam nota repetenti 58
Collectas imponere Vaſallis an poſſit dominus. 384
Collegium an poſſit feudum alicui dare. 124
Commerciales res in feudum dari poſſunt. 130
Commiſſoria lex quare in pignoribus ſublata. 179
Commiſſoria lex differt à fiducia. 180
Compatrem ſuum occidens Vaſallus feudo priuatur. 465.
Compromittere in arbitros de feudo num poſſit Vaſallus abſque conſenſu Domini. 325
Commodatum à precario vt differat. 371

Com-

Compenſare feudum an poſſit Vaſallus. 379
Cõpilatores iuris feudalis. 73
Conatus ſceleris an & quando punibilis. 398
Concubinam Domini ſtuprans Vaſallus an feudo priuetur. 459
Conditionale ſeu conditionatum feudum quodnam ſit. 328
Conditio adiici poteſt Inueſtituræ. 150
Conditio, ſi conſenſerit Dominus, ſiue, ſaluo Domini beneplacito, &c. alienationi feudi: adiecta, an Vaſallum à pœna priuationis releuet. 442
Conductoris ab vſufructuario differentia. 363
Confeſſio ingenua erroris familiaris eſt magnis ingeniis, exemplo Hippocratis. 180
Coniuges ſibi inuicem dicuntur Vaſallus & Dominus. 375. & ſeqq.
Coniuges an in feudis ſibi inuicem ſuccedant. 251. & ſeqq.
Coniuges non ſunt affines inter ſe, ſed principium affinitatis præbent aliis. 251
Conſenſus aliorum an requiratur in feudi alienatione. 344
Cõſenſus Domini tacitus an ſufficiat in alienatione feudi. 342
Conſtitutum poſſeſſoriũ quale. 372. *Et quare id vaſallo in feudis interdictum.* ibid.
Conſuetudo in feudis maximè attendenda; & quare. 202. & 210. & 235
Conſultũ pignus quid ſit 337
Contii partitio cauſſarum amiſſionis feudi. 391
Controuerſiæ feudales quomodo decidendæ. 75
Controuerſiâ ortâ inter fœminam & agnatos, quid interim, dũ lis de proprietate pendet, faciendum ſit de poſſeſſione. 534
Contumacia vaſalli pœna eſt direptio bonorũ eius. 521
Conuerſi in Monaſtica vita, qui. 224
Cornutus *hodie vulg. lingua, qui Longobardis* Arga. 451
Corporis ob defectum quomodo Vaſallus feudum amittat. 478
Crimen læſæ maieſtatis cauſſa princeps priuationis feudi. 471
Cucurbitare quid, & vnde dictum. 451
Cucurbitãs Vaſallus Dominũ priuatur feudo. 451
Ampliationes VIII. *huius regulæ.* 452. & 4. *ſeq.*
Exceptiones eiuſdẽ. 456
Cuiacius fiduciã & Legem cõmiſſoriam *pro eodem habet; non rectè.* 180

Culpa alia eſt in committendo, alia in omittendo. 391
Culpa commiſſionis bifariã contrahitur. 395
Culpa omiſſionis ſpecies. 422
Curator an feuda dare poſſit nomine adoleſcentis. 124
Curioſitas in reb. alienis reprehenditur. 419. & *ſeq.*
Cuſani Cardinalis locus illuſtris de ortu & incremẽtis feudor. 68. & 185.

D.

Damnum in expeditione pro Domino ſuſcepta an Dominus vaſallo reſarcire teneatur. 305
Daniæ Rex, olim Vaſallus Imperatoris. 161
Dare in dotem feudum Vaſallus nequit. 355. *Ampliatio huius regulæ.* 356
Dare in dotem feudum poteſt fœmina. 356
Ratio differentiæ, cur mulier poſſit; maritus non item. 357
Decernere iureiurando, non vt vulgò, diſcernere. 579
Decimæ an in feudum dari poſſint. 131
Deciſio cõtrouerſiarum feudalium vnde petenda. 75
Defectu vaſalli feudum amiſſum cui aperiatur. 484
Delatoria curioſitas exoſa ll. latoribus. 420
Delator quis. 410
Delicta quare vocentur αὐθάδεια; *ἀλλάγματα ἀκούσια; cum tamen non niſi à volentibus committantur.* 392
Delictum à vaſallo bifariam committitur. 392
Delicto vaſalli amiſſum feudum cui aperiatur. 484
Demembrare principatus 4. Electorum ſecularium vetat Carolus 4. in Aurea Bulla. 5
Denegatio iuſtitiæ vt coercenda in Domino feudi. 544
Difficultatis iuris feudalis quot præcipuæ cauſſæ; quæ item remedia. 52. & 53
Dilectio ſui ipſius eſt regula dilectionis proximi. 297
Deſcendẽtium in feudorum ſucceſſione prima cauſſa. 194
Deprædatio Domini aliquãdo iure feudali permiſſa vaſallo. 520
Deterioratio feudi vt ſit cauſſa caducitatis, tria requirit. 437
Ampliatio. 439
Dicis cauſſa quæ fiant. 141
Dignitatum feuda ad heredes tranſitoria. 184
Direptio bonorum vaſalli contumacis. 521
Diſtrahere interdum latè ſignificat idem, quod alienare quo-

re quouis modo. 347
Diuidi poſſunt feuda minora vel dignitatem non habentia. 351. *& ſeq.*
Ampliationes huius regulæ. 353
Diuiſio feudi quæ vocatur, auff den Metzen. 354
Diuiſionem non recipiũt feuda maiora. 351
Ampliatio huius regulæ. 352
Exceptiones eiuſdem. ead.
Domeſticorum cura cuique præcipua eſſe debet. 118
Dominus feudi cur Senior *dictus.* 45
Dominus vaſallo coniunx quomodo dicatur. 375. *& ſeqq.*
Dominus feudi differt à proprietario rei vſufructuariæ. 378
Dominus an vaſallo præcisè teneatur ad traditionem poſſeſſionis rei in feudum conceſſæ. 155
Dominus an liberetur præſtando id quod intereſt. 156
Domini heres inueſtituram adimplere cogitur. 156
Dominus an etiam vaſallo iurare teneatur fidelitatem. 171
Dominus an iuſiurandum calumniæ a vaſallo exigere poſſit. 289
Dominum an poſſit vaſallus in ius vocare ſine venia impetratione. 290. *& ſeq.*
Dominus an proprietatẽ feudi præſcribere poſſit contra vaſallum. 269
Dominus an poſſit contra præſcriptionem XXX. *annorum in integrum reſtitui.* 281
Dominus denegans vaſallo iuſtitiam quibus remediis cogendus. 544
Dominum bannitum vel excommunicatum vaſallus adiuuare non tenetur. 295
Reſtitutum tamen atque abſolutum ab Eccleſia vel Rege iuuare tenetur. 296
Dominus an poſſit a vaſallo excommunicato exigere ſeruitia. 296
Dominum ab hoſtibus captum, an vaſallus cogatur redimere. 310
Dominus ex iisdem cauſſis, ex quibus vaſallus, feudo priuatur. 501, *&* 503
Ampliationes. 502
Dominus vaſallum intra annum & diem petentem inueſtituram recuſans inueſtire, perdit proprietatẽ feudi. 502
Dominus an poſsit proprietatem feudi abſque pœna priuationis alienare. 504
Exceptiones quibus caſibus poſsit dominus proprietatem feudi transferre. 504. *& ſeqq.*

Dominus feudi Eccleſiaſtici ſi culpâ ſuâ id amiſerit, an ob id Eccleſia debeat priuationis pœnam incurrere. 506.
Dominus quando ſit Iudex competens in feudali controuerſia. 539
Ampliationes VII. huius regulæ. 541. & ſeqq.
Exceptiones eiusdem. 545
Domino quæ dentur actiones contra vaſallum nomine feudi. 522. & ſeqq.
Dominus quomodo aduerſus extraneos agere poſſit. 526
Domini voluntate quomodo finiatur feudum. 475
Domino omnibus ſuis facultatib. ita exhauſto vt ex Camera & Cauena non poſſit præſtare vaſallo quod debet, feudum extinguitur. 476
Dominium vtile habet Vaſallus in feudo ſecundum quoſdam. 315
de Dominii diuiſione in directum & vtile quid ſentiendum. 96. & ſeq.
Donatio à feudo quid differat. 88
Donatarii differentia à Vaſallo. ead.
Donare feudum Vaſallus nõ poteſt. 354
Donare propter nuptias feudum Vaſallus nequit. 357. & ſeqq.
Exceptio huius regulæ. 359
Dos an poſſit in feudum dari. 227. & 252
Dos an conſtitui poſſit in feudis. 229
Dos ex bonis feudalibus an poſſit reſtitui. 357
Dotisdatio à ſubinfeudatione quid differat. 355
Duellum vnde dicatur. 585
Duelli origo. 586
Duelli introducti rationes & cauſſa. 587
Duelli definitio, eiuſque explicatio. ead.
Duellum quotuplex. 588
Duellum quæ perſonæ committere poſſint. 589
Duelli legitimi requiſita. 591
Duelli forma & ordo. 591
Duelli vis & effectus. 592
Duelli abrogatio & deſuetudo. 593. & ſeq.

E.

Eccleſia nocere non debet quod Epiſcopus ſeu Paſtor iniquè geſſerit. 433. & 506.
Eccleſiaſtica beneficia quid à feudis differant. 90
Eccleſiaſticum feudum quodnam ſit. 104
Eccleſiaſtica opes vt & vnde creuerint. 87. & 116
Eccleſiaſtica res poſſunt infeudari. 131. quomodo præſcribantur. 268

Eccleſiaſticum feudũ an poſſit infeudari 322
Eccleſiaſticorum ambitio peſtis capitalis religioſæ pietatis. 15
Edictum, vnde vir & vxor, *an habeat locum in feudis.* 253
Elector Palatinus Imperialium feudor. inueſtituram confert vacante imperio. 149
Emancipati ſuccedũt in feudis. 213
Emphyteuſis à feudo vt differat. 80. *& ſeq. quomodo à contractu libellario.* 85. *à contractu cenſuali.* 87
Emphyteuticâ re in feudum datâ, an cenſeatur contractus feudalis, an Emphyteuticus. 82
Emphyteuſin an poſſit vaſallus in feudo conſtituere. 360
Epiſcopi feudis mulctati ab Imp. quod eum in expeditione non eſſent comitati. 121
Epiſcopus Moguntinus quali pœnà ab Imper. Frid. affectus. 32
Epiſcopi inueſtituram regalium ab Imp. petunt. 121
Erbeinigung *ſiue* Erbverbrüderung *differt à Ganerbinatu.* 260
Erbhuldigung *an idem cũ iureiurãdo fidelitatis.* 170
Errorem proprium fateri & corrigere adeò turpe non eſt vt ſit etiã laudibile. 180
de Euictione quando vaſallus agere poſſit. 133
Exceptio vera eſſe debet de natura regulæ. 339. *&* 367
Exceptio facilius datur quã actio. 315
Exhæredati an ſuccedant in feudis. 215
Exhæredatio an poſſit ob plures cauſas fieri quã quæ in Nou. CXV. *ſunt expreſſa.* 394
Exhibere, exhibitio pro alimentis 226
Explorationis ſpecies. 595
Exploratio quomodo fiebat. 596. *& an rectè. ibid. & ſeq.*
Extendere manum, pro iurare. 589
Extraordinaria capitul. feudorum non vſque quaque authentica. 305

F.

FAhnlehen. 149
Famis neceſſitas omnium maxima. 309
Fehdbrieff. 575
Felonia (quæ & aſtaliũ) quid, & vnde dicta. 66. *&* 392. *& ſeq.*
Felonia quomodo committatur ſcriptis. 575
Ferrarienſis ducatus feudum Eccleſiæ Rom. apertum. 385

Feudi verbum an Latinæ originis, necne ſit. 76
Feudorum commendatio ab vtili, &c. 47. *& ſeqq.*
Feudi etymon 77
Feudalium verborum & formularũ nomenclatura. 78
Feudalis iuris difficultas varias habet cauſas. 52. *eius difficultatis remedia.* 53
Feudorũ liber authẽticus. 73
Feuda non extiterũt (vt quidam vult) vnà cum genere humano ipſo. 69
Feuda à quibuſdã Germaniæ populis introducta. 64
Feudalia beneficia militaria. 43
Feudiſtarũ duo ſigniferi. 181
Feudiſtici iuris interpretum Catalogus. 55
Feuda non traxerunt originẽ à prædiis tributariis & ſtipendiariis. 70. *nec à fundis limitaneis.* 70. *nec ab aſſignatione agrorum militibus veterum & emeritis fieri ſolita.* 70. *nec à Romanorum militiis.* 71. *nec à largitionibus Impp. ead. nec à clientelis. ibid. ab hominibus Romanorum. ibidem. nec à Gallorum Soldurиis.* 72. *nec à Longobardis ſolis. ibid. ſed ab aliis quoq; Germaniæ populis, vt Francis, Sueuis, Saxonibus. ibid.*
Feudi cognatá X. *vel* XI. 79
Feudum vt differat à precario. 72. *ab emphyteuſi.* 80. *& ſeq. ab vſufructu.* 82. *& ſeq. à iure b. f. poſſeſſoris.* 83. *à iure dotis.* 84. *à libellario contractu.* 86. *à cenſuali contractu.* 87. *vt à precaria.* 88. *à donatione. ibid. à iure veteri poſſeſſionis.* 89. *à iure protectionis. ead. à iure ſuperficiario.* 90. *à beneficiis Eccleſiaſticis.* 90. *à iure maioratus.* 91
Feudorum vſum Reipub. perniciosum non videri. 47.
Feudi proprietates ac notæ. 92.
Feudi ſubſtantialia & accidentalia quæ ſint ſecundũ interpretes. 174
Feudi homonymia, eiusq; explicatio 93
Feudi definitio eiusq; explicatio. 94. *cum ſeqqq.*
Feudum eſt contractus. 98. *cum ſeqqq.*
Refutatio argumentorum Hotoman. & Giph. qui id negant. 99. *cum ſeqq.*
Feudum, eſt cõtractus nominatus 102. *an ſit cõtractus b. f. an ſtricti iuris.* 103. *an ſit beneficium.* 100. *&* 134
Feudũ aliud Eccleſiaſticum; aliud ſeculare. 104
Feudi diuiſio in proprium & improprium, an ſit legitima. 104.
Feudum aliud regale, aliud non regale. 105. *aliud nobile aliud ignobile.* 106. *aliud*

ligium aliud non li-
. 106. aliud anti-
m aliud nouum. 108
m nouum redit ad do-
um, excluſis filiis & a-
tis vaſalli. 487
m aliud maſculinum
ud fœmininum. 110
m fœmina an & quo-
do differat à feudo fœ-
neo. 208
um pignoratitium ;
Sandlehen. 110
um aliud hereditarium
iud ex pacto & prouide-
s, aliud mixtum 110. in
bio præſumitur feudum
ſe ex pacto & prouiden-
a. 111
dum informe. 111
dum aliud frãcum aliud
on-francum. 112
dũ aliud in territorio, a-
ud extra territoriũ. 112
dum aliud in curte aliud
xtra curtem. 112
dum aliud perſonale a-
iud reale. 113
da qui poſſint conferre.
114
dum quamuis gratuitũ
ſit, tamen pro eo interue-
nire poteſt remuneratio.
172. & ſeq.
udum etiam inferior ſupe-
riori dare poteſt. 127
uda tenere qui prohiben-
tur. 124
udum cur in immobilibus
& non in rebus mobilibus
conſiſtat. 129

Feudi adquirendi & conſti-
tuendi modi quot ſint. 157
& ſeq. & 283.
Feudum an in vltima volũ-
tate relinqui poſſit. 187. &
ſeq.
Feudum an teſtamento con-
ſtitui poſſit. 284
Feudi conſtituti & acquiſiti
ius duplex, perſonale &
reale. 285
Feudi poſſeſſio pertinet ad va-
ſallum. 115
Feuda an omnia ſucceſſionẽ
recipiant. 183. & ſeqq.
Feuda dignitatum ad hære-
des tranſitoria. 184
Feudum pro anima iudicari
non poteſt. 187
Feudum an poſſit prælegari
vni ex liberis. 188
Feudum an in legitimã im-
putetur. 228
Feudum an veniat in reſti-
tutionem fideicommiſſa-
riam. 229
Feudi priuatio ſiue ablatio
vocatur aliquando exhæ-
redatio. 394
Feudum non ipſo iure, ſed iu-
dicis accedente ſententia
amittitur & alicui aufer-
tur. 479. cum ſeqq. Exce-
ptiones. 483
Feudum quo modo per eui-
ctionem extinguatur. 478
Feudum amiſſum ad quem
reuertatur. 483
Feudi proprietas à domino
amiſſa ad quem pertineat,
506

Feudum aliquãdo inter vaſallos poteſt diuidi. 135
Feudum quod agnatus refutauit, eo defuncto an ad agnatum trãſferatur. 249
Feudi libertatẽ an poſſit Dominus contra vaſallum præſcribere. 269
Feuda omnia moribus Gallorum redacta ſunt ad inſtar patrimoniorum. 207. & 236. & 339.
Feodum *pro feudum vſurparunt aliqui veterum.* 77
Fidelitas aliquando ponitur pro ipſo iureiurando fidelitatis. 166
Fidelitas an præcedat inueſtituram 159
Fidelitatem iurans vaſallus copulatiuè Domino & hæredibus eius, an poſtea iterum iurare cogatur hæredi. 158
Fidelitatis iurandæ formula varia eiuſque explicatio. 162. *cum* 16. *ſeqq.*
Fidelitatis iuramentum an idem ſit cum iureiurando ſubiectionis oder Erbhuldigung. 170
Fidelitatis iuſiurandum an poſſit mutari altero inuito. 169
Fides charitate demonſtranda. 287
Fiducia nõ eſt idem cum lege conimiſſoria, vt aliqui putarunt. 180
Filiusfam. an feudum acquirere poſſit. 126
Filius propter feloniam commiſſam non ſuccedit. 227
Filius non legitimo tempore petens renouationem inueſtituræ remouetur à ſucceſſione. 228
Filiabus à ſucceſſione feudi excluſis, an legitima ſaltẽ debeatur. 229
Filius ad feudum patris ſui culpâ amiſſum, an poſſit aſpirare. 490
Filius repudians hæreditatẽ patris an ſuccedere poſſit in feudis. 220. & 250.
Filius adiens hæreditatem cũ beneficio inuentarii, an poſſit feudum retinere liberum ab oneribus hæreditariis. 222
Finem facere de feudo, eſt idem quod refutare ſeu. reſignare feudum. 327
Fiſcus an in feudis ſuccedat. 254
Formulæ fidelitatis explicantur, 162. *cum* 16. *ſeqq.*
Fornerii partitio & ἀπαρίθμησις cauſarum amittendi feud. examinatur. 391
Fœmina an poſsit feudũ dare. 123
Fœmina an feudi capax. 127
Fœmina in feudis non ſuccedit. 203. *Ampliationes huius regulæ.* 205. & *ſeq.*
Fœmina bellicoſa & prudens

ſuccedat in feudis. 204

...na quando in feudis ...cedere poſsit. 207. & 999.

...ina an in feudo franco ...cedat 210

...ina an in probatione in...ſtitura teſtis eſſe poſsit. 48

...ina an poſsint eſſe teſtes ...feudis. 567

...ncia Rex an feuda rega...ia conferre poſsit. 122

...ter fratri an ſuccedat in ...udo. 233

...atris prædefuncti filii ſu...perſtites in feudo nouo non ſuccedunt 236

...rater in feudo antiquo fra...tris excludit patruū. 236

...ratres inſimul ſtantes ſiue in caſa communi remanē...tes: id eſt, conſortes. 234

Fratres vterini an ſibi inui...cem ſuccedant in feudis. 237

Fratrum filii cum patruis quomodo ſuccedant. 238

Fratrum filii ſoli exiſtentes patruo ſuo ſuccedūt in capita, & non in ſtirpes. 239. Rationes quibus hæc ſententia non ſolum cōfirmatur vt iuſtiſsima, ſed etiā vetuſtiſsima eſſe oſtenditur. 240. & ſeq. & 242. cū ſeq. Contraria ſententiæ argumenta examinantur & refelluntur. 244. & ſeq.

Fratrum ſi nec filii nec nepotes ſuperſtites ſint, agnatī proximiores à latere venientes in feudis ſuccedunt. 247

Fratrum duorum qui habēt feudum cōmune, vno deſerente dominum altero eundem contrà conſtanter adiuuāte, an fidelitas huius illum excuſet à feudi priuatione 432

Fratricidium à vaſallo commiſſum in proprio fratre eſt cauſa priuationis feudi. 463. non tamen in perſona fratris domini commiſſum 464

an in Fratrem debeat vaſallus opē ferre domino. 300

FRIDERICI I. Imper. memoria cur omnibus, maximeque iuris ſtudioſis, ſancta eſſe debeat. 3. & ſeq.

Fridericus I. ius feudale auxit ſuis conſtitutionib. nobiliſsimis. 3. & ſeq. eius familia. 7. quando & vbi Imp. electus. 12. ab Adriano Papa Romæ coronatus. 19. vxorem duxit Beatricem Comitis Burgund. filiam. 21

Fridericus I. orator optimus. 9. Reſponſum quale dederit Legatis Papæ Adriani 22. Quale Legatis Manuelis Græc. Imp. 30. & rurſum aliud 34

Friderici I. Legati capti &

male tractati à Graculo Imp. 33
Friderici ætas. 35
Fridericus nullum vnquam diem otioſum ſibi præterlabi paſſus. 39
Fridericus Mediolanum ſolo tandem æquauit. 26. *Cur Spoletum euerterit.* 17. *& Comitia egit Ratisbonæ.* 29. *Item Gelhuſii.* 31. *Herbipolenſem Epiſcopum eiuſq; ſucceſſores de Ducatu Franciæ Orientalis inueſtiuit.* 29. *Henrico Leoni Brunſwigam tribuit.* 31. *quàm ſeuerus in pacis publicæ turbatores fuerit.* 31. *Latronum receptacula in Germania diruit,* 32. *ad pedes Papæ Alexãdri proſtratus ei ſupplicauit.* 27
Friderici cũ Turcis prælium & victoria ab ipſis reportata. 36. *eius mors acerba & violenta.* 35. *mortis eius occaſio.* 37
Fridericus Tyri humatus. 37
Friderici I. nobiles aliquot conſtitutiones quas de iure fecit. 3
Friderici Conſtitutio prohibitoria alienationis Feudorum, quæ in re differat à Conſtitutione Lotharii Imp. 337
Fridericus 3. approbauit nouã Iuris Feudiſtici cõpoſitionem factã ab Ant. de Prato-veteri IC. Bononiẽſi. 59
Fructus percipiẽdi ius ad vaſſallum ſpectat. 316
Fructuum diuiſiones. 492
Fructus pendentes an ad vaſſallũ pertineant. 492. *Tres hac de re opiniones recenſentur.* 493. *& ſeq.*
Fructus ad quem pertineant feudo culpa vaſalli amiſſo. 496
Fuga vaſalli quæ nihil nocuit Domino deſerto, an debeat eſſe impunita, vt ob id non poſſit feudo priuari. 433
Furioſus non poteſt infeudare. 126. *an feudum recipere poſſit.* 127. *an in feudis ſuccedat.* 129
Fürſten *ab* Hertzogen / *quomodo differant.* 120

G.

GAgeria, *lingua Teutonica ſignificat* pignus. 366
Galli quantum tribuant iuri Ciu. Rom. 242
Gallorum moribus feuda omnia cẽſentur iure patrimonii & allodii. 207. & 236, & 339.
Ganerbſchafft / (*quem* Ganerbinatũ *vocare liceat*) *vnde dicatur.* 256
Ganerbſchafft oder Ganerbengüter *quã habeant originem.* 257
Ganerbenhäuſer *ſiue arces aliquot Ganerbicæ enumerantur.* 259. *& ſeq. quibus*

Reiffenberg *infra*
ecofurtum.
*binatus cõſtitutio.*260
binatus differentia à
oratu & à legato fa-
a. 260
rbſchafft *differt ab*
einigung. 260
*binatus ius quale.*261
binatus quomodo ex-
uatur. 262
nſcheur/oder Gegen-
machung. 358
alia verba generaliter
piendi. 275
nerali quantumlibet
tione ſemper intelligi-
excepta perſona loquẽ-
597
ulum *Longobardi vo-*
t gradum cognatio-
248
ſiii egit Fridericus co-
ia imperii. 31
nbter Handbelehung
lus Capagiſtus Conſul,
lor Mediolanenſis ex-
t defectionis à Fride-
17
la & communi opinio-
quando liceat recedere.
s non tantum primi,
& vlterioris liberi in
lus ſuccedunt parenti-
213
um ſupputatio in feu-
terum facienda ſecun-
o ius Pontificium an
v.ſecundũ ius Ciuile. 191
Gradus primi liberi quid dif-
rant à liberis vlterioris
gradus. 214
Gratuita quoque non re-
ſpuunt aliquam remune-
*rationem.*172.*& ſeq.*
*Graciſmus:*habendũ eſt ho-
norem patrono.287. Si,
pro An. 251
Graue *ſiue Grauio eſt vet.*
ling.German. Iudex.259.
vbi vide multa inde com-
poſita vocabula.
Guadium(*quod eſt* vadium)
Longobardis eſt pignus.
364
Guntheri carmina ad ius
Feudale pertinentia, eiq;
non parum lucis afferen-
*tia.*67.121.145.152.217.
273.*& ſeq.*279.280.296.
303.326.337.*& ſeq.*347.
351.376.398.426.428.
433.435.491.520.540. *&*
546.*cum ſeq.*
Guerra & bellum publicam
& priuatam rixam ſigni-
ficat 306

H.

Handlohn, *quod datur Seniori remunerationis gratia pro inueſtitura.* 173
Haſſiæ Landgrauii qua occaſione potiti Comitatu Catzenellenbogen. 252
Henricus Leo Bauariæ & Saxoniæ Dux à Frid. proſcriptus. 31

male tractati à Graculo Imp. 33
Friderici ætas. 35
Fridericus nullum vnquam diem otioſum ſibi præterlabi paſſus. 39
Fridericus Mediolanum ſolo tandem æquauit. 26. Cur Spoletum euerterit. 17. & Comitia egit Ratisbonæ. 29. Item Gelhuſii. 31. Herbipolenſem Epiſcopum eiusq; ſucceſſores de Ducatu Franciæ Orientalis inueſtiuit. 29. Henrico Leoni Brunſwigam tribuit. 31. quàm ſeuerus in pacis publicæ turbatores fuerit. 31. Latronum receptacula in Germania diruit, 32. ad pedes Papæ Alexãdri proſtratus ei ſupplicauit. 27
Friderici cũ Turcis prælium & victoria ab ipſis reportata. 36. eius mors acerba & violenta. 35. mortis eius occaſio. 37
Fridericus Tyri humatus. 37
Friderici I. nobiles aliquot conſtitutiones quas de iure fecit. 3
Friderici Conſtitutio prohibitoria alienationis Feudorum, qua in re differat à Conſtitutione Lotharii Imp. 337
Fridericus 3. approbauit nouã Iuris Feudiſtici cõpoſitionem factã ab Ant. de Prato-veteri IC. Bononiẽſi. 59
Fructus percipiẽdi ius ad vaſallum ſpectat. 316
Fructuum diuiſiones. 492
Fructus pendentes an ad vaſallũ pertineant. 492. Tres hac de re opiniones recenſentur. 493. & ſeq.
Fructus ad quem pertineant feudo culpa vaſalli amiſſo. 496
Fuga vaſalli quæ nihil nocuit Domino deſerto, an debeat eſſe impunita, vt ob id non poſsit feudo priuari. 433
Furioſus non poteſt infeudare. 126. an feudum recipere poſsit. 127. an in feudis ſuccedat. 125
Fürſten ab Hertzogen/ quomodo differant. 120

G.

GAgeria, lingua Teutonica ſignificat pignus. 366
Galli quantum tribuant iuri Ciu. Rom. 242
Gallorum moribus feuda omnia cẽſentur iure patrimonii & allodii. 207. & 236. & 339.
Ganerbſchafft/ (quem Ganerbinatũ vocare liceat) vnde dicatur. 256
Ganerbſchafft oder Ganerbengüter quã habeant originem. 257
Ganerbenhäuſer ſiue arces aliquot Ganerbicæ enumerantur. 259. & ſeq. quibus adde

Reiffenberg *infra*
o ſurtum.
inatus cõſtitutio. 260
inatus differentia à
ratu & à legato fa-
260
bſchaffe *differt ab*
inigung. 260
inatus ius quale. 261
inatus quomodo ex-
iatur. 262
ſcheur/oder Gegen-
achung. 358
ia verba generaliter
ienda. 275
rali quantumlibet
one ſemper intelligi-
cceptaperſona loquẽ-
597
lum *Longobardi vo-*
gradum cognatio-
248
ii egit Fridericus co-
imperii. 31
bter Handbelehung

s Capagiſtus Conſul,
r Mediolanenſis ex-
defectionis à Fride-
17
& communi opinio-
ando liceat recedere.

non tantum primi,
& vlterioris liberi in
ſuccedunt parenti-
213
m ſupputatio in feu-
trum facienda ſecun-
ius Pontificium an
v. ſecundũ ius Ciuile. 191
Gradus primi liberi quid differant à liberis vlterioris gradus. 214
Gratuita quoque non reſpuunt aliquam remunerationem. 172. *& ſeq.*
Graciſmus: habendũ eſt honorem patrono. 287. Si, *pro An.* 251
Graue *ſiue Grauio eſt vet. ling. German.* Iudex. 259. *vbi vide multa inde compoſita vocabula.*
Guadium (quod eſt vadium) *Longobardis eſt* pignus. 364
Guntheri carmina ad ius Feudale pertinentia, eiq; non parum lucis afferentia. 67. 121. 145. 152. 217. 273. *& ſeq.* 279. 280. 296. 303. 326. 337. *& ſeq.* 347. 351. 376. 398. 426. 428. 433. 435. 491. 520. 540. *&* 546. *cum ſeq.*
Guerra & bellum publicam & priuatam rixam ſignificat 306

H.

Handlohn, *quod datur Seniori remunerationis gratia pro inueſtitura.* 173
Haſsia Landgrauii qua occaſione potiti Comitatu Catzenellenbogen. 252
Henricus Leo Bauariæ & Saxoniæ Dux à Frid. proſcriptus. 31

Henricus Comes Palat. canẽ cur humeris portare coactus 32
Heraclidis Pontici locus de pœna parricidarum. 448
Herbipolenſem Epiſcopum eiusq; ſucceſſores de Ducatu Franciæ Orientalis inueſtiuit Fridericus Imper. 29
Hæreditatis petitio an pro feudo detur. 535
Hermaphroditus an feudi capax ſit 127
Hertzogen & Fürſten differentia. 120
Hiſtoriæ iucunditas quanta. 50
Hominium ſiue hominatus vnde dicatur 161
Hominium (vulgo Homagium) quid differat à fidelitate 161
Homonyma definiri non poſſunt. 93
Hoſtẽditiæ vnde, & quid dicantur 303
Hotoman. retractat priorem ſententiam qua fiduciam & legem commiſſoriã confuderat 180
Hotoman. expoſitio & diſtinctio text. 1. F. 1. reprobatur. 203. item. 2. t. 29. 216.
Hotomann. aliquando nimis cupide & immerito reprehendit Feudiſtas. 95. & 224. & 340. nonnunquã diſsimulat Cuiacii emendationes. 348
Hotemanni rationes, quibus negat feudum eſſe contractum, examinantur, 99
Huldigung differt à iureiurando fidelitatis. 170
Hypotheca an poſsit in feudo conſtitui 368. & ſeqq.

I.

Iconium captum à Friderico. 35
Immunitas vaſallo tributa ratione ætatis. 302
Imperator ſolo Deo minor, neminem in terris habet parem (nedum ſuperiorẽ) ex Tertulliani & Chryſoſtomi doctrina commemorabili. 120
Imperator non tantum ſecularia feuda, ſed etiam Eccleſiaſticas dignitates conferre poteſt. 121
Imperatoris Rom. iuſiurandum in coronatione præſtandum, an ſit iuramentum fidelitatis 170
Imperiũ iuſtum eſt cura ſalutis alienæ. 304
In-antea, pro, inpoſterum, deinceps. 165
Inceſtuoſi liberi in feudis non ſuccedunt. 196
Inceſtus eſt cauſa priuationis feudi. 468. Ampliationes eadem.
Inceſtus duplex eſt, iuris naturæ ſeu gent. & Iuris Ciuilis. 498. & ſeq. Cur non ob quoduis inceſtum vaſallus

ſallus feudo priuetur. 469
Incompetentis Iudicis ſententia nulla eſt. 539
Incrementa feudi ad Vaſallum pertinent. 317. & ſeq.
Incrementa & acceſſiones feudi ad quem pertineant. 499
In dubio præſumitur allodiũ potius, quàm feudum. 93. feudum antiquum potius quàm nouum. 109
Indignationem ſuam Principes comminari ſolet in mandatis more peruetuſto. 407
Indolis bonæ ſignum eſſe ζηληλικὸν 57
Inficiatio à vaſallo facta, eſt cauſa priuationis feudi. 414. & ſeq.
Informe feudum. 111
Ingratitudo cauſa priuationis feudi. 472
Inſolutum datio in feudis Vaſallo prohibita eſt. 350
Inſtituta variorum populorum varia. 53
Inſtrumentum publicũ quid dicatur. 573
Inſtrumentum inueſtituræ negans Vaſallus, an feudo ob id priuetur. 418
Interdicto Vnde vi, num poſſit vaſallus contra dominum experiri. 288. & 518
Interdicta an competant domino cõtra vaſallum. 526
Interitu rei feudalis quomodo finiatur feudum. 475
Interpretandi Iuris feudalis ratio. 75
Interpretes feudalis iuris aliquam multi. 55
Inuentarii confectio an liberet filium ab oneribus, quæ ſunt in hæreditate patris. 222.
Inueſtitura unde dicatur. 139
Inueſtitura duplex; propria vel impropria, ſeu abuſiua. 139
Inueſtitura propria, quæ ſit. ibid.
Inueſtitura abuſiua definitio, eiusq; explicatio. 140
Inueſtitura vtraq; an in feudis neceſſaria. 140
Inueſtituræ abuſiuæ ſymbola quæ, & cur adhiberi ſolita 141. & ſeqq.
Inueſtiri num poſſit quis de re ab alio poſſeſſa, priore vaſallo adhuc ſuperſtite. 118. & 136.
Inueſtituram præſumptam quam vocent. 265
Inueſtitura an neceſſario requirat ſcripturam. 147
Inueſtituræ probatio quot requirat teſtes. ead.
Inueſtitura an per Procuratorem dari accipiue poſſit. 149. & 424.
Inueſtituræ adiici poteſt conditio. 150

Inueſtitura vbi petenda: item, quando, & quoties. 151. & *ſeq.*

Inueſtituræ renouatio quare petenda. 152. *ea neglecta iuſto tempore remouet quem à ſucceſſione.* 228

Inueſtituræ renouandæ tempus an poſſit Dominus coarctare vel protelare. 153

Inueſtituræ renouationem an ſinguli hæredes petere cogantur. 157

Inueſtitura vnius rei an duobus vel pluribus fieri poſſit, & ſi duobus facta ſit, vter alteri præferatur. 153. *Excepti caſus vbi poſterior priori non præferatur.* 154

Inueſtituram præciſè implere cogitur Dominus. 155

Inueſtitura an præcedat fidelitatem, vel contrà. 159

Inueſtitura ſimultanea quid 159

Inueſtituræ renouationem petere negligentis, pœna eſt vt priuetur feudo. 422. *Exceptiones huius regulæ.* 4 3. & *ſeqq.*

Ioannis Sariſberienſis reſponſum ad Papam Adrianum. 24

Ioannes frater Richardi Angl. Regis occidit eius filium Arturum. 465

Iudæorũ fœnerãdi ratio. 179

Iudicium quàm variè accipiatur. 537. *quot perſonas neceſſario requirat ad eius conſtitutionem.* *ibid.*

Iudicis incompetentis ſententia nulla, 539

Iudicium vbi exerceri debeat. 544

Iudicis ſententia an ſit modus conſtituendi feudi. 283

Iudicis ſententia an ad priuationem feudi ſit neceſſaria. 479

Iudicii proceſſus & ordo in feudalibus controuerſiis qualis eſſe debeat. 561. & *ſeq.*

Iudicare pro anima, quid ſit. 187

Iudicare, idem quod teſtari, *ibid.*

Iurare ſolebant per oſſa & cineres parentum & maiorum 165

Iurare adhibitis ſacramentalib. variè dicitur. 579

Iurare Regem minori turpe. 370

Iuratoria purgatio quomodo fieri debeat. 577

Iure eodẽ quod quis in alterum ſtatuit, vti debet ipſe. 377

Iuris feudalis cõpilatores. 73

Iuris feudalis cõpoſitio authoritate Frid. III. facta. 59

Iuris feudalis interpretes varii. 55

Ius

Ius feudale prævalet iure ciuil. in cauſis à ſe deciſis. 74.
Ius feudale an ſit pars Iuris ſcripti nec ne. 74
Ius accreſcendi an in feudis locum habeat. 230
Ius dotis à feudo quid differat. 84
Ius feudi conſtituti & acquiſiti duplex. 285
Iuſiurandum fidelitatis & ſubiectionis differunt. 170
Iuſiurandum fidelitatis quâ formâ fiat. 162. *quæ perſonæ eo excipiantur.* 166
Iuſiurandum calumniæ an dominus vaſallo vel hic illi præſtare teneatur. 289
Iuſiurandum calumniæ in cauſis feudalibus an præſtandum. 562
Iuſiurandum adhibitis Sacramẽtalib. an adhuc hodie obſeruetur vſu. 581
Ius meliorandi in feudo habet vaſallus. 319
Ius patronatus vt differat à feudo, 381
Ius percipiendi ſuosq; faciendi fructus ad vaſallũ pertinet. 316
Ius perſonale & reale in feudis conſiderandum. 286
Ius perſonale quo adſtringitur vaſallus domino ad certa quædam præſtanda. 286. *& ſeqq.*
Ius perſonale quo Dominus vaſallo ad certa quædam capita obligatur. 375. *& ſeqq.*
Ius poſſeſſionis vetus vt differat à feudo. 89
Ius priuandi feudo non eſt tranſitorium ad hæredes. 508. *Ampliatio cum exceptionibus quibuſdam. eadem.*
Ius προτιμήσεως quibus cõpetat. 333
Ius retentionis competens viduæ vaſalli ex iure Saxon. & moribus in bonis feudalibus mariti. 371
Ius manet quam diu nõ mutatum reperitur. 231
Iuriſdictio an in feudum dari poſſit. 132
Iuriſdictio an poſſit præſcribi. 282
Iuriſdictionem vaſalli inuito domino feudi prorogare nõ poſſunt. 542
Iuriſdictio ad quem pertineat amiſſo feudo. 500
Iuſtitiæ denegatio vt coercenda ſit. 544

L.

Laici & Clerici, antiquiſſima Chriſtianorũ diſtinctio. 119
Laici poſſunt feuda dare. 119
Laicis licere non debet, quod Sacerdotibus non licet. 116
Landgrauii Haſſiæ quando

& qui potiti Comitatu Catzenellenbogen. 252
Languor animi corporisve non debet alicui etiam in bonis damnum afferre. 226
Latronũ receptacula in Germania diruit Fridericus I. 32
Laudare auctorem quis dicatur. 132
Laudare *apud Feudiſtas eſt* arbitrari, iudicare. 480. *&* 547.
Laudemium an Dominus à Vaſallo, quem inueſtit, exigere poſſit. 384
Leges regulariter futuris negotiis formam dant. 337
Legatum etiam ad pias cauſas non valet in feudis. 187
Legatum familia à Ganerbinatu differt. 260
Legis commiſſoria pactum in feudis an valeat. 181
Legitima ſua ſingulis, alia aliis, teſte Pindaro. 53
Legitimationis liberorũ quot modi. 197
Legitimati liberi in feudis non ſuccedunt. 199. *& ſeq.*
Legitima an debeatur filiabus à feudi ſucceſsione excluſis. 229
Lehen *vnde dictum.* 88
Lehentrager. 157
Lehen aufſſagen oder aufſkünden. 326
Lehengeld *quod datur domino remunerationis gratia pro inueſtitura.* 173
Leibgeding. 358. *& ſeq.*
Lenones accipitres mulierũ. 455.
Leutes *ſiue* Leotes, *homines alicuius ſunt.* 161
Lex commiſſoria cur ſublata in pignoribus. 179
Lex commiſſoria à fiducia differt 180
Lex noua, id eſt, nouum Teſtamentum. 593
Lex 2. C. quæ ſit long. conſuetud. *conciliata cum textu feudali, in* titul. 1. libro 2. F.
Lex 2. C. de Reſc. vend. *an in feudis locũ habeat.* 533. *& ſeq.*
Lex Salica quid commune habeat cum iure feudali. 203
Libellarii cõtractus differentia ab Emphyteuſi. 85. *à feudo.* 86
Libellario nomine num poſsit feudum concedere vaſallus. 361
Libellus quomodo formandus in variis pro feudo actionibus 564
Liberorum varia genera. 195
Liberi non primi tantum, ſed & vlterioris gradus in feudis ſuccedunt. 231
Liberi non tantum ex vno eodemque matrimonio, ſed

etiam

etiam ex diuerſis procreati in feudis ſuccedunt. 215
Liberi ex matrimonio ad Morganaticam contracto nati, an in feudis ſuccedant. 216
Liberi putatiui an in feudis ſuccedant. 220
Liberi vaſalli quomodo agere poſsint. 528
Liberorum ſuperuenientia an reuocetur feudum. 478
Ligium feudum quid, & qua nominis ratio. 107
Liga ſancta. ibid.
Lite inter dominum & vaſallum orta quis ſit cōpetens iudex. 560
Locatio perpetua vel ad longum tempus an tribuat conductori ius in rem. 362
Locare feudum an poſsit vaſallus. 362. & ſeq.
Loquendum nonnunquam cum multis, quamuis ſentiendum cum paucis. 97
Lotharii Conſtitutio de alienatione feudi prohibita in quo differat à conſtitutione poſteriore Friderici I. 337
Luctus tempus legitimum. 459

M.

Maioratus ius quid differat à feudo. 91. *vide,* & 217.
Maioratus & Legatum familiæ quid differant à Ganerbinatu 270
Malæ fidei emptori, qui ſibi cauit interpoſita ſtipulatione an detur actio de euictione. 348
Manngericht. 547
Mann Lehen. 106
Manuelis Imp. Græcorum legati ad Frideric. 30
Manuum iniectio conceditur Domino in vaſallum iure Gallorum. 525
Maritus an feudum in dotem datum poſſit lucrari. 227. & 252.
Maritus feudū ab vxore capere an poſſit. 127
Matrem Domini ſtuprans vaſallus priuatur feudo. 461
Maximiliani I. Conſtitutio de Ganerbiis. 258
Mediolanenſium defectionis auctor Girardus Capagiſti. 17
Mediolanenſium propoſitum aduerſus Fridericum. 25
Mediolanēſes Friderico ſeſe dediderunt 25
Mediolanenſes à Friderico defecerunt. 26
Mediolanum Fridericus ſolo æquauit. 26
Meliorationes feudo amiſſo ad quem pertineant. 497
Membrum quo peccatum eſt, pœna cauſa ſæpe abſcindi

ſolet 448
Menādri verſus à Paulo ſanctificatus. 403
Mendacium quid. 410
Mendacium dicere & Mentiri quomodo differant. 420
Mendacium quot caſibus Iure Civ. puniatur. 421
Merces contrarium officio. 172
Meretrices victima publicarum libidinum. 456
Methodi ratio in hiſce Partitionibus feudalibus obſeruata. 57. 61. *& ſeqq.*
Vff den Metzen theilen. 954
Militare num liceat Chriſtiano etiā ſub infideli principe. 223
Miniſteriales qui olim. 45
Minor an poſſit feudum dare 114
Minor quis dicatur à Longobardis. 243
Minor an feudi capax. 126
Mobilia cur regulariter in feudum non dentur. 129
excepti caſus, vbi dari poſſint. 130
Molendinū an in feudū concedi poſſit 130
Molere in molendino an Dominus Vaſallos cogere poſſit. 384
Monachus an feudi capax eſſe poſſit 126
Moram purgare num poſſit vaſallus, qui inueſtiturā iuſto tempore non petiit. 426
Morganatica vnde dicta. 177 216. & 358
Morte vaſalli quomodo feudum amittatur 473
Mulier an habeat in bonis feudalibus mariti tacitā hypothecam nomine dotis & donationis propter nuptias. 359 & 371

N

Naſus adulteris abſciſſus 448
ad Naturam ſuam facilè vnaquaq; res reuertitur. 270
Naturales liberi in feudis nō ſuccedunt. 197
Neceſſitas, in qua vaſallus conſtitutus, an excuſet eū à pœna priuationis. 445
Negans feudū vaſallus eo priuari poteſt. 414. *& ſeqq.*
Nobilium titulus quibus olim tribui ſolitus. 45
Nomenclatura verborum & formularum feudalium. 78
Notarii inſtrumentum alienationis conficientis pœna triplex. 447
Nothwehre, *inculpata tutela.* 400
Nouum feudum conceditur interdum iure antiqui. 109

Noua lex, pro, Nouum Teſtamentum, 593
Noui operis nuntiatio an cōpetat vaſallo pro feudo. 531

O.

OBligatio perſonalis inter Vaſallum & Dominum mutua, in quibus rebus conſiſtat. 286. *cum ſeqq.* 311. & 375. *cum ſeqq.*
Occaſio & cauſſa feudorum inſtituendorum. 66
Operæ liberi hominis ſunt in commercio. 99
Oppignerare proprietatē feudi Dominus inuito vaſallo non poteſt. 381. *Limitationes huius regulæ.* 382
Origo feudorū à quibus populis extiterit 64. *Argumenta, quibus probatur, à Germanis orta feuda.* 65
Ordo confuſus & prapoſterus feudi difficultatis cauſa 53. 59
Oſculum officioſum. 454
Oſculū vnde dicatur & quid differat à baſio & ſuauio 453
Oſtendinſt. 303

P

PActa inueſtituris addita an valeant 175. & 3. *ſeqq.*
Pactum de non præſtando ſeruitio ex feudo valet. 167
Pacto inueſtituræ obſcuro, fit interpretatio cōtra vaſallum, 181
Pactum Legis Commiſſoriæ an in feudis locum habeat 181
Palatinus Elector vacante Imperio confert feuda imperialia. 149
Panes coquere in ſuo furno, an poſſit Dominus Vaſallos cogere. 384
Parentes interdum quilibet cognati vſurpantur 210
Parentela pro cognatione vel etiam affinitate. 210
Parentes magis terrentur in liberis, quam in ſemetipſis. 299
Pares curiæ lite ortâ inter vaſallum & Dominum Iudices competentes ſunt 546. *Huius regulæ explicatio* 548. & *ſeqq. Ampliatio* 555. *Exceptiones eiuſdem* 557. & *ſeqq.*
Pares Curiæ quando ſunt Iudices, an in ſingulis cauſis ſpecialiter iuſiurandum Iudicum præſtare debeant. 551
Pares Curiæ quomodo eligantur. 552. *an à ſolo Domino eligi poſſint* 552. *qui-*

bus remediis cogantur iudicare. 555. *iudicant ſumptibus litigãtium.* 557

Parium curiæ electio in dubio præſumitur rite facta. 554

in Pari cauſa idem ius eſſe debet ex ipſa æquitate. 369

Parricidis cur manus amputare ſoleat, docetur ex Heraclide Pontico. 448

Parricidium à Vaſallo perpetratum eſt iuſta cauſa priuationis feudi. 464. & *ſeq. Ampliationes tres.* 466

Paſtoris delictum non debet Eccleſiæ imputari. 433

Pater an poſſit feudum vni ex filiis prælegare. 188.

Pater an preferẽdus domino à vaſallo, an dominus patri. 298

Patria eſt antiquior parens. 298

Patronatus ius quid differat à feudo. 381

Pauli ſententia emendata. 134

Pauli ſententiarum vera lectio defenſa aduerſus Hotom. 241

Pediſſequam Dominæ ſtuprans vaſallus, priuatur feudo. 460

Permutare feudum an poſſit vaſallus. 349

apud Perſas turpiſſimum erat eſſe ingratum, mentiri, & debere æs alienum. 415

Perſona excepta in iuramento fidelitatis. 166

Perſonalis obligatio inter vaſallum & dominũ in quibus conſiſtat. 311

Philippus Frider. I. fil. Bamberga ab Ottone trucidatus. 39

Philippus Auguſt. Rex Franciæ vindex necis Arturo Regi Angl. à patruo ſuo Ioanne oblatæ damnauit eum ſub Parib. Franciæ. 465

Pfandtlehen. 119. & 212.

Pheodum aliquando à veteribus dictum feudum: quod & Feodum, *vocant.* 77

Pignus quomodo Longobardi appellarint. 334

Pignus trimembre. 367. *Quæ diuiſio vulgaris à Doctiſſimo viro notatur.* 368

Pignus conſultum quod ſit. 337

Pignus conuentionale non poteſt in feudo conſtitui, ſed Neceſſarium. 368

Pignori obligare feudum non poteſt vaſallus. 364. *Exceptiones regulæ.* 365. & 2. *ſeqq.*

Pigneratitium feudum, Pfandtslehen. 110

Piſces in lacu feudali amiſſo feu-

ſo feudo, ad quem pertineant. 496

Plebeii homines an feuda dare poſſint. 122

Pluralis pro ſingulari, & cõtrà, poſitus. 353

Pœna triplex Notarii conſcientis inſtrumentum alienationis feudi. 447

Pœna vaſalli inficiantis feudum, eſt priuatio feudi. 414. & ſeqq.

Pœna contumaciæ vaſalli eſt direptio bonorũ eius. 521

Pœna mendacii in iure recepta. 421

Pœna receptatorum. 258

Pœna abſciſſionis membrorum, quib. peccatũ eſt. 448

Poſſeſſionis ius vetus quid à feudo differat. 89

Poſſeſſio feu[illegible] pertinet ad vaſallum. 315

Precarium vt differat à feudo. 72

Precaria & precaria, quid 87

Precaria à feudo differentia. 88

Precarium Iuris Ciuil. quid differat a precaria Iuris Pontificii. 88

Precarii cõceſſio quare vaſallo in feudo interdicta. 371

Precarii a commodato differentia. 371

Precarium duob. modis rogari & concedi poteſt. 372

Prælatus Eccleſiæ an poſſit feudum ab alio poſſeſſum alii cõcedere, priori adhuc ſuperſtite. 118. & 136

Prælatus feudum Eccleſiæ apertum conſanguineis ſuis dare. 118

Prælatus rem ſolitam infeudari & Eccleſiæ apertam retinere debet, & bonis Eccleſiæ incorporare. 118

Præſcriptio XXX. annor. patrona generis humani. 268

Præſcriptione quomodo feudum adquiratur. 264

Præſcriptionis requiſita, eorũq; explicatio. 265. & ſeq.

Præſcriptio feudi quãto tempore currat contra agnatos. 281

Præſcribere proprietatem feudi an poſſit vaſallus cõtra dominum. 270

Præſtat recurrere quam malè procurrere. 59

Pretium, cuius repetitio denegatur malæ fidei poſſeſſori ſiue emptori feudi inuito domino alienati, non fiſco, ſed Seniori adiudicatur. 349

Princeps obligatur etiã ſubditis ex ſuo contractu. 506

Principis requiſita. 9. & 37

Princeps eſt propter ſubditos. 59

Primogenituræ ius an in feudis obtineat. 217. & ſeqq.

Probatio, præſumptio & defenſio differunt. 556

Probatio duplex. ibid.

Probatio per ſcripturam [illegible]

modo fieri ſoleat. 573
Procurator an feuda dare poſſit. 124
Procurator an interuenire debeat in collatione feudi ſine inueſtitura dada accipiendaq;. 149. & 424
Prodigus non poteſt feudũ conſtituere. 116
Proprietates feudi. 92
Proprietatem feudi an poſſit vaſallus præſcribere contra Dominum. 270
Protectionis ius vt differat à feudo. 89
Pſeudomorio inſidiatur Friderici Imp. vita. 25
Pubertatis tempus in vtroq; ſexu idem apud Feudiſtas ſtatuitur. 423
Pupillus an poſſit res ſuas in feudum concedere. 114
an nouum feudũ cõſtituere poſſit. 115
Pupillus an feudi capax ſit. 126
Purgatio moræ an fieri poſſit à vaſallo qui inueſtituram debito tempore non petierit. 426.
Purgatio tribus fit modis. 577
Purgatio canonica quomodo fiat. 538
Putatiui liberi an ſuccedant in feudis. 220

Q.

QVerelam malæ tractationis poteſt vaſallus cõtra Dominũ inſtituere. 519

R.

RAtio inſtituti auctoris harũ partitionũ. 1
Ratio methodi in hoc opere obſeruata. 57. & 61 & ſeqq.
Ratisbonæ egit Fridericus I. comitia. 29
Reale ius in feudo competens tàm vaſallo quàm Domino quale ſit. 286
Receptatorum pœna 258
Reconuentio an habeat locum coram paribus Curiæ. 549
Reditus annui an in feudũ dari poſſint. 130
Res quæ in commercio ſunt ſolæ in feudum dantur, non etiã, quæ extra illud 130
Refutare poteſt vaſallus feudum inuito etiam Domino; & quæ ſit huius rei ratio, 327
Ampliationes huius regulæ. 327. cum ſeqq.
Limitationes eiuſdem regulæ. 330. cum ſeqq.
Refutatio an poſſit fieri deſcendẽtib. & agnatis. 332
Refutatio feudi fit iiſdem ſolennitatibus in contrariũ actis, quæ interueniũt in ipſa inueſtitura. 326
Refutationis effectus. 335.
Refutatione quomodo amittatur feudum. 474
Refutatio ſententiæ, quæ tenet, Feudorum vſum Reip.

Reip. eſſe pernitioſũ, 47. & alterius quæ negat feudũ eſſe contractũ. 99. & ſeqq.
Regis nudum verbũ plus valere debet, quam quoduis iuſiurandum. 376
Regem minori iuuare turpe eſt. 376
Regium nomen Romanis inuiſum, quare. 166
Regalis feudi à nõ-regali differentia. 105
Regalia an præſcribãtur. 268
Rei vindicatio vtilis vaſallo competit de feudo. 510 & ſeq.
an & heredibus eius detur. 512
Rei periphraſis.
Remedia quibus iuris feudalis difficultas curari poſſit. 53
Renouatio inueſtituræ quando, quoties, & cur peti debeat. 152
Repetitio grata & dulcis eſt etiam eorum quæ nouimus. 58
Repræſentationis ius in linea deſcendentium extenditur in infinitum. 231
Requiſita in magno principe. 37
Res ab alio poſſeſſa an poſſit alteri inueſtiri priore vaſallo & poſſeſſore adhuc ſuperſtite. 118. & 136
Res aliena in feudum dari poteſt. 132
Res communis an in feudum dari poſſit. 135
Res mobiles cur in feudũ regulariter nõ dentur. 129
Excepti caſus, vbi dari poſſint. 130
Reticentia vaſalli in recuperanda re Domini an vaſallo noceat. 419
Retentionis ius Sax. moribus competens viduæ vaſalli in feudis defuncti mariti pro dote, parap hernis, donat. propter nupt. & Morgengeba. 371
Reuerentia, quam vaſallus Domino debet, quinã ſint effectus. 287
Reuerentia vaſallititia an extincta cenſeatur feudo amiſſo. 291
Reuerß geben / eſt dare inſtrumentum Recognitionis. 311. (Zug. 306
Romana expeditio. Römer-
Ruſticus an feudi capax. 127.

S.

Saccus hiſtoricus. 588
Sacra res an poſſint in feudum dari. 131
Sacramentales quomodo iurent. 579
Sacramentalibus adhibitis iuſiurãdum an adhuc hodie obſeruetur vſu. 562
Sacramentaliũ adhibendorũ neceſſitas, cur aliquãdo remittatur Domino. 580
Salica lex conuenit in quibuſdam cum iure feud. 203

Saladini Saracenorum Principis legati ad Frid. I. 35
per Sanctos eorumq; reliquias an recte iuretur. 164. & 573
Sarisberienſis reſponſum ad Adrianum Papam. 24
Saxonici Ducatus inſignib. rutaceum certum *addidit Bernhardus Anhaltinus Princeps.* 31
Schraderi catalogus cauſſarum amiſſionis feudi. 390
Scriptura ſemper loquitur. 147
Scripturam an neceſſario requirat Inueſtitura. 147
Senator (ſiue Ancianus) enuntians arcanum in damnum communitatis ſua (d auß dē Rath ſchwaͤtzet) *remouendus eſt ab officio.* 413
Senior unde dictus Dominus feudi. 45
Plura vide in verb. Dominus.
Sentētia diſcrepantes de feudorum origine. 69. & ſeqq.
Sententia Iudicis eſt modus conſtituendi feudum. 283
Sententia per quam controuerſia feudalis deciditur duplex. 598
Sentētia in melius mutatio, ſemper laudabilis. 180
Sententia promulgatio quibusnam remediis ſuſpendatur. 598
Sermonis horror & ſtribligo cauſſa non poſtrema difficultatis iuris feudalis. 53
Seruus an feudi capax eſſe poſſit. 126
Seruus an poſſit eſſe teſtis in probatione inueſtitura. 148
Seruitus poteſt quidem feudo acquiri; an autem ei imponi quoq; poſſit, a nōnullis dubitatū eſt. 319. & ſeq.
Seruitia an teneatur Vaſallus domino ultrò offerre & praſtare irrequiſitus. 293
Sexagenarii de ponte. *Prouerb.* 302
Si ſciens fallo: *vetus formula iuriſiurandi.* 416
Si, *pro* an, *per Graciſmum poſitum.* 251. & 357
Simplices per Indiuidua ducuntur. 163
Simultanea inueſtitura qua dicatur. 159
Solemnia qua in actib. legitimis adhiberi ſolent. 141 & ſeqq.
Sollemnitas feudalis inueſtitura an requirat teſtes. 148
Sororem Domini vel Domina ſtuprans vaſallus an feudo priuetur. 461. & ſeq.
Spoletum cur Frider. Imp. euerterit. 17. & 20
Sollemnitates in inueſtitura & refutatione feudi eadē, ſed in contrarium acta interueniunt. 326
Sponſam Domini corrumpens Vaſallus priuatur feudo. 457

Sponſa quibus caſibus ſit eodem loco quo vxor. 457
Spurii in feudis non ſuccedunt. 196
Stare inſimul. 234
Stoicorum ineptia in Etymologiis. 78
Stoici ſunt maiores Iuriſconſultorum. Ibid.
Stupri metus grauior eſſe debet honeſto viro, quam mortis. 462
Subinfeudatio an valeat. 136 *quid a dotis datione differat.* 355. *tribus ſeruatis conditionibus fieri poteſt.* 321. *& ſeq. an etiam fieri poſſit de feudo Eccleſiaſtico.* 322
Subſtantialia feudi. 174
Succeſſio allodialis quid differat a feudali. 190
Succeſſio feudalis nõ eſt vniuerſalis, ſed ſingularis. 186
Succeſſio an in omnib. feudis locũ habeat. 183. *& ſeqq.*
Succeſſio in feudis quouſque fiat. 248 *& ſeq.*
Succeſſio coniugum in feudis an poſſit fieri. 251. *& ſeqq.*
Sumptibus propriisne an Domini vaſallus militare teneatur. 304. *& ſeq.*
Superficiariũ ius quid a feudo differat. 90
Superſtitum & Teſtium differentia. 148. *&* 567
Supponere vadio feudum nõ licet vaſallo. 364
Surdus an poſſit ſuccedere in feudis. 125
Suum cuiq; inſtitutum pulchrum. 61
Symbolorum quæ actibus legitimis adhiberi ſolent catalogus. 141. *& ſeqq.*

T.

Ταυτολογία vna eſt ex cauſſis difficultatis, & tadii iuris feud. 53
Temporis lapſu quomodo feudum extinguatur. 475
Terræ motus præceſſit Friderici I. mortem. 37
Teſtamento an feudum conſtitui poſſit. 284
Teſtari de feudo non licet. 187. *& ſeq.*
Teſtatũ, pro deſcriptione. 574
Teſtes aurib. tracti. 142
Teſtes in feudis regulariter eſſe debet Pares Curiæ. 568 *Exceptiones regulæ.* ead.
Teſtes in feudis quot interuenire debeant. 569. *& ſeq.*
Teſtes an poſſint cogi ad dicẽdum teſtimonium. 571
Teſtes iurare debent. 572
Teſtes an pertineãt ad ſollennitatem inueſtituræ feudalis. 148
Teſtimoniũ an Vaſallus contra Dominum dicere poſſit. 288
Teſtimoniũ an in feudis perhibere poſſint etiam fœminæ. 567
Teſtimonio vnius credẽdum non eſt. 569
Theilung deß Lehens auff

den Metzen. 354
Tranſalpizare quid. 306
Traditio Longobardis ſignificat proditionem. 467
Transigere de feudo an vaſallus poſſit. 324
Trewer Herr/trewer knecht/ Prouerb. 171.& 375
Tutor an feuda dare poſſit. 124.

V.

VAdio ſiue Guadio ſupponere feudum. 364
Vaſſi ſonant idem quod Baſſæ. 68
Vaſallus quid differat à donatario. 88
Vaſallus quando poſſit agere de Euictione. 133
Vaſallus abuſiuè inueſtitus propria auctoritate feudi poſſeſſionem ingredi atque apprehendere poteſt. 141
Vaſallus qualiter Domino fidelitatem iuret. 162. cũ ſeqq.
Vaſallus an poſſit Dominum, qui furioſus aut Tyrannus eſt, capiendum adiuuare. 169
Vaſallo an teneatur Dominus iurare. 171
Vaſallus non poteſt de feudo teſtari. 187. & ſeq.
Vaſallus an & quomodo poſſit feudum praſcribere. 264
Vaſallus an poſſit contra Dominum praſcribere proprietatem. 270
an libertatem ſeruitiorum feudalium. 271
Vaſallus an poſſit feudũ abſque conſenſu Domini & agnatorum alienatum præſcribere. 271. & ſeq.
Vaſallus an poſſit Dominum accuſare perduellionis crimen committentem. 288
Vaſallus non poteſt adigere Dominum ad iuſiurand. calumniæ. 289
Vaſallus an poſſit Dominum in ius vocare non impetrata prius venia. 290. & ſeq.
Vaſallus an teneatur vltrò accurrere ad ſeruiendum domino. 293
Vaſallus an in quouis bello Dominũ adiuuare teneatur. 294
non tamen bannitum ſeu excommunicatum. 295
Vaſallus an propriis, an Domini ſumptib. ipſi militare teneatur. 304. & ſeq.
Vaſallus an in expeditione pro Domino acceptum damnũ poſſit conſequi a Domino, vt ipſe id reſarciat. 305. & ſeq.
Vaſallus Imperatoris debet eum comitari proficiſcentẽ ad ſuſcipiendam coronam. 306
Vaſallus an teneatur contribuere pecuniam ad dotandam domini ſui filiã. 307
Vaſallus an cogatur Dominũ egenum alere. 308
an teneatur ſoluere æs alienum a Domino contra-

ſtum. 222. & 309

Vaſallus an cogatur Dominũ ab hoſtibus captum redimere. 310

Vaſallus quando excuſetur a neceſſitate ſeruitiorũ praſtandorum domino. 312. & ſeq.

Vaſallus quale ius in feudo habeat. 314

Vaſallus an poſſit vſumfr. in feudo conſtituere. 321

an ſeruitutem feudo imponere. 319

an refutare feudum remotiori agnato, absq; conſenſu proximioris nõ attenta gradus prarogatiua. 333

Vaſallus an nouum feudum refutare poſſit. 334

an poſſit feudum ſibi appropriare. 340

an in alium quam quem Dominus expreſſit in ſuo conſenſu, feudum alienare poſſit. 343

Vaſallus non poteſt feudum deteriorare. 336

Vaſallus non poteſt dare feudũ in Emphyteuſin. 360

Ampliatio huius regula. ib. *Exceptio eiusdem.* ibid.

Vaſallo ſine liberis virilis ſexus mortuo, nec aliis agnatus proximus ſuperſtitibus, feudum reuertitur ad Dominum. 385

Vaſallus an ob easdem cauſſas priuetur feudo, ob quas fieri ſolet exheredatio, diuortium & repudium, nec non reuocatio donationis. 393

Vaſallus interdictũ vnde vi intentans aduerſus Dominum an priuari poſſit feudo. 414

Vaſallus famoſam actionem aliquam inſtituens contra Dominum, feudo priuatur. ead.

Exceptio huius regula. ib.

Vaſallus petens inueſtituram poſt annum & diem, an poſſit moram purgare & pœnam caducitatis effugere, poſteaquam ceſſauit intra id tempus eam petere. 426

Vaſallus non auertens, quantum in ſe eſt periculũ vita, quod ſcit Domino imminere, priuatur feudo. 427

Vaſallus requiſitus ſi nõ praſtet domino ſeruitia, poteſt feudo priuari. 427

Vaſallus deſerens Domin. in pralio periclitãtem, feudo cadit. 428. (431

Exceptiones huius regula.

Vaſallus ſciens Dominũ mouere bellum iniuſtum, eum neq; adiuuans, ſed poſtea deſerens, an feudo priuandus ſit. 430

Vaſallus fugiẽs, ſed ſtatim tamen rediens opitulaturus Domino, an effugiat pœnam caducitatis. 431

Vaſallus occidens Dominum

feudo priuatur. 396
Ampliatio & reſtrictio huius regula. 397. & ſeqq.
Vaſallus atroci iniuriâ afficiens Dominũ priuatur feudo. 402. & 449.
Vaſallus amicitias copulans cum inimicis Domini feudo priuatur. 402. & ſeq.
Vaſallus duorum Dominorum hoſtilibus animis inter ſe diſſidentium, an vni contra alterum aſſiſtere poſſit absq; metu priuationis feudi. 404
Vaſallus Dominũ accuſans de capitali crimine, priuatur feudo. 406
Ampliationes regula. 406 & *ſeq.*
Exceptiones eiuſdẽ. 408
Vaſallus teſtimonium dicens contra Dominum priuatur feudo. 409
Exceptiones eius regula. ib.
Vaſallus delator Domini feudo priuatur. 410
Vaſallus ſecreta Domini enuntians priuatur feudo. 411. & *ſeq.*
Vaſallus aperiẽs litteras Domini an feudo priuetur. 413
Vaſallus inficians partẽ feudi, tantùm ea parte priuari poteſt, nõ toto feudo. 417
Vaſallus Dominum ab hoſtibus captum carceri incluſum non liberans, nec alens inopem pro quantitate feudi, priuatur feudo. 434
Vaſallus denegans Domino iuſtitiam, priuatur feudo. 434
Vaſallus feudum alienatum & traditum recuperans incontinenti an feudo priuetur. 443
Vaſallus contraquẽ teneatur Dominum adiuuare. 296
Vaſallus an debeat Dominũ etiam contra ſeipſum adiuuare. 297
an contra patrem. 298
an contra filium. 299
an contra fratrem. 300
Vaſallus Comitis vel Baronis an teneatur eum adiuuare contra Principẽ. 301
Vaſallus an poſſit Domino ſeruire per ſubſtitutũ. ead.
Vaſallus alienans feudum eo priuari poteſt. 440
Exceptiones x. ab hac regula. 440. cum 7. *ſeqq.*
Vaſallus qui feudum alienauit ignorans aut dubitãs, an pœnam priuationis incurrerit. 440. & *ſeq.*
Vaſallus proditor ſiue traditor perdit feudũ. 467
Vaſallo quæ competãt actiones ſuper feudo. 510
Vaſallus agere poteſt contra Dominum, qui inſolita & indebita ab eo exigit ſeruitia. 519
Vaſallus qui poſſit Dominũ feudi deprædari & bona eius

ius diripere. 520
Vaſallus abuſiuè inueſtitus an poſſit agere contra tertium poſſeſſorem. 532
Vaſallus non debet permittere vt feudum ſuum ab alio vſucapiatur. 371
Vendere feudum an poſsit vaſallus inuito Domino. 346
Veniæ petitio an vaſallo contra Dominum agere volēti ſit neceſſaria. 290
Verbum pro integra oratione vel ſententia. 162
Veſtigen */eſt firmare.* 134
Veſtibulum ſplendidum cuiuſque rei ſtatuere òportet. 307
Vidua vaſalli iure Saxonico habet ius retetionis in bonis feudalibus mariti defuncti pro ſuis bonis dotalibus & paraphernalibus & don. propter nuptias & Morgengeba. 371
Viduam Domini corrumpens vaſallus an in pœna priuationis incidat. 458
Vindicatio in l. 7. his ſolis, C. de Reuoc. don. *non ſignificat vindictam (vt clariſsimi viri nõnulli voluerũt) ſed rei vindicationem, ſiue in rem actionem.* 512
Viritim diſtribuere. 241
Vis bellica an ſit modus conſtituendi feuda. 283
de Vitæ genere deligendo deliberandum diu, quod ſtatuendum ſemel. 223
Vltima voluntate an poſsit feudum conſtitui aut relinqui. 187. *in ſeq. &* 284
Vniuerſalia ſunt obſcuriora. 163
Vocabula ſunt rerum ſymbola & notæ. 78
Vocabulorum deductio ſæpe luſus eruditus ingeniorum. 78
Vnde, *id eſt*, de quâ. 144
Vſucapionis permiſsio quare vaſallo interdicta. 371
Vſusfructus à feudo quid differat. 82. *& ſeq.*
Vſufructuarii a conductore differentia. 386
Vſu ſori recepta exterminare aut mutare difficile eſt. 373
Vtilis rei vindicatio competit vaſallo. 510. *& ſeq. an etiam vaſalli heredibus competat.* 512
Vulneris qualitas quomodo æſtimanda. 429
Vxor an poſsit marito dotem in feudum dare. 227 *&* 252. *an maritum rectè inueſtiat.* 127
Z *ηπλωκὸν eſſe, nota bona indolis.* 57.

FINIS INDICIS.

CORRIGENDA.

Pag.6.ỷ.27,ἀμύνασθαι. 42,27,*videtur.* 43,4,*ſcopus hic.* 47,verſ vlt. *de facili.* 51,4.*electoi & euectos.* 54,17,*abſq; rec.* 64,9,*ne πιερος.* 68,11,*Tandem.* 70,15,*limitib.* 71,1.,*Gregor.* 77,2,*Feodum*,vel *Pheodum.* 79,31, *Donationem.* 80,37,*qua.* 86,13. dele,*re.* 112,15,*liberum.*ib.35,*Non ig.*ib.37,*pateat* 117,35,*unde hoc* 122,24,*qui &* 123,1,*à quo.*ib.37,*hæ per.* 124,4,*poſſunt.* 126,12,*acquiritur,* ib.22,*Hic.* 127,20,*imputare deb qui ſc.* 129,28,*probant.* 135,26,*etiam ad.* 138,7,*tantum nominat m.*ib. *Quocunq;.* ib.l.vlt.*longiſsimi.* 141,32,*tradito.* 143,5,*ſurculum,*ib 22.*iactum.* ib.verſ.pen dele,*de.* 145,29,*quædam* 148,1,*abſint.* 149,9,,*pro vx* 150,38,*feudi.* 15 ,2.dele,*Qui cond* 154,verſ.pen, *abſq; præiud.* 155.34,*varius.* 160,21,*ſit fac.* 161,18,*ſeme* ib.33.*hoc iusiut.* 165,27,*aliquando iur.* 16 ,verſ vlt.*num* 168,7,*quantocyus*, ibid. *Atqui* 171,16,*eos fides recip.*ibid 29.*ad tit.*7. 173,3 ,*ſit?* ib.34 *ex I.* 175,3 ,*velint.* 177,16,*Diction Feud.* 179,5,*de l.commiſſ* 180,32. *Quid quod &.* 18 , 7.*Ludolph* 18 ,verſ.vlt.*caterosq;.* 184,3. *de iniuriis.*ib.24, *amiciores.* 185,7,*Baſſarum.* 187,35.*captatoribus.* 188,4,*præl.* 189,26,dele,*ſed.* 19 ,2 ,*Volne.* 193,22,*hoc* 194,6. *quom.hi,q* 196,6,*ius.*199,*Quia t.* 203.5, *lib.*1.*Feud.§.hoc a.not.*ib. 11.*qua.* ib.12.*iure ſ.*204,1,*Et n* 205,5, *heredū.* 207,35,*ſeparabimus.* 205,22,*notandum.*ib.34,*patrii.* 210,12,*ſuccedant.* ib.15,*excol.*210 3. *At,*ib.35,*mutari.* 211,34,*ſoleat recedi* 212,28 *concedens.* ibid 29. *cui vaſ voluerit.* ib.35, *cum.* 213,4,*feudi ſit, vtra,* ib.9, *poſſeſsionem auoc.vel qui.* 214,22,*quod eſt ap* 218 28 *contingens non deb.retrotrahi* 22 ,35,*filio.* 223.19,*cauſſ.*23. 233,22,*à frat.feud.ſuc.* 238,24. *in mixtu fratres de f.* 239,18, dele,*Primus.* 240, 30, *edito.* 241,4. *Aniano.* 248,31,*geniculum,*ib.38.*Genic.*pro, *Seniculum.* 258,30,*re-optatorum.* 272,10, *habere.* 274,32, *mala fides poſſ.* 277,23, *adſunt rationes m.* 287,26,*hinc.* 291,37,*ſiue.* 298, 26,*tecte.* ib. 35,*ſic limit.* 330,38,*callide.* 337,16 , *hæſitanter.* 340, 8,*iure feudi c.* 341,37, *alienatum;p.re* 345,22,*transfertur,*ib.31,*ſeparatum.* 347, 23, *Imperatori.*ib.3 .*neſcit.*350,12,*volenti.* ib.31, *iudicio vicem*, ib. verſ. vltim. *quæritur.*352,4,*reliquis,*ibid.*fuerit vſurp.vt ſc.diuidi poſsint.*353,1, *pacto non ob.*ibid.35, *I C. & aliis bonis auct.* 354,10, *expediri*, ibid, 29. *Dicip.*ib.35,*dominum.* 355,1,dele , *inuito,*ib. 18,*præcipua,*ib. 19. *cauſſæ,*ib.37.*gener.* 356.21,inſere,*aliud de eo quid ſit honeſtum,quærere.* 358,18,*Antipherna.* 364.24. *Gladia* , ib. 35,*valuerit* 375,31 *transtuli.* 377,1,*vaſallo* 378,7,*competunt.* 380,19,*per ſe,*ib 20, *maioris.* ib.22 ,*per ſe.* 38 ,1,*I.Clarus* 384,22,*collectanis.* 385 1,*de hac q.*403, 21,*Theog gnomis.* 412,30,*vaſalione.* 442,23,*ſuſp endat.*ib.35, *proteſt.* 450,7,*debuiſſet.* 460,11,*Poſitiui.* 477,37, *alicui ius.* 479,13,*contingentes* 494,11,*fundus feudalis.* 497,25,*Emponemata.* 499,2 . *Præpoſitus.* 503,39,*Perſonam.* 529, 4,q. *quadrageſima ſecunda.* 547. 8,*par.laudata d.* 551,23,*aduocatorum.* 552,16,*cuiusq;,* ib. *numeru.* 554,9,*pari.*ib.21,*ac.* 555,21,*manere.* 556,16,*afflictio,*ib 24,*inſig.*557. 1,adde,*debeat.* 558, 8,*cōpromiſſum,*ib.27,*perhib.*ib.28,*Nam t.* v. vlt. dele,*non ipſi.* 561,3,*deciſus.* 562,25,*præſtari.* 563,3,adde,*ad.*ib.24. *iure.* 564,23,*commentatur.* 565,10,*oratio.*ib.18,*h.v,vel illas.*ib.27. *Quem. enim.*ib.28,*vagari.* 573,8,*Longobardi.* 575,27,*Feid.*584,16, *ignitum.* 586,14,*locum,n.* 587,18,*perpeti.* 588,18, adde,*illis.* q.p. 589,28,dele,*etiam.*

OMIS.

OMISSA.

P.57.poſt,honeſtũ eſt habitũ.] adde, *Vnde Vincentius Lirinenſis Cõmonitorii part.1.præcepit recte: Eadem quæ didiciſti, ita doce, vt cum dicas nouè, non dicas noua.*

P.96.poſt Obertum.]adde:Quib.& hoc poteſt addi, *Feudum eſſe vocabulum (vt Philoſophi talia vocant) ab vno. In huiuſmodi autem vocabulis ſæpè vna ſpecies eximia definitur, ad quam cæteræ analogiâ quadam referuntur.*

P. 107. Vid.Phil.Camer.Medit.hiſt.]*add.Cent.1.*

P. 127. ad quæſt. 10. adde: *Eſt autem Hermaphroditus, vt eleganter deſcribit Ioan. Sariſberienſis cap. 10. libr. 5. Policrat. qui quodam delinquentis naturæ ludibrio ſic vtriusque ſexus oſtentat imaginem, vt neutrius retineat veritatem.*

P. 169. Ante verba:quem ſic Latin. pone: *εἴποτε βου-λεύσαιμι φίλῳ κακὸν αὐτὸς ἔχοιμι.*

P. 207. æquè ac mares.] adde, *l. 4. maximum vitium, Cod. de liber. præterit. l. 14. C. de legit. hered.*

P. 210. legem dicere poteſt]adde,*quam vult.*

P.220.putatiui]add.*qui vocantur.*

P.226. vitam exhibere] adde: *Ita Cyprianus in De orat. Dominica exhibitionem & tegumentum vocat, quæ Apoſtolus 1.Tim.6,8. διατροφὰς καὶ σκεπάσματα.*

P. 260. ſua Regalia.] adde: *Neque minus eſt celebris arx ob ius Ganerbinatus, quod habet Reiffenberga, infra Francofurtum ſita,*&c.

Ibid.Erbeinigung]add *ſiue* Erbverbrüderung.

P. 290. Weſemb. in parat.]præpone: *Ioan.Sichard. conſil.Feudal.8 per totum.*

P. 312. ſi dominus]adde,*ex iuſta cauſſa.*

P.336. De alienat.feudi lõg]præpone interrogation. *D. de alienatione feudi quid habes dicere? M.*

P. 339. & alii]adde:*ex eadem gente.*

P.466. ad finẽ quæſt.114.adde *auctoritatem And.Tiraquelli in Tract.De pœnis.*

P. 542. poſt, c. 12. ſi dilig. de for.comp.] adde: *Et de Exemptione clericorum ex profeſſo ſcripſit Ieſuita Bellarminus.*

c 2

OMISSA.

Ad P. 587. proximè ante Duelli definitionem inſerantur iſta:

Nec verò ſoli Longobardi aliique Germani hunc morem habuerunt dirimendi armis controuerſias, ſed reperio etiam apud Ombricos idem expediendarum litium remedium in vſu fuiſſe. Sic enim Nicolaus Damaſcenus, magnæ quondam apud Aug. & Herodem Regem auctoritatis hiſtoricus, de illis ſcriptum reliquit in libr. De moribus Gentium: Ὀμβερικοὶ ὅταν πρὸς ἀλλήλους ἔχωσιν ἀμφισβήτησιν, καθοπλισθέντες ὡς ἐν πολέμῳ μάχονται· καὶ δοκοῦσι δικαιότερα λέγειν, οἱ τοὺς ἐναντίους ἀποσφάξαντες. hoc eſt: *Ombrici quum inter ſe controuerſias habent, pugnant armati, ac ſi bello congrediendum eſſet: & videntur iuſtiorem habuiſſe cauſſam, qui aduerſarium interemerint.*

CARMINA ENCOMIASTICA OPERIS HVIVS PARTITIONUM Feudalium

C. R.

ELEGIA

IN PARTITIONES FEVDALES
Magnif. & Clariſſ. Viri

D. CVNRADI RITTERSHVSII. IC. ET ANTECESSORIS.

Magna fuit quondam Romani gloria Iuris,
Cum ſtarent firmo regna ſuperba gradu,
Cum cecidêre, tamen leges æquiq; boniq;
Lumine, & immota nunc ratione valent.
Quæ propria imperii ſunt, propria gentis & aui,
Hæc cum temporibus præteriêre ſuis.
Sacra, magiſtratus, reſpublica, totq; Palatii
Munera, & vrbanæ plurimus ordo togæ:
Pulcra quidem ſcitu; ſed tempore deſita noſtro,
Nec niſi ad antiquas vtilia hiſtorias.
Quæ velut euerſi palantia membra coloſſi
Voluimus, & toto noſcimus ingenio.
Ius aliud, legesq; nouas, formamq; recentem
Intulit Europæ Mars Alemannus ouans.
Officia en feudis cedunt, vaſſisq; clientes;
Banna ſecurigeris faſcibus ante micant.
Curia Roncalius cedit, putealq; Libonis:
Atque Pares Centum plus valuêre viris.
Mucius aſſurgit Gerhardo, Paullus *Oberto:*
Et tu cum ſociis Triboniane *tuis.*
Legibus vtendum præſentibus, ipſa vetuſtas
Tempeſtate illa ceu fuit vſa ſuis.
Splendida materies, & multo nobilis vſu
FEVDORVM, *haudq; caret ipſa lepôre ſuo.*
Quam ratione nouâ dum ſic partiris, & ornas,
Promis & ingenii multa reperta tui,

Grata facis patriæ, & ſtudiis, CVNRADE, *iuuenta,*
Et gentilitio nomine digna tuo.

MARQVARDVS FREHERVS. IC.
Elect. Palat. Conſiliarius, & tunc apud Polonos Orator, ludebat Cracouiæ in Regni Comitiis, XVII. Februar. an. MDCIII.

AD CVNRADVM RITTERSHVSIVM IC.

NAte domo, (nec enim nomen mentitur) equeſtri,
Nate, ſacris quando paſſim pulcro ordine cælum
Ignibus ardebat. nec enim qui plebis ab ortu
Sidereve auerſo vidiſſet tela diei,
Tanto animo foret, aut tam diuinâ ingenii vi.
Te puerum Graio, te lotum fonte Latino
Aonides, Phœbi, Tritonidi, iuſſa ſecutæ
Tradiderunt: quæ te primo ſub flore iuuentæ
Diſciplinarum genere omni Virgo poliuit.
Sed neque te deinceps Diua inuidêre Themiſti.
Ipſa tuam mentem per cuncta negotia traxit,
Et voluit veterum tabulas peruoluere Legum:
Cauſſarum dubia vt liquidò componere poſſes,
Et malè contextas dextrè reſcindere lites:
Quaque viâ diſcens & agens feliciter iſſes,
Illâ eâdem iuuenum præſtantum ducere turmas,
Signa relaturas ſimili victricia pacto.
At tu, quæſo, penu de doctæ diuite mentis
Prome, quibus rudium benè formes pectora primùm:
Quæque graui & magna de re, quam dictio ſignat
Barbara, diſtinctè, cum confuſa antè fuiſſent,
Scripta domi ſeruas, in apertum tempore profer,
Et rem præcipuam regnorum, & nobile nomen
Feudi, cum Latius ignorauêre Pelaſgi:
Nonnihil expreſſit de re ſapientia Cyri,
Præmia cum tandem ſuperato ex hoſte triumphans
Victor diſtribuit Perſis Babylonia rura:
Quæ ſibi, quæ ſoboli, iam felix, Satrapa haberet,
Quiſque memor quoſuis inimicos limite ab ipſo

Pelle-

Pellere, & vlterius fines extendere regni,
Nec dubius iam pro patria profundere vitam,
Impauido curâ depulſâ corde pericli.
Hoc fidei eſt: a quo Feudum, quòd regibus illos
Eſſe decet fidos, fretos virtute magiſtrâ.
Non nego: ſed quando materna idioma loquelæ
Intueor, feudo mihi Præfectura notatur.
Nam ſimul officium dẽſigno & commoda feudi.
Sed quid ago? Tu fac, norimus vt omnia feudi,
Ne dici quicquam poſthac poſſitque requiri,
Quin promptum ingenio nobis oſtenderis antè.
Sed neq; cenſurâ dubites te credere magni
Guelphiadæ, quòd eum Themis ipſa, quod ipſa Minerua
Erudiêre ſatis, quodque idem talia noſter
Aſſiduò tractat Princeps. hoc indice certo
Vndique ſe rutili prodet vis pura metalli.
Quin, ſi quid video, palma gaudebis in ipſa,
Quando Dux ſapiens deprenſum mente ſagaci,
Ad rem quod valdè faciet, te fortè monebit.

HELMÆSTADII in Academiâ Iuliâ Idib. Octobr. natali inclyti Ducis Henrici Iulii cIↄ Iↄ cI.

Ἰω. Κασῆλιος.

IN PARTITIONES FEVDALES *Cunradi Ritterſhuſii Epigramma*

IANI GRVTERI.

QVis neget, exigua nuce clauſum opus illud Home-
Troiaca quod Graio carmine facta canit? (ri,
Quisve Syracoſium vitro non credat in arcto
Compegiſſe ſenem templa nouena Iouis?
Cum tu materiem Feudorum ingentibus olim
Quem vix claudebant iſte vel ille libris,
In tabulæ, Ritterſhuſi, compegeris orbem,
Et totum conchâ ceperis Oceanum.
Macte hoc ingenio, macte his, eia, artibus; ipſa

Pro quibus indulget iam modò Fama tibi,
Eius vt aſſumptis volites totum æthera pennis,
Triptolemiq; modo, non noua farra feras;
Sed plauſus fauſtos, illibatosque fauores;
Millecuplos fructus vnde ſubinde feras,
Donec vtrumq; ſuis complerint meſſibus orbem:
Imò ipſis orbis non ſit vterque ſatis.

IN TRACTATVM FEVDAlem CL. V. Cunradi Rittershuſii Iuriscons. & Acad. Altorph. Anteceſſoris.

DE FEVDIS multi ſcripſerunt tempore noſtro
Et priſco autores, non ſine laude ſua,
Communique bono. Sed qui tali ordine tantas,
Ceu face noctiuaga diſpulerit tenebras,
A Rittershuſio non ſeſe oſtenderit alter:
Hoc quo Muſarum iure triumphat honos.

SCIPIO GENTILIS IC.

IN CL. V. CVNR. RITTERSHVSII IC. PARTITIONVM FEVDALIVM ἀποτέλεσμα μεθοδικὸν, OMEN GEORGII REMI IC. Conſiliarii & Adſeſſoris Norici.

PRincipis eſt, quem compellas, dare feuda vaſallis;
De Feudis, CVNRADE, tuum eſt dare & edere libros.
Da tu, vt det; Iuſte ſic contrahis: idque probatur
Iuri: adeò in Leges nihil optime, peccas.
Da, quod de Feudis conſcripſti, pegma Dynaſtæ;
Forſitan hic Feudo dignum te iudicet, æquus
Arbiter, & faciat (potis eſt; velit, ille) vaſallum.
Audin' tu, vt Phœbus dextrum mihi ſternuat omen?

IN

IN PARTIT. FEVDALES CVNRADI RITTERSHVSII. IC.

Norici Anteceſſoris, & pro tempore Rectoris,

ODARION,

MATTHIÆ HVBNERI. IC.

CVNRADE noſtræ grande decus Scholæ,
Et magna certè pars animæ meæ,
Plenis honorum te poëtæ
Carminibus ſuper aſtra tollent:
Quòd perpolitos & varios tui
Fructus tuliſti iam ingenii, & modò
FEVDISTICI IVRIS libellum
Edis, ad inuidiam probandum.
Nos ſcripta tanta hoc pertenui ſtilo
Nunquam feremus: dum prohibet pudor,
Præ vatibus veris, ineptè
Magna modis tenuare paruis.
Sed te colemus, queis aliis pote
Hoc eſt modis: at carmine ceteri
Laudemq; & optatum laborum
Grande tibi decus arrogabunt.

HVLDRICHI BVCHNERI P. L.

in Conradum Rittershuſium Luſus anagrammaticus triformis.

RHetora flexanimi Suadâ, Muſaq; Poetam,
Et ſubolem Eunomie te reor eſſe ſatum.
Arduus es rhetor, ſic te Pitho inſtruit, *vnus*,
Eloquio Muſæ conſilioq; Themin.
Eunomie tecum *durat, ſi curris honeſtus*
Virtutum in ſtadio iuſtitiæq; foro.
Serius & *ſerus tuus hinc* ſit oportet vt *ardor*,
In tàm ſollertes quas colis arte Deas.

AD C. R. PARTITIONES SVAS FEVdales edentem.

COnſtituisne nouum feudum? feudum vetus anne
  Chalcographis, dicam, Te renouare typis?
In dubio mens eſt: ſed pronius illud habetur,
  Te planè feudum conſtituiſſe nouum:
Non quaſi Doctorum veterum, noſtrumve nouorum
  Perditum eas, libris his, monumenta, tuis:
Sed magis in rectas, vt perpulcro ordine, parteis,
  Non imitabiliter ſingula feuda ſeces.
Haud me fatidicum iacto, tripodisve potitum,
  Hæc tamen vt digitos, cerno futura, meos.
RITTERSHVSIADES equitum domus auratorum
  Audiet, in qua habeat, Pallas, Apollo, Themis,
Innumeroſa cohors, cui ſe addixere clientes,
  Hoc RITTERSHVSI quos opulentat OPVS,
Queis ſi fortaſſis maleſanus & irrequietus,
  De tantisdonis, bella parare velit.
RITTERSHVSIADEN calamo & mox ore citabunt,
  A quo præſidium mente ſagace petent,
Hocq; volabit opus, victura per atria famæ,
  Dum feudi Dominus, dumq; vaſallus erunt.

ADAMVS GOLDEVSEN Francus faciebus Spiræ.

Τεχνοπαίγνιον.

IOANNIS CHRISTIANI STRECKERI Iuris Studioſi celebrans Emporium FRANCOFVRTENSE, & quoſdam libros à SCIPIONE GENTILI ac CVNRADO RITTERSHVSIO collegis, Profeſſoribus Iuriſprudentiæ, præceptoribus ſuis cariſſ. editos.

NOTAND *In omnibus huius carminis verſibus hexametris extremam dictionem de induſtria monoſyllabam eſſe poſitam, idq; exemplo* Auſonii.

FElix præ reliquis Germanidos vrbibus eſt vrbs
  Hæc quæ à Francorum eſt nomen adepta vado.

Totius

Totius Europæ, namq; illic congeritur merx,
Omnemq; Europam deniq; merce replet.
Quicquid habent Arabes, atq; Indi, & veſtifluus Ser,
Expoſitum mediis hic ſtat vbiq; viis.
Verum alias ne commemorem ſummi pretii res,
Librorum hic quanta eſt copia viſa mihi?
Non tot in Ægypto Ptolemæus quondam habuit Rex,
Cuius magna tamen bibliotheca fuit.
Quam bene, quod nobis tam fœta reperta fuit ars,
Hac re vt poſſimus vincere Regis opes?
Tanta eſt vtilitas preli, tam magna rei laus,
Laudata vt fuerit nullius ore ſatis.
Namq; hinc nunc paſſim lucent mundi alma velut fax,
Quotquot ab ingenio aut arte fuere boni.
Hinc lingua atq; hominum doctorum hinc omne ſonat os,
Doctrinaq; replet ſolis vtramq; domum.
Hinc mutum pecus Oppiani, hinc & odora canum vis
Perſonat omne fretum, perſonat omne nemus.
Hinc ſua Guntheri *iam doctius arma canit Mars,*
Vtraq; Cunrade, eſt lausq; laborq; tuus.
Hinc diſcit Feudi *ſeniorq; cliensq; ſuum Ius,*
Mutuam & inter ſe dant capiuntq; fidem.
Hinc inopi ſeruat legata Alimenta pium Fas,
Gentilisq; *docet Tranſigere an liceat.*
Idem ille Imperii deſcribit quis modus aut ius,
Et labyrintheas detegit arte vias.
Et coniuratos docet idem quanta agitet fax,
In Regumq; ſacrata armet eos capita.
Pergite præterea, quæ veſtra eſt ingenii dos,
Et ſimiles nobis cudite ſæpe libros.
Hinc, gemini ô duo Iuris aſyla ô lecte virûm flos,
Poſteritas veſtrum nomen ad aſtra feret,
Altorfiique Lyceum olim, modò iniqua ſinat fors,
Præ reliquis ſtabit nobiliore loco.

Marpurgi Cattorum.

NOBILISS. VIRIS, AMPLISS. ET REVERENDA DIGNITATE,

Sapientia prudentiaque eximia conſpicuis,

D. IOANNI IAGEMAN in Gottingen & Hardegſen, Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Principis ac Domini,

D. HENRICI IVLII, poſtul. Præſulis Halberſtad. Ducis Brunſw. & Luneburg. &c.

Cancellario digniſſimo.

NEC NON

D. IOANNI ab VSSLAR, eiuſdem Principis Conſiliario intimo, & Eccleſiæ Collegiatæ Montis S. Cyriaci apud Brunſwigam Præpoſito meritiſſimo:

Dominis & fautoribus ſuis omni obſeruantia colendis, S. P. D.

C. R.

N*On ſine exemplo bonorum hoc facio, Viri Nobiliſſ. & Ampliſſ. quod poſteaquam vniuerſo operi Mæcenatem delegi, cuius in clientelam*

lam ac patrocinium, & me & fœtũ ingenii mei conferrẽ, deinde ſingulas quoq; eius partes aliis peculiariter & ſeparatim inſcribo. Quare probabili iſtius facti cauſas ab alto repetere & prolixius reddere nũc nõ laborabo; ſed quaſi id mihi abſq; controuerſia liceat, ad rẽ ſtatim accedã. Editurus haſce Partitiones, cũ eas Principi noſtro Clementiſſ. vniuerſim dedicaſſem, à Feudorum quàm plurimorum Domino & Vaſallorũ ſiue clientulorum Seniore ad aliquos ex ipſius Celſit. Fidelibus non incommodè mihi videbar, neq; abſurdè tranſitum facturus, tãquam à coniuge videlicet ad coniugẽ. Præclare namq; illi & ſenſiſſe & locuti eſſe mihi videntur, qui Dominũ vaſallo coniugẽ eſſe dixerunt, *eâdem nempe orationis figurâ, qua & D. Paulus Timotheũ, doctor* diſcipulũ & diuini operis fidelem *σύνεργον atq; adiutorem σύζυγον γνήσιον ſalutat, dulciſſima appellatione. Etenim quam fidẽ ſibi inuicem debent coniuges, qui omnis vitæ ſocietatem indiuiduam contraxerunt, diuinæ humanæq; domus facti participes: eandem ferè & Vaſallus Domino ſuo debet, & vaſallo Dominus, qui ei in omnibus vicem reddere tenetur.*

De hac obligatione mutua & variis illius capitib. atq; articulis, omniq; Feudorũ iure (quoad eius capaces eſſe videbãtur auditores noſtri, quorum in gratiã primũ hæc à me ſuſcepta eſt ope-

ra) duobus hiſce libris nouâ quadam tractationis formâ diſſerendum mihi exiſtimaui.

Et hunc quidem priorem librum vobis, viri Nobiliſſ. & Ampliſſ. libens merito volui nuncupare, vt hac ſaltem ratione reſponderem inſigni veſtræ erga me beneuolentiæ, quam mihi quâ literis, quâ ſermonibus cum aliàs, tum proximi anni auctumno, quando iuſtis patri meo Baldaſari p. m. factis vos inuiſebam, declarauiſtis.

Rogo gratum habere hoc officium, mihique porrò fauere velitis: quod ita vos facturos, planè mihi perſuadeo atque confido, cum te, Ampliſſime D. Iagemane, Cancellarie Magnifice, in iure Ciuili Doctorem quondam habuiſſe in Illuſtri Acad. Iulia recorder: Te verò Reuerende & Clariſſ. D. Vſlere, Præpoſite meritiſſime, amicum paternum gratiſſimo animo recognoſcam. Valete Ampliſſimi Domini. Altorfii in Acad. Noribergenſi, menſe Martio Anni cIↄ. Iↄ. cIII.

NOBI-

NOBILISS. ADOLESCENTIBVS, D. THEODORICO ET HenricoBlumiis, Equitib. Holſatis, Conſalaneis ſuis gratiſſ.S.P.D. CVNRADVS RITTERSHVSIVS.

QVod vobis non ita pridẽ promiſi per Studiorum veſtrorum moderatorem Bartholomæum Iuſtum Hamburg. amicum meum, quodque non adeo ingratum fore cognoui; id nũc preſtó, Nobiliſſimi BLVMII: nempe vt in iſto Partitionum Feudalium opere partẽ aliquã habeatis. Dono vobis Orationem hanc de magno Imp. quam Feudali doctrinæ pub. premiſi: Et hac ipſa dedicatione nõ tralititiẽ id ago non ſolum vti conuictus noſtri & iucundiſſimæ cõſuetudinis qualecunq; monumentũ à me auferatis cũ in Gallias ibitis, verum etiã vt pro telo vobis ſit hæc mea compellatio publica ad perſequẽda tanto alacrius maiorũ ſplendidiſſ. veſtigia, quæ premere atq; inſiſtere iam cœpiſtis. Id fiet, ſi ſtudia cum alia, quæ humanitatis nomine cẽſentur, tum

ciuilia & Iuriſprudentiæ, in quibus hoc breui tempore ſatis iam præclarè profeciſtis, adamare & excolere perrexeritis. Quæ res, mihi credite, erit vobis maximo & ornamento & adiumento ad quãcunque vitæ partem. Noſtis illud vetus effatum: διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα, id eſt, *Quotquot didicêre litteras, duplum vident.* Id veriſſimè dictum eſſe, reipſa experiemini. Ego pluribus explicarẽ vobis, niſi me iſtö labore ſubleuaret tũ veſtra ipſorum intelligentia, tùm eius quem ſupra dixi fidelis inſtitutio & quotidiana exhortatio, quam vobis adhibet. Maiorum quoque veſtrorum exempla domeſtica, ad quorum imitationem vos voco; (imò in quæ intuentes, quæ æmulãtes collaudo) hîc illuſtrarẽ oratione mea, niſi ſplẽderent ipſa per ſe, & viderer vobis pariter & aliis cum in terra Cimbrica, tùm alibi paſſim per Europam notiſſima velle prędicare. De BLVMIIS nulla vnquã litterarum monumenta conticeſcent. Veſtrum eſt illuſtria decora familiæ veſtræ non modò conſeruare, verùm etiam pro virili augere,

Et propriis famam generis protöllere factis.

Valete felices, & ex huius etiã orationis lectione aliquid excerpite quod ſit ad virtutẽ. Altorfii menſe Martio ineunte, Anni CIↃ. IↃ. CIII.

ORA-

1

ORATIO CVNRADI RITTERSHVSII BRVNSVIC. I. C. DE FRIDERICO I. IMP. COGNOM. *Barbaroſſa* ſeu *Ænobarbo*.

ABſolutis Inſtitutionum Imperialium enarrationibus, quas in hac Academia per iſtos IX. annos quinquies, quà priuatim quà publicè, non ſine ſtudioſorum Iuris fructu habuiſſe lætor & glorior, deinceps ſucceſſori meo D. MATTHIÆ HÜBNERO viro doctiſſimo velut lampade tradita, aliud curriculum ingrediar, ſic volentibus iubentibus Agonothetis & Deſignatoribus noſtris (Ampliſſimos, & Prudentiſſimos huius Academiæ Curatores dico) atque in Pandectarum Iuris explicatione diligentia noſtra verſabitur, ſeligendis vnoquoque tempore iis titulis ac legibus, quarum maximus eſt vſus, quæque materias ad noſtros mores quàm maximè accommodatas complectuntur.

Sed priusquam ad illam mihi de conſilii ſententia adſignatam prouinciam obeundam me accingam, conſtitui velut quodam à Iure ciuili Iuſtinianeo quæſito diuerticulo in iure beneficiario,

quod poſt Iuſtinianum aliquam multis ſeculis natum eſt, & vulgo Feudale ius, *ab Hotomanno, aliisque Feudiſticum vſurpatur, proximis aliquot menſibus me occupare, & iis qui me audire volent,* Partitiones *quaſdam* Feudales *tradere. Neque id vel abſque ratione à me fiet, vel ſine conſenſu & approbatione magnorum atque intelligentium virorum, in quibus & Clariſſimi coniunctiſſimique collegæ mei iure meritoque numerantur. Cum enim feudis & bonis feudalibus, vel in gente noſtra Germanica (à quâ, vt alias videbimus, feuda primum nata ſunt) vel apud alios populos (qui id à Germanis mutuati in ſuos quoque mores receperunt) nihil ſit frequentius, nec pauciores aut leuiores de feudis, quàm de allodiis ſeu propriis ac patrimonialibus bonis controuerſiæ oriantur: quis non videt, neminem Iuriſperiti nomen tueri, neminem conſultoribus ſuis reſpondendo, cauendo, patrocinando ſatisfacere poſſe, qui non huius quoque Iuris, quo tam crebrò vtimur cognitionem cum iuris ciuilis notitia coniunxerit? Quare quod in omnibus benè conſtitutis Academiis rectè atque ordine fit, vt nonnunquam Feudalis aliquis Tractatus proponatur ſtudioſis, quodque in hac ipſa noſtra Schola antehac non ſemel ab aliis factum meminimus, idem nunc à nobis quoque inſtitui, quis iure reprehendat? Verum inſtituti noſtri rationibus reddendis hoc loco diutius nō immorabor, quando me vobis omnibus id ſatis probaſſe confido. In eo potius mihi in præſentia elaborandum intelligo, ne illotis manibus, nullaque habita præfatione hoc quod dixi argumentum tractandum ſuſcepiſſe videar. Cogitanti itaque mihi, quid ex tanto rerum cumulo*

cumulo tantaque varietate, quæ ſe offerebat, potiſſimum eligerem, de quo ad vos [Magn. Dn. Rector, Generoſi DD. Barones, Nobiles & lectiſſimi ſtudioſiſſimique iuuenes] *verba facerem in hoc tempore, in mentem venit, vnum aliquem ex iis principibus, qui de Feudis iura condiderunt, & conſtitutiones ediderunt, in hoc ampliſſimum Theatrum producere, non quidem ab inferis reuocatum, aut è mortuis excitatum, (nam qui ſeſe patriæ defenſioni totos impenderunt, & pro ea ſpiritum & ſanguinem effuderunt perpetuò per gloriam viuere intelliguntur) ſed ex literarum monumentis, quibus res geſtæ eius commendatæ ac traditæ florent ac viuunt, in hac luce collocatum. Expectatis ſcio, quem dicturus ſim. Is erit Imp.* Fridericus I. *cui ex oris habitu Barbaroſſæ cognomentum dederunt, quaſi tu Ænobarbum dicas. Huius memoria omnibus ſtudioſis iuris, maximeque Germanis, grata, venerabilis & ſancta eſſe debet. Nam cum in iis libris, qui* Vius feudorum *inſcribuntur, & corpori iuris ciuilis quaſi quædam appendix adiungi ſolent, quatuor præcipuè Impp. Germanicorum fiat mentio, & conſtitutiones Feudales referatur,* Conradi, Heinrici, Lotharii & Friderici: *inter eos vt poſtremus temporis ac loci ratione, ſic aliis rebus omnibus facile princeps eſt is, quem nominabam,* FRIDERICVS. *Etenim hic laudatiſſimus Imperator, nec magis belli gloria, quam pacis artibus & iuris ſanctionibus inclytus, hoc, quo de agemus, ius feudale prius diſperſum ac vagum primus ſcripto complecti & ordinare inſtituiſſe memoratur. Et quis neſcit, illas Leges à Friderico eſſe:* De prohibita feu-

dali alienatione: De iure fiſci, ſiue quæ ſint regalia: de pace tenenda, & eius violatoribus, ſiue de Treuga & pace: *in qua etiam furum ſupplicium hodie vſitatiſſimum confirmatur, vt laqueo ſuſpendatur. Eiusdem eſt vna & altera* conſtitutio de iure προτιμήσεως. *Eiuſdem eſt Friderici nobiliſſima illa conſtitutio*, De Pace Conſtantiæ, *quam commentario expoſuit iam olim* Baldus Peruſinus, *& poſteriores aliquot Impp. in ſuis* De Pace publica conſtitutionibus *procul dubio ſunt æmulati, quæque vinculum ac neruus, imò & m*urus aheneus Imperii *non malè appellabitur. Vocatur vulgò ab hiſtoricis illius æui* Breue pacis, Friedbrieff vnnd Landbrieffe. *Eiuſdem Imper. eſt illa nobilis Authentica*, Sacramenta puberum, C. ſi aduerſus venditionem: *qua iuſiurandum à pubere vltrò præſtitum de contractibus rerum ſuarum non retractandis inuiolabiliter cuſtodiri: metu verò & vi extortum ipſo iure nullum eſſe iubetur. Accedit denique (quod vel præcipuè omnibus ſtudioſis venerabilem huius Principis memoriam reddere debet) fauor noſtri ordinis, quem ita ille dilexit, vt ſtudioſos amore ſcientiæ exules factos, & ſemetipſos exinanientes, (libenter enim eius verbis ſanè emphaticis atq; patheticis, vtimur) multis magniſque priuilegiis ornarit & ab iniuriis viliſſimorum hominum, quibus ſæpe inter oſores humanitatis, & omnium bonarum artium ſunt expoſiti, eoſdem munitos eſſe voluerit. Fulget adhuc & fulgebit ſempiternis cum Sole & Luna radiis illa Roncaliis edita conſtitutio, quæ vulgò dicitur* Authentica Habita, *ipſius iuſſu inſerta titulo Codicis,* Ne filius pro patre, vel pater pro filio emanci-

emancipato conueniatur: *quæ oſtendit(quod eſt rariſſimum) quantæ curæ huic optimo Principi etiam inter arma fuerint Muſæ, & harū n cultores; quibus & immunitatem conceſſit vectigalium, portoriorum, aliorumq́; ciuilium onerum, & ſecuritatem veniendi, habitandi, recedendi, pluraq́; alia priuilegia liberaliſſimè indulſit; quæ hic omnia recenſere nimis longum foret: in promptu autem eſt petere cum ex ipſa Conſtitutione, tum ex commentariis, quibus eam viri docti certatim illuſtrarūt. Indignus igitur fuerit ſtudioſi nomine indignus tanti Principis tam benigno reſpectu, indignus tot tantisq́; priuilegiis, qui non eorum auctorem* Fridericum *grati animi memoria proſequatur & colat. Et hac quidē cōmunia ſunt omnium, vbicunque ſtudiorum cauſa peregrinentur. Ad nos verò, qui in Acad.* Norimbergenſium, *ſub tutela illius* Francidos ocelli *viuimus, etiam propius & peculiariter quodammodo huius Principis recordatio & celebratio pertinere videtur. Non ſolum enim Herbipoli, Franciæ Orientalis vrbe famoſiſſima, crebrò viuere ſolitus eſt Fridericus noſter: ſed & Norimbergæ (quod* caſtrum ſuum *vocare ſolebat,) conuentus ſæpè grauiſſimis de rebus egit. Ac celebratur præ cæteris ille conuentus, quo regem Boëmiæ, à quo offenſus erat, Noribergæ in gratiā recepit: quod factum eſt ante annos* 430. *anno videlicet Chriſti* 1130. *Imperii eius quintodecimo: Regni autem Romani* 17. *In eadem porrò noſtra metropoli Anno* 1187. *promulgauit nobilem illam conſtitutionem*, De incendiariis, & pacis violatoribus.

Audiuiſtis rationes, quibus adductus ali-

quid mihi hoc loco & tempore de Imp. Frid. Barbaroſſa *dicendum exiſtimaui: quas me vobis pro veſtra æquitate facilè probaturum, bona ſpes eſt. Nunc in rerum à Friderico noſtro fortiter ac præclare geſtarum amplitudinem varietatemque intuenti, & quid ex tanto cumulo potiſſimum decerpam, ornatiſſimoque huic auditorio proponam, mecum reputanti, idem ferè accidit, quod ſyluam ingreſſo cadendæ ad ſtructuram aliquam materiæ lignatori vſuvenire ſolet. Nam quemadmodum huic in magna arborum copia difficilis eſt electio, vt hæſitet, quas potiſſimum proſternat, dum & hæc cum ſua proceritate ac firmitate rectitudineque inuitat, & illa, atque alia, atque alia: item & ego in hanc (vt ſic loquar) denſiſſimam ſiluam laudum Friderici animo intuens, vix reperio, neque vnde commodè incipiam neq; vbi deſinam. Tanta ſeges pulcerrimarum rerum in hiſtoria Friderici ſeſe nobis offert, vt modum ſeruare ſit difficilimum. Quantum enim eſt, Auditores, quamque arduum, breui oratione includere atque conſtringere, quæ tota implent volumina? tot annis geſta vnius horæ ſpatio coërcere? Sed ne vobis prolixitas mea faſtidium pariat, pauca de infinitis delibabimus, quæ velut intento ad fontes digito ſtudioſæ iuuentuti oſtendemus: ex quibus intelligant quàm is fuerit* εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης: *hoc eſt, Vnicum augurium optimum pugnare pro patria. Intelligant item quam is fuerit,*

Bellator bonus, & pariter bonus Induperator.

Iuuat enim (quod verè poſſumus) de Friderico noſtro prædicare elogium illud Homericum, comprehenſum

prehenſum verſu, quem Alexander Magnus magni ſemper feciſſe perhibetur:

Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Dicam autem primum de ortu & familia ipſius Friderici: tum de vita priuata; denique de Imperio, qualem ſe in eo, tam belli, quàm pacis temporibus gesſerit, quid in Italia, in Germania, in Aſia denique ipſa patrarit & quem exitum habuerit. Quæ dum breuiter ac nudè oratione mea perſequor, vos Auditores, qua par eſt diligentia & obſeruantia rogatos volo, vt mihi audientiam præſtetis.

Natus eſt Fridericus noſter Anno ab incarnatione Verbi 1121. *patre Friderico, Principe* Hohenſtauffenſi; *matre verò Juditha Heinrici Nigri Bauariæ Ducis filia. Patruos habuit* Cunradum *regem Rom. cui in imperio (vt poſteà dicemus) ſucceſſit, &* Othonem *Epiſcopum Friſingenſem, eximium eius temporis hiſtoricum, filios Leopoldi Marchionis Auſtriaci. nam ea tempeſtate tantum Marchiones habebat Auſtria, quæ poſtea Duces ab hoc ipſo Friderico accepit, & hodie Archiducibus paret. Auunculi eius fuerunt* Guelpho *VI. Dux Bauariæ, Spoleti & Sardiniæ: &* Henricus Dux Saxoniæ, *cui* Superbi *cognomentum erat.* AMITA *ipſi fuit Irene vxor Manuelis Conſtantinopolitani Imperatoris. Genus igitur Friderico fuit regium & Ducale: neq; tantum reges & Principes in ſua familia complures, ſed & ſanctiſſimos Antiſtites numerauit. Quanquam autem interdum & heroum filii noxæ atq; catharmata eſſe ſolent, neque hereditaria ſemper eſt virtus; tamen plerumque fit, vt fortes creentur*

fortibus & bonis, ac in natos tranſeat patrum cum ſemine virtus. Ita ergò & Friderico heroici impetus à maioribus ingenerati ſunt, quibus ad res maximas gerendas diuinitus exſtimulabatur, quod in progreſſu ætatis apparuit. Multum etiam valuerunt in eius animo exempla domeſtica. Veriſſimè enim dictum eſt a ſummo Poëta;

Te pater Æneas & auûculus excitet Hector.

Ceterum quantumlibet ſit excellens naturæ vis & bonitas, tamen niſi cultura & inſtitutio atque educatio bona acceſſerit, non aliter quàm arbores aut vites non putatæ, aut ſegetes incultæ, etiam naturæ ſemina ſilueſcunt atquè efferantur: vt quemadmodum in agris per ſegnitiem colonorum pro frugibus lætis

Infelix lolium & ſteriles dominantur auenæ,
Et, neglectis vrenda filix innaſcitur agris:

ſic etiam in ingeniis pro virtute vitium & improbitas enaſcatur, quæ ſemina bonæ indolis quaſi in herba enecent & extinguant. Contrà bonæ ac laudabilis educationis, & aſſuefactionis ea vis eſt, vt naturæ defectum ſæpè ſuppleat, & vitia corrigat, ex bona meliorem, ex mala bonam, aut certè minus malam faciat, vt non dubitarit quondam canere Euenus Parius:

Ἐκ μελέτης πλείυς ἤ 'κ φύσεως ἀγαθοί.

Sic igitur & Fridericus cum benè natus eſſet, benè quoque educatus fuit, & vt tam ſplendidâ familiâ dignum erat, regiis artibus ab ineunte ſtatim pueritia inſtitutus atque imbutus. Neque ſolum militari diſciplina inſtructus eſt, ſed & literarum colorem duxit, maximeque Latinæ linguæ ſibi peritiam comparauit, vt illo ſeculo non pœnitendam.

Quippè

Quippè compertum eſt, eruditionem, elegantiam, comitatem præſertim Principibus neceſſarias eſſe: cum ſine his natura bona quaſi incompta aut etiam horrida iaceant ac deſpectui ſint: contraque ea Perſarum regi Cyro æternam gloriam parauerint, vt verbis vtar Sex. Aurelii Victoris. Sed & tantâ eum floruiſſe facundiâ accepimus, vt in publicis regni comitiis, & quoties Legatos, vel Pont. Max. vel exterorum regum & principum excipiebat, dimittebatve, ferè non alieno ore Quæſtoris ſeu Cancellarii ſui vteretur (ita vti fit) ſed & ipſe magna ſua cum laude, audientiumq́; admiratione atque applauſu peroraret. Exſtant multæ ipſius neruoſæ ac graues non minus quàm copioſæ atque erudita orationes deſcriptæ ab hiſtoricis, ex quibus ingenium acre & igneum, animus cordatus & grauis, doctrina exquiſita & excellens, facundia dulcis apparet. Quibus autem artibus ipſe animum excoluerat, iisdem etiam filios ſuos Henricum (quem poſteà imperij conſortem & ſucceſſorem habuit,) & Fridericum, *qui in Aſia peſte ſublatus eſt, & Othonem & Cunradum, & Philippum Sueuiæ Ducem, qui & Imperator poſt Henricum fratrem plurium ſuffragio Electorum nominatus eſt, niſi ei Pontifex Innocentius III. obſtitiſſet. Omnes hoſce eruditos Principes & patre ſuo digniſſimos exſtitiſſe accepimus. Quòd ſi ipſe barbarus & rudis bonarum literarum fuiſſet, credibile eſt, neque liberos eum tàm bene educari, tamquè ſollicitè bonis artibus inſtitui curaturum fuiſſe, neque tot; quot ſupra diximus, priuilegiis earum ſtudioſos muniiſſet. Ferè enim ita fieri videmus, vt quæ quis ipſe ignorat, ea etiam in aliis de-*

ſpiciat & pro nihilo ducat: quæ contemnit ipſe ab eorum ſtudio & tractatione ſuos liberos & amicos, quàm longiſſimè cupiat eſſe remotos. Cum autem hiſtoria (quæ eſt ſecundum Greg. Nazianzenum συμφερτὴ σοφίη, πολλῶν νόος: id eſt, multorum in vnum collecta prudentia, & conferta quædam ſapientia,) verè κτῆμα βασιλικὸν, regia poſſeſſio dicta ſit: in huius ſtudium cum primis incubuit in ſua adoleſcentia Fridericus, vt hîc velut in ſpeculum intuens in aliorum conſilia, facta, euenta, quod honeſtum & laudabile ac ſectatoribus felix & ſalutare fuiſſe comperiſſet, imitaretur: fugeret autem quod factu fœdum, turpe ac flagitioſum, ſuisque patratoribus exitio fuiſſe animaduertiſſet. Nihil enim ſub ſole nouum, inquit Salomon: nihil fit, quod non etiam anterioribus temporibus factum fuerit. Aliorum autem periculo atque infortunio ſapiens vitat aut emendat ſuum. Imperandi porrò ſcientiam (quæ difficilima eſſe perhibetur, adeoq́; ars artium) non tam ex libris aut magiſtris didicit, quàm ipſo vſu. Perinde enim vt olim Romæ nobiles adoleſcentes Iuriſprudentiam potius ex conſuetudine ſeniorum, in quorum ſe familiaritatem contuliſſent, quàm ex libris Scholisve diſcere ſolebant: Ita Fridericus benè imperandi facultatem ex viuo quodam & domeſtico exemplo, quod in ſuo Patruo Cunrado cernebat, ſibi comparauit. Hic enim cum maiore natu filio orbatus, alterum verò puerum haberet: Fridericum filii propè loco dilexit, ſecumque habuit, omnium conſiliorum, omnium ſuarum actionum, omnium ſermonum & arcanorum conſcium atq; participem. In huius contubernio quid non facili negotio diſceret Fridericus.

ricus. Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι *inquit Sapientiſſimus Gnomologus. Ut autem ſolet præclara indoles maturè ſe exerere (verè enim non minus quàm eleganter fecit Ouidius :* Theognis.

Ingenium cæleſte ſuis maturius annis
Surgit, & ingratæ fert malè damna moræ)

ita & Frider. ante annos animumq; gerens curãq; virilẽ, iam tum adoleſcens res magnas geſſit, auſpicio patris & patrui, nõ ſolùm in Bauariâ, ſed & in Burgundiâ minore. Erat ea tempeſtate Saracenorum & Turcarum vexationibus direptionique expoſita terra ſancta ſeu Palæſtina, adeoque metropolim ipſam Hieroſolymam (quam Godofridus Bilioneus *ante* L. *annos ereptam barbaris Chriſtianorum imperio reſtituerat ac ſubiecerat) Chriſtianis rurſus ademerant Saraceni duce Saladino Sultano Aegyptii, acerrimo viro, cuius ſumma & bellandi peritia, & felicitas fuiſſe perhibetur. Ad hoc igitur nouæ ſeruitutis iugum à Chriſtianornm ceruicibus depellendum, & iniurias prohibendas vindicandasque, Cunradus Imp. expeditionem in orientem ſuſcepit: cuius ſacræ militiæ ſocium, & commilitonem ſeſe præbuit Fridericus, iam tum zelo gloriæ Dei accenſus & percitus, qui in ipſo cum ætate etiam creuit, ſubindeque acriores ei ſtimulos admouit, eoquè impulit, vt iam ſenex propemodum ſeptuagenarius imitaretur exemplum patrui, & ipſe quoque copias in terram ſanctam ductaret: in qua expeditione vitam quoq; ſaluti Reipub. impendit, vt poſtea cognoſcemus.*

Dixi quam breuiſſimè potui, tum de genere, familia atq; indole, tum de adoleſcentiæ ſtudiis, vitaq; priuata, qualem ſe hîc præbuerit Fridericus,

priuſquam imperii gubernaculis admoueretur: ex qua commemoratione iam ſpe & cogitatione præſumere potuiſtis, Auditores, qualis quantusque hic vir futurus fuerit, quem talem tantumque audiuiſtis in adoleſcentia ipſa iam exſtitiſſe. Nunc ad imperii eius initia accedamus. Cum igitur ex Oriente magnis rebus geſtis reuerſus Imp. Cunradus æuo feſſus rebus humanis exceſſiſſet, iamque ei ſucceſſor quæreretur, qui velut Hercules Atlanti in cælo portando ſucceſſit, ſic imperii onus humeris ſuis exciperet: comitia frequentiſſima Francofurti celebrata ſunt Anno à nato Chriſto 1154. in quibus omnium Imperii Procerum (quos penes electio noui Imp. erat promiſcuè, cum nondum huic muneri eligendi præfecti eſſent certi quidam vel Epiſcopi vel Principes, qui hodie Electores *vocãtur) omnium, inquam, procerum conſentientia ſuffragia Fridericum Imp. deſignarunt, ac proclamarunt, voce Archiepiſcopi Moguntini. Qua quidem in re ſecuti ſunt illi Principes & præiudicium patrui anteceſſorisq; eius (qui velut heredi inſignia imperij ipſi reliquiſſet, cum (vt ſuperius dixi) altero maiore natu filio orbatus eſſet, alterũ adhuc puerum haberet) & præclara ipſius Friderici, quæ dederat ſpecimina: & vt vetus illa atque hereditaria diſcordia, quæ inter duas potentiſſimas familias inoleuerat* , Guibellingorum *videlicet &* Guelphorum, *hoc velut interueniente ſequeſtro, qui vtramque ſanguine attingebat, alteram paterno, materno alteram, tandem conſopiretur.*

Electus Francofurti Imp. Fridericus, Moguntiam claſſe petiit; inde Coloniam nauigauit; inde Aquiſgranum terreſtri itinere adiit; vbi priſco

more (quem Carolus M. inſtituiſſe memoratur) primam coronam imponente Epiſcopo Colonienſi (qui tunc Arnoldus *erat) accepit in ſolio regali collocatus. Inde legatos Romam ad Pontificem, & paſſim ad vrbes Italiæ præmiſit, qui electionem ſui atque inaugurationem ad Imperium nuntiarent, & mandata perferrent. Cum autem ſentiret quanta Imperii moles ſibi incumberet, quò facilius eam iuuenis adhuc ſuſtinere poſſet, conſiliarios ſibi adſciuit viros ætate rerumq́ vſu graues ac præſtantes, quibus inconſultis nullum paulò maioris momenti negotium aggreſſus eſt, perinde vt olim Alexander Seuerus, quem aiunt plus quam XX. conſiliarios ſemper ſecum habuiſſe, in quibus & Vlpianus & Papinianus & Paulus, & alia huiusmodi lumina fuere. Sic igitur & hic noſter Fridericus in conſilio habuit Bulgarum, Martinum, Iacobum, Hugolinum, Iuris ciuilis à Lothario non ita multò antè in lucem reuocati celeberrimos Gloſſatores & Interpretes: quorum opiniones ſæpè, vt ſcitis, refert Accurſius. Longum eſſet hic commemorare, quæ dederit documèta vel iuſtitiæ & ſeueritatis, vel clementiæ & æquanimitatis vix dum creatus Imp. vel Aquiſgrani, vel Traiecti. Nimirum ab initio ſtatim omnibus de ſe conſtare volebat, eum ſe eſſe, qui vellet ac poſſet*

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos:
Quique eſſet, *vt Guntherus noſter canit:*
Deuictis placidus; ferus indomitusq; ſuperbis.

Rebellauerant paulò antè Traiectini imperante Cunrado, cuius criminis pœnas ab illis exigebat.

Fridericus, & tanquam gratus hæres, ac pius nepos patrui & anteceſſoris iniurias vltum ibat. Adeoque in eo res erat, vt vrbs ſolo æquaretur, & ciuibus excidium impenderet, niſi magnis deprecatoribus intercedentibus ira Principis reſediſſet, ac pecuniariâ multâ culpam elui emendariq; paſſa eſſet. Prætereo hîc labores Friderici, quos impendit vel duorum propinquorum recrudeſcentibus diſſidiis ſedandis (Heinricorum, inquam, duorum, quorum alter patruus Imp. erat, alter auunculi filius, id eſt, conſobrinus) vel Danicis controuerſiis componendis, vel Schiſmati præſulum Magdeburgenſium tollendo. Parebat tunc Dania imperio Rom. & Danus regnum pro feudo accipiebat ab Imperatore. Sed erat æmulatio inter duos proceres propinquos, Petrum & Guidonem, quam ita diremit Fridericus, vt Petrum regem faceret inueſtitum gladio: Guidonem ducatu quodam iuberet eſſe contentum. Magdeburgenſis autem Eccleſia, cuius Epiſcopus primas eſt Germaniæ, geminos tunc habens antiſtites, biceps erat; quod idem ſæpè & Romanæ ſedi cum alias accidiſſe meminiſtis, tum & Friderici noſtri temporibus euenit, vt poſterius audietis. Inter hos Epiſcopatus æmulos diu fruſtra tentata reconciliatione, cum neuter alteri cedere vellet, hoc tandem remedio vſus eſt Imperator, vt munere vtrique abrogato tertium quendam pedo paſtorali eburneo inueſtitum illi Eccleſiæ præficeret. Diſcordia illa, quam inter duos Henricos Imperatoris cognatos fuiße aiebam, diu & Fridericum & totum imperium Germanicum exercuit, agitata multis comitiis, Herbipolenſibus, Wormacienſibus, Ratisponenſibus, Spirenſibus.

& Goſla-

& Goſlarienſibus, eo tandem euentu, vt Henrico Superbo reſtitueretur Ducatus Noricus, quem ei a Cunrado abiudicatum alter Heinricus Friderici patruus occuparat. Cupiebat enim Fridericus, eum, vt potentem Principem, ſuis partibus adiungere. Multa hic vobis, Auditores, cogitanda relinquo, quæ perſequi longum foret: vt de ambitione Eccleſiaſticorum, quæ capitalem peſtem religioſæ pietati afflauit: vt de Imperatorum iure ac poteſtate veteri etiam in Eccleſiis rectè conſtituendis, quam habuerunt & exercuerunt, antequam vnius dominatus Epiſcopi omnia occupaſſet atque ad ſe rapuiſſet: conſtat enim priusquam ſeſe Clerici omni iurisdictioni poteſtatiq́ſeculari exemiſſent, (contra illud, Omnis anima poteſtatibus ſubiecta ſit) *& Eccleſiis præpoſitos fuiſſe ab Imp. Epiſcopos: & eoſdem, ſi in officio ſuo negligentes fuiſſent, ab iisdem Impp. loco motos ſuisq́ feudis & Epiſcopatibus exutos. Verum his in præſentiarum omiſſis, ad alia nobis properandum eſt, & ſumma tantum faſtigia rerum attingenda. Eundum nobis cum Friderico trans Alpes. Italiam igitur primum adiit tertio imperii ſui anno, magnas ſecum ducens copias, non ſolum vt ab Epiſcopo Rom. veteri more inauguraretur, & alterâ imperij coronâ redimiretur, verum etiam vt Apuliam, Calabriam atq́ Siciliam, à Normannis infeſtatas regiones, pacaret, imperioque redderet, denique vt Mediolanenſium intolerabilem faſtum atque inſolentiſſimum in vicinos dominatum compeſceret, eosq́ in ordinem redigeret, ſæpè à ciuitatibus aliis imploratus. Ita porrò ius erat, vt quibuscunq́ ab Imp. feuda aliqua conceſſa eſſent, ipſum Romanam expeditio-*

nem ſuſcepturum comitarentur, ſeſeque recenſendos ac voce praconis citandos ſiſterent Roncaliis (ita vocantur campi amœniſſimi lateque patentes prope Placentiam, quos Padus fluuius, qui & Eridanus, *alluit) Abſentes feudis ac beneficiis ſuis tanquam ingrati clientes exuerentur. Eò igitur tunc quoque frequentes conuenerunt regij vaſalli; & poſtea ſæpius, quoties nimirum Italiam repetiit Fridericus, quod eum quaſi ſepties feciſſe legimus. Nobilitatus eſt hic locus multis præclaris conſtitutionibus, quas ibidem promulgatas fuiſſe indicat earum ſubſcriptio. Fuerunt autem caſtra regia in illa planitie collocata in modum cuiusdam magnæ vrbis, quorum in medio eſſet Prætorium Cæſaris, templi magnifici formam repræſentans. Luſtratione copiarum ibi factâ, priusquam inde moueret Imp. & Romam, vti conſtituerat, rectâ pergeret, legatos per vrbes Italicas dimiſit, qui iura fiſcalia exigerent, omnesquè magiſtratus ac iudices more maiorum iuberent interquieſcere. Nimirum vt Sol minora ſidera omnia maiore ſuo lumine obfuſcat & abſcondit quaſi non eſſent: ita par eſt, ſupremo & maximo omnium iudice Imperatore præſente minores & inferiores magiſtratus quaſi faſces ſubmittere. Præmiſſos legatos mox ſubſecutus eſt ipſe Imp. ſicut iis qui in fide permanſerant vrbibus preſſis atque afflictis deſideratiſſimus & maximè venerabilis (quibus tanquam amabile ſidus in tenebris alluxerat) ita rebellibus & perfidis formidabilis. In hoc itinere primùm Terdonam, quæ Ticinum ſeu Papiam Friderico fidelem diu multis modis infeſtarat, odio Imperatoris longa obſidione preſſam, tandemque vi expugnatam militibus*

diripien-

diripiendam obiecit, & dirutam ſolo æquauit, vita tamen ciuibus pro magno munere conceſſa ob deprecationem procerum. Triumphum de his magnificentiſſimũ toto triduo egit Ticini, inuitatus eò à ciuibus. Eandẽ paulo poſt fortunã experti ſunt Spoletani: qui quòd 80. talenta fiſco inferre iuſſi adulterinis nummis Imp. decepiſſent, quòd aduertantem Fridericum fundis, ſagittis & haſtis hoſtilẽ inmodum adorti eſſent, quod legatum deniq; imperatoris Guidonem in vincula conieciſſent, meruerunt vrbem ſuam euerti atque deleri. Cœpit tũ gliſcere etiam ſcintilla prima belli Mediolanenſis, quæ tandẽ inflammã erupit eam, qua tota vrbs nobiliſſima, & S. Ambroſii Epiſcopatu quondam clara, nõ ſemel cõflagrauit. Primus inquam conflictus cum Mediolanenſibus in hoc itinere Romano interceſſit Friderico: in quo cum multi ex ciuibus cæſi, multi capti eſſent, ita ſeſe Imperatori ſatisfacere, & ipſius iras ſopire poſſe rati ſunt, conſulis ſui Girardi Capagiſti *(cuius & in libris Feudorũ fit mentio) ædes diruiſſent. Hic enim auctor defectionis ac rebellionis ciuitati fuerat. Sed imperator ea pœna vnius non contentus, vindictam in alium commodius tempus ſibi reſeruauit, & tunc in Etruriã perrexit per Apenninum, paſſim & muneribus & fauſtis acclamationibus exceptus. Cum vix bidui itinere ab vrbe abeſſet, Viterbii ei occurrit Põtifex Max. (qui tunc Adrianus erat) ſtipatus agmine Clericorum. Ibi Pontifex tanquam pater longanus filio multa ſuper iniuriis, quas à Romanis ipſe, & ſuus clerus iam diu pateretur, conqueſtus, cumque Imperatore diu in caſtris commoratus eſt. Vnde fit, vt ſatis mirari non poſſim obtrectatores Frideri-*

Contra Paulum Iouium.

ci, cum fingunt, Pontificem metu perculſum fuiſſe, vt aduentante Jmp. ſeſe ad mare proripuerit. quaſi vero non plus fidei habendum ſit iis, qui tunc vixerunt, hiſtoricis, & rebus interfuerunt, quam alicui poſt 4. ſecula quiduis pro ſua libidine confingenti. Habuit in eodem itinere etiam obuios legatos vrbis Romæ, qui cum ab eo prolixa oratione petiiſſent vt quando Roma ſe ſubmiſiſſet Germanicis Principibus, eiſque Imperatoriam dignitatem contuliſſet, gratam ſibi vicem rependeret Fridericus, vrbemque in priſtinum ſtatum reformaret, diſtinctis a plebe patriciis, reſtituta Senatus auctoritate, reſtitutis antiquis magiſtratibus, dictatoribus, cõſulibus, Prætoribus, Tribunis plebis: Deinde vti fœdus iuratò cũ Romanis pangeret plebiq́; librarũ auri quina millia donaret: hoc maſculum & Germanico Principe dignũ tulerunt reſponſum: Non eſſe quod glorietur Roma, quaſi beneficium in Germanos Principes contuliſſet, cũ eos accerſiuit; ſed potius beneficiũ ipſam Romã ab illis accepiſſe, cũ diuturnis feſſa malis opẽ ac defenſionem Francorum implorauit & impetrauit, liberata per eos tyrannide Berengarii & Deſiderii. In Germanicorũ procerũ cœtũ intueantur: in eo recognoſcant Equites & Patricios: in eo ſenatũ Rom. in eo Dictatores, conſules, prætores, tribunos recognoſcant: horum legibus iam ipſos merito parere, translato ad eos imperio. Quod autem ab imp. iuſiurãdum exigere velint, haud æquum eos petere; neq́; enim ſuperiorem inferioris in verba iurare cogedum: vel nudum verbũ regis pro iureiurando valere: Principi vel iniurato credendum eſſe. Venire ſe non vt accipiat leges, ſed vt ponat. Quod deniq́; mune-

munera poſtulent tanquã ſibi debita, impudenter aut certe imperite eos facere cũ ſcire debeant, Germanos non noſſe magiſtratus venales, non didiciſſe mercari honores & imperia, ſed virtute ſibi comparare: hoc, hoc pretium eſſe, quo emãtur dignitates; nõ munerum largitiones, quæ ſi quãdo fiunt à principibus, ſpontaneæ eſſe debent, non coactæ. Nam cum omnis virtus ex libera animi electione proficiſcatur, tum maxime hoc habet liberalitas Ita repulſis Romanis, communicatoque cum papa & Imperii proceribus conſilio, Romam noctu intromiſſis quinque millibus occupauit: Ipſe poſtridie cum Pontifice ſecutus, vrbem Portâ Aureâ ingreſſus eſt, & a papa coronatus, anno ab electione quarto, inter iubila & applauſus ſuorum. nam Romani partim metu, partim inuidia, partim dolore repulſæ muſſitabant: nec longam eam lætitiam, neque ſinceram voluptatem Germanis eſſe patiebantur. Cum enim relicto in vrbe Pontifice imperator exercitum ſiti æſtuque languentem, (erat enim menſis Iunius) in cãpum liberiorem eduxiſſet, vt corpora curaret: ecce Romani in caſtra Friderici ex vrbe irrumpentes, cum copiis Germanicis manus cõſerunt. Fit cõflictus grauis & diuturnus: quo laceſſiti Germani Romanos in vrbem ſeſe recipientes inſecuti magnam ſtragem ediderunt, nõ ante quieſcentes, quã nox prælium diremiſſet. Et quidem eô hoc fuit admirandum magis, quod toto die impaſti ac ieiuni manſiſſent. Eſt & hoc mirandum, quod cũ ex Romanis mille vel cæſi vel in Tiberi ſuffocati, CC. autem capti fuerint, in toto Friderici exercitu vnus tantum deſideratus eſſe ſcribitur. Poſtero die Imp. inde mouit, & victrices aquilas in Germaniã

Digitized by Google

reportare inſtituit. Quo in reditu Spoletũ, ob cauſſas ſupra cõmemoratas, euertit. Nec minor Veronenſium perfidia fuit: qui cum more veteri Atheſin ponte nauali conſternere cogerentur, quo tranſitus præberetur Romam eunti vel Româ redeunti Imp. Germanico, ita tunc fragilẽ pontẽ conſtruxerunt, vt eo ſoluto equitatus Friderici vorticibus rapidi fluminis abſorptus demergeretur. Quæ res neq; Fridericũ fefellit, neq; Veronenſibus impune fuit. Albericum etiam quendam Veronenſem, qui cũ latronum quaſi D. manu Alpes inſederat, & immani auſu a Friderico & toto eius exercitu tributum in capita exigebat pro tranſitu, profligauit iпſumque cum latronibus, quorum ſe Duce præbuerat, partim laqueo ſuſpendi, partim gladio confici iuſſit. Ita viam quam imperatori fraude intercludere parabant, cadaueribus ſuis & cruore contexerunt.

Sed priusquam cum imperatore noſtro in Germaniam reuertamur, pauliſper in Italia commoremur, & nonnulla rerum ibi fortiter ac præclarè geſtarum delibemus. Licebit enim, opinor, nobis, qui hîc annales aut hiſtoriam nõ teximus, ſed tantum breuiter quædam, vti ſeſe offerunt, de Friderico commemoramus, temporum ſeriem nonnihil migrare. Quanquam autem vt paulò antè retulimus, initio Papa Adrianus Imperatori noſtro benè velle viſus eſt, cum ipſius in ſinum multas de Rom. ſuorum improbitate & iniuriis Clero illatis deponeret querelas, eiusq; opẽ imploraret: tamẽ ea gratia & hoc animorum fœdus, ſi nõ ſimulatum ſemper fuit, certè non diu durauit. Exortum eſt enim fœdum inter ipſos atq; infelix diuortium & diſſidium:

dium: cui vtra pars cauſam præbuerit, ex iis quæ ſubiiciam, facilimè cognoſcetis. Cum Romæ eſſet Fridericus, inque aulæ Pontificiæ pariete quodam depictam vidiſſet imaginem Lotharii Imperatoris, qui flexis coram Papa Innocentio II. genibus, coronam imperialem ab eo acciperet, adſcri- hoc inſulſo Epigrammate:

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores,
Sic homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam:

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

quod quidem Epigramma diſertè Imperatorē vaſallū & beneficiariū Papæ facit. (nam hoc in feudiſtico iure Hominis *appellatione ſignificari ſcitis) Imperator vt qui maieſtatis imperii retinētiſſimus & ſeruantiſſimus eſſet, minimè id ſibi tolerandum ratus, ab Adriano Pontifice poſtulauerat, hanc picturam, vt contumelioſam Imperio, deleri. Quod ille, quamuis promiſſum, non ſeruauit. Acceſſit ad hanc iniuriam & alia. Nam cum Veſontione in Burgundiâ (quem comitatum in dotē acceperat ab vxore Beatrice, Reinaldi Matiſconenſis comitis Burgundiæ filia) Veſontione igitur, cum conuentum ageret celeberrimum: legati ad Fridericum venerunt miſſu Pontificis, cum literis & mandatis eiuſdem ad Imper. & imperii proceres, quibus inter cætera continebatur; Meminiſſet Fridericus quantum beneficium à Papa accepiſſet Imperialis coronæ impoſitione; a nemine ipſum habere imperium, niſi a Papa. nam poſt coronationem demum vocari Imp. cum antea ex electione Rex tantum dicatur. Quin etiā maiores ſuos dignitatem imperialem à Græcis tranſtuliſſe ad Alemannos: ſciret, quo iure Zacharias Papa à Græcis imperiū ad Germanos tranſtulerit, eodē iure ſe quoq;*

idem Germanis rurſus ereptum Græcis reſtituere poſſe. Se enim a Deo ſuper gentes & regna idcirco conſtitutum eſſe, vt deſtruat & euellat, ædificet & plantet. Suum eſſe & dare regna & auferre. Aliis quoque literis exprobrauit Papa Imperatori, quod nomen ſuum in Epiſtola nomini Papali præponere auſus fuiſſet, quod ſcilicet ſignum eſſet arrogantiæ, atq; inſolentiæ minimè ferendæ, per quam B. Petro & Eccleſiæ Rom. non ſatis dignam exhiberet reuerentiam. Nihil hic fingimus, Auditores, extant literæ Papales inſertæ monumentis publicis, per teſtes omni exceptione maiores, qui ante hos 450. annos vixerunt, id eſt, Friderico noſtro σύγχρονοι *fuerunt. Commotus tanta rei indignitate, atque impudentiâ Papali Fridericus, & quidē vt par eſt grauiſſimè commotus, diſertè negauit, Imperium Romanum Papæ beneficium ſiue Feudum eſſe: Negauit, ſe aliosve Imperatores Papæ beneficiarios aut vaſallos eſſe: Quin imò coronam imperii ſe vni Deo acceptam ferre, & ſecundum Deum electioni Procerum Imperii, in qua primum ſuffragium agnoſcat Archiepiſcopi Moguntini; regalem conſecrationem Archiepiſcopo Colonienſi ſe permittere; Imperialem conſecrationem Pont. Rom. aſſignare. Faceſſant igitur legati ex conſpectu ſuo, & via, quâ venerant, ad Pont. ſuum redeant, eiq; hæc renuntient, ac picturam illam aboleri iubeant: iubeant, eū cogitare de ſectandis veſtigiis Petri, cogitare de portanda cruce Domini potius, quam de regnis tradendis, adimendis, transferendis; cogitare ſe præſulem, & ſacrorum antiſtitem, non Auguſtum eſſe; alioquin ſi ſibi plus æquo arrogare velit, inter ſe & ipſum benè conuenire nequa-*

quam

quam poſſe. Hæc tunc Imperator. Inter Principes quoq;, qui in conſilio eius erant, tantus exortus eſt fremitus, tantaq; indignatio, vt non defuerint, qui & gladios ſtringerent & in Legatos illos Pontificios (quorum vnus Rulandus *fuit, qui poſtea verſo nomine* Alexander *dictus, in Pontificatu Hadriano ſucceſſit) impetum facere pararent: Quos tamen repreſſit Imper. & a Legatis vim abſtinere iuſſit, iuris gentium memor, & magis quid ſe ſuosque deceret, quam quid Papa cum ſuis meritus eſſet, animo reputans. Cum autē intelligeret Adrianus Pontifex, quantopere Imp. offendiſſet, ac metueret, ne regia ira, quod dicitur, leonis ira ſibi eſſet: confugit ad callidam interpretationem, aliisq; & legatis & literis ad Imper. miſſis, ita ſe excuſare conatus eſt, vt diceret,* Beneficium ſe nō pro feudo, ſed pro bono facto accipi voluiſſe. *Et certè bonum factū eſſe, quod Imp. coronam impoſuiſſet. Ita tunc reſedit ira Frid. & coiit inter ipſos gratia, ſed malè ſarta. nam Pontifex Max. ad ingenium rediit, & res ſecundas Imperatoris limis aſpiciens, perpetuis inuidiæ ſtimulis agitabatur: nec ante quieuit, quam muſca ei in collum inuolans, & faucibus ita inhærens, vt nulla medicorum ope extrahi poſſet, ipſum ſuffocaret, quod factū eſt Anagniæ in oppido Romæ vicino. Hic ille eſt Adrianus IV. cui familiarem ſe fuiſſe ſcribit Ioan Sariſberiēſis, Epiſcopus Carnotenſis in Anglia. Recitat etiā memorabilia ſua cum ipſo colloquia, in quib. ſæpè confeſſus ſit Adrianus Pontifice Rom. nemine eſſe hominem miſerabiliorē, conditione eius nullā miſeriorem. Se quoq; ipſum ait, Sariſberienſis ei aliquando quærenti ac ſcire cupienti, Quid de Ponti-*

Nota cauillationem Sophiſticā.

Digitized by Google

Policratic. *ſice & Eccleſia Rom.homines ſentirent, liberè atq; ingenuè expoſuiſſe, quod paſſim terrarũ in diuerſis Prouinciis audiuiſſet: Eccleſiã Rom. quæ mater ſit omnium Eccleſiarum, ſe non tam matrem aliis quam nouercam exhibere: Rom. Pontificem omnibus grauẽ & ferè intolerabilem eſſe ſuo faſtu ac ſuperbia, qui non modò purpuratus, ſed & deauratus incedat. Sacerdotes male audire, quod nõ tam ſint prædicatores quàm prædatores, quod prouinciarum ſpolia diripiant, quod Palatia ſplendida extruant, quod per eos Eccleſia ſordidetur. Vtor ipſius Sarisberienſis verbis, qui Frid. noſtri tempore vixit, cuiuſmodi multò plura poſſem referre ex ipſius Policratico ſiue de Nugis Curialium lib. 6. niſi me ad pẽſum breuitas temporis reuocaret. Ait deinde, Pontificem multa pro ſe, contra ſe nõ pauca dixiſſe, tandemq; pro ſui defenſione attuliſſe apologum de diſſidio & querelis membrorum humani corporis aduerſus ſtomachum, quo Menenium Agrippam olim ad Rom. in concordiam redigendos vſum fuiſſe, ex Liuio aliiſq; meminiſtis. Hic Adrianus occultè fauiſſe perhibetur Græcorum Imp. Manueli, & vna cum ipſo ad rebellionem inſtigaſſe Mediolanenſes: Qui quidem Friderico noſtro plurimum negotii exhibuerũt, ſed magno ſuo malo. Longum eſſet hic referre, quoties Mediolanum ab Imp. obſeſſum, quoties captũ aut deditum: quoties etiam iuratam & obſidibus plurimis firmatam fidem fregerint ac fefellerint Mediolanenſes. Sed tandem toties iterata perfidia non manſit impunita. Eſt enim oraculi inſtar quod poeta ait:*

OttoFriſin.

Ah miſer, & ſi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Quid

Quid autem Pythia reſpondit Glauco meditanti abnegationē & eiurationem depoſiti, Græca Oraculi verba ſuppeditat Erato Herodoti: Referā autem Latinam eorum interpretationem, vt eſt confecta ab opt. & doctiſſ. viro Efromo Rudingero, *amico quondam meo, p. m.*

Eſt natus Iuriſiurandi nominis expers,
Et manibus pedibusq; carens, qui vindice curſu
Inſequitur tamen vſq; genus, dum corripiendo
Extinguat totamq; domum. Sed ſacra colentum
Poſteritas iuriſiurandi proſpera floret.

Et alius cecinit: Rarò antecedētem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo. *Nam diu ſatis deluſus à Mediolanenſibus Imp. cui & veneficū quendam ſubornarunt, qui ſpeciē morionis mentiretur, & captatâ occaſione Imp. aut veneno tolleret, aut præcipitem daret in flumē, cuius in ripam diluculo ſuis adhuc dormientibus ſolus ad preces faciendas religioſiſſ. Princeps ſolus ſecedere conſueuiſſet: qui quidē Pſeudomorio parum abfuit, quin Imp. aliquando in lucta deieciſſet in profluentē, niſi ſubitò accurriſſent milites clamore Friderici excitati, & liberato Imperatore emiſſarium illum comprehenſum meritis mactaſſent ſuppliciis. Mediolanenſes autem per diuturnam & grauem obſidionem fame exhauſti, cum diutius eam tolerare nō poſſent, cōſilium ceperunt de vrbe Imp. iterum dedenda. Itaq; Kal. Martii Anno* 1162. *conſules & nobiles ciuitatis cum magna ciuiū militumq; manu ad Imp. profecti, ſupplices ei facti ſunt: & quo magis animum eius flecterent ad clemētiam, ſimul vt oſtenderent, quid meriti eſſent, toties iteratâ rebellione, ſtrictos gladios de collo ſuſpenſos geſtarūt, clauesq; portarum ſuarum Imperatori tradiderūt*

(Nota hìc quæ commemorant hiſtorici de machina ſeu automato, in quo arbor conſurrexit & crux & S. Ambroſius Mediol. Epiſcop. benè dicenti ſimilis) Quid faceret Frid. Ille verò in victoria ſe ipſum vicit, vel etiam à miſericordia victus eſt, memor videlicet eius quod pulcerrimè dictũ eſt:

Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſsima vincit
Oppida, nec virtus altius ire poteſt.

Condonauit igitur vitam ſupplicibus reis; ſed tamen ne facilitas veniæ incentiuũ eſſet delinquẽdi, clementiam & miſericordiam iuſtitiæ rigore temperauit. Volo (*inquit*) facere hodierno die, principium miſericordiæ, & principiũ iudicii. *Itaq; conſulibus & capitib. ciuitatis, itemq; militibus in obſidiatu retentis, vulgus ciuiũ Sacramento nouo obligatum in vrbem remiſit: Ipſam vrbem omni munitione præſidioq; exarmatam diripi & ſolo æquari iuſſit; ac more maiorũ aratrũ in eam decuſſatim induxit, quod olim & Carthaginẽ & Numantiam & Saguntum & alias ciuitates à Rom. paſſas fuiſſe legimus: nam ſicut aratro conditur ciuitas (vnde & vrbs ab* orbando, *id eſt, à circulo per aratrum ducto appellata eſt) ita & diruitur atq; extinguitur aratro. Sed ô pertinaciã incredibile! ô obſtinatã hominũ malè feriatorũ malitiã! Extrema promeriti Mediolanenſes, ſed clementiã Frid. in ipſa iuſtitia experti, vix tergum (quod dicitur) vertente Imp. rurſus claudicare cœperunt, & à legitimo Principe ſuo ad alienum inclinare. Auro n. Græcanico per Manuelem illum ineſcati poſteaquam ſe recollegiſſent, & vrbem deſolatã inſtauraſſent, denuo cõtra Frid. cõſpirarunt, adſcitis in perfidiæ ſocietatẽ plurimis aliis Italiæ ciuitatib.*

l. 11. D. quib. mod. vſusf. amit.

Par-

Parmâ, Placentiâ, Cremâ, Veronâ, Mãtuâ, Ferrariâ, Bononiâ, & aliis. Acceſſit ad cætera mala, quib. nõ ſolũ Italia, ſed totũ Imp. & Eccleſia affligebatur, quaſi quidã cumulus a ſchiſmate fœdo & diuturno, quod duob. antipapis electis exortũ eſt, ac totos 24. annos durauit. Nam extincto (ita, vt ſuperius dicebam) Adriano, ſciſſis in ſtudia partib. alii elegerunt ſummum Pont. Rolandum, qui ſe Alexandrum 3. *nominauit, & Adriano (cuius antea cancellarius fuit) in ſede Rom. ſucceſſit: alii Octauium quendam, quẽ boni ominis cauſa (ſed malè reſpondete euentu) Victorẽ adpellarunt. Horũ iſte a Frid. confirmatus eſt: ille non iam amplius, vt Adrianus occultas ſimultates cum Imp. exercuit, ſed aperta odia profeſſus, quoſcunq; reges & Principes, quaſcũq; vrbes potuit in Frid. concitauit: tandemq; per Venetos effecit, vt fractus tot aduerſitatib. atq; etiam flumine Veionis afflatus, & ſacris interdictus bonus Princeps, ſupplicem ſe Venetiis (quarum tunc dux erat* Sebaſtianus Zianus *) ad pedes Papæ abiicere & veniam petere cogeretur. Ita excelſi prius, atq; inuicti animi Princeps, quod de Lothario pictum fictumq; æquis oculis adſpicere nõ poterat, id in ſe ipſo verè factum expertus fuit. Quanquã hîc non tam Friderici, quã Alexandri turpitudo verſata fuiſſe videtur, qui cum Imp. ei dixiſſet:* Non tibi ſed Petro, *nimirũ ſignificans, religioni potius, quàm homini hoc ab ſe dari: Et nõ tam Papæ ipſius perſonæ, quã eius officio, quod gereret, hanc præſtari ſubiectionẽ: reſpondiſſe fertur minaci ore: Et mihi & Petro. Quod autẽ vulgò addunt etiã pede Pontificis preſſum collũ Imp. cũ hoc dicto:* Super aſpidem & baſiliſcũ ambulabis, & conculcabis leo-

nem & draconem: *id quanquam à moribus Paparum (qui Impp. ſæpè pro pilis atque ſcabellis habuerunt) minimè abhorrere videatur, tamen cum viris doctis commentitium atq; confictum meritò iudicamus, nec temerè picturis id loquentibus fidem adhibemus. Notum eſt enim illud Horatii:*

——— Pictoribus atq; poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Nimis penè diu in Italia immorati ſumus, quãuis multa rerum ibi geſtarũ adhuc intacta reliquimus. Dies enim me deficeret, ſi omnia non dicam explicare, ſed vel indicare vellẽ. Nihil dixi de iteratâ Mediolani obſidione; nihil de noui Pontificis Paſchalis in locũ Victoris à morte deuicti ſurrogatione; nihil de Imp. noſtri noua occupatione Romæ, & iterata à Paſchali, altero antipapa, coronatione, nihil de rebus in Apulia, in Calabria, in Sicilia geſtis. Hæc enim & plura alia relinquere cogimur. Feſtinandum quippe eſt in Germaniam: deinde in Aſiam cum Friderico pergendũ per maria & montes. Quis tot regiones tam breui ſpatio vel cogitatione obire poſſit; nedum vt in ſingulis immoretur? Atque ideo carptim non ſingula quæque, ſed ipſam geſtarum propero rerum percurrere ſummam. Liceat enim mihi vti verbis Guntheri poetæ, qui cum Frid. ipſo vixit, boni, vt tunc erant tempora, imò ſupra, quàm illud ſeculum ferebat, boni: qui ſi verè hac excuſatione vti potuit, cũ quidem 10. *ipſis libris res geſtas noſtri Imp. complexus fuerit, quanto nos verius, qui breui oratione eaſdẽ perſtringimus, eandem vſurpabimus? Ad res igitur in Germania geſtas, quod attinet hæc præcipua ſunt. Cumprimis vrbem Lubecã (ex* Anſeaticis

quæ

quæ vocatur, facilè principem) obſidione captam, imperio adiunxit, excoluit, plurimis maximisque priuilegiis exornauit & auxit, quibus ciuitas ampliſſima, & cum mercimoniis locupletiſſima, tum rigore & cultu iuſtitiæ nobiliſſima in hodiernum vſq; diem vtitur ac fruitur per tot ſecula: de qua & Iulii Caſ. Scaligeri ſplendidiſſimũ extat elogiũ in Vrbibus eius quas Epigrãmatis celebrauit ſuis. Terra Auſtria, (quam Imp. noſter, Cuſpiniano teſte, Clypeum, & Cor Sacri Rom. Imp. *veriſſimè ſimul ac venuſtiſſimè appellauit) ad id vſq; tẽpus Marchiones tantum habuerat, quorum octauus & vltimus erat Henricus Leopoldi filius, Friderici noſtri patruus. Hunc igitur noua dignitate auxit, & ex Marchione Ducem creauit.*

Sileſiam quoq; miſerrimè antea bellicis tumultibus, & aſſiduis incurſionibus vexationibusq; afflictam ac propemodum exhauſtam tranquillauit Fridericus, & inter tres Principes Vladislai Polonorum regis filios ducatum illum diuiſit, ex quorũ proſapia hodierni quoq; Principes Sileſiæ deſcendiſſe perhibentur. Boemiæ ducem Labeslaum ob egregiam in bello nauatã operam Regio nomine donauit in comitiis Ratiſponẽſibus, cum quidem etiam antea Vratislaus rex Boemiæ appellatus fuiſſet ab Henrico IV. ſed eius ſucceſſores regio titulo abſtinuerant, Ducis appellatione contenti. Franciæ orientalis ducatum, cum iure gladii tribuit noſter Imp. Epiſcopo Herbipolenſi, omnibusq; eius ſucceſſorib. quæ iura hodieq; (vt ſcitis) eius vrbis Epiſcopus retinet. Præcipuo enim quodã amore hunc amœniſſimum locum dilexiſſe videtur, vt in quo & ſæpè libẽterq; vixerit, & nuptias cum Beatrice

Digitized by Google

ſua celebrauerit, & legatos plurimos exterarũ gentium audiuerit. Prolixus ſim, ſi legationes illas vel nominare velim. Vnam tamen tacitus præterire non poſſum, ab Imper. Græco miſſam. Ea cum alia Imper. mandata pertulit, tum ſui Principis titulos nimis ineptè atq; adulatoriè deprædicauit atq; extulit, qua re non parum offenſus Fridericus, Græcas ſuas nugas domi eos ſuſpendere, & ab indebitis huiusmodi titulis deinceps abſtinere iuſſit. Se enim Romanum Imperatorem & eſſe & dici; Manuelem tantum Nouæ Romæ, id eſt, Conſtantinopolitanum Imper. adpellandum. Erat Manueli vxor Irene Cunradi Imper. ſoror, Friderici Sueuiæ Ducis, vti & noſtri Friderici amita. Hæc per eandem legationẽ ſplendidiſſima adoleſcenti Principi munera miſit, & à Friderico Barbaroſſa precibus cõtendit, vt more antiquitus recepto & adhuc in familiis nobilibus vigente eum gladio accinctum velut manumitteret: quod facilimè impetrauit. Eandem in vrbem rex Angliæ quoque Heinricus, (is qui Thomam Cantuarienſem Angliæ primatem & Cancellarium, ſanctitatis nomine clarum, immiſſis in ipſo templo percuſſoribus, trucidaſſe fertur) legationem miſit cum ampliſſimis muneribus, inter quæ præcipua fuit ſcena artificioſiſſima, & pretioſiſſimi operis, quæ per plus, quã quinq; iugera extendi, & plurimos homines capere potuiſſe ſcribitur, auro & gemmis radians. Sed quis omnium regum ac Principum legatos & munera commemoret, quæ in regiam Friderici, tanquam in mare flumina vndiq; terrarum confluebant, ex Hiſpania, ex Gallia, ex Hungaria, ex Polonia, & ex Dania? cuius quidem regem etiam

ſceptro

ſceptro inueſtiuit. Maxima erat tunc inter omnes Germaniæ Principes potentia Henrici Leonis, Bauariæ Saxoniaque Ducis, à quo hodierni Principes Brunſvvicenſes originem traxerunt. Hunc vt in fide atque obſequio retineret, ſolicitè operam dabat Fridericus, vt & ſupra indicabam. Sed Leo ille Aquilæ ſigna, cùm in Italiâ diutius volitarènt, deſeruit. Itaque reuerſus in Germaniam Fridericus Gelhuſii in Franconia comitia de ipſius capite egit, & de conſilii ſententia pro perduelli condemnatum atque proſcriptum exuit omni ditione, quæ latiſſimè, vt dicebam, patuit. Et Bauariam quidem occupandam permiſit Othoni Comiti VVittelsbachio, ſtirpi hodiernorum Bauariæ & Palatinatus Ducum: Saxoniam verò Bernhardo Alberti Urſi filio, principi Anhaldino, qui primus rutaceum ſertum inſignibus maiorum ſuorum addidit, quod forte per æſtum ruta coronatus Fridericus ſertum capiti ſuo detractum in ipſius clypeum proieciſſet. Ita Heinricus Leo profugus in Angliam ad ſocerum regem profectus, & aliquandiu ab eo ſuſtentatus eſt: Tandem & in Palæſtinam iter habuit; ex quo reuerſus Brunſvvigæ (hunc enim ducatum ei ſupplici reliquum fecerat clementia Imper.) in fata cōceſſit, cum prius Bardouicū, ex cuius ruderibus Luneburga creuit, euertiſſet. Referā vobis & aliud ſeueritatis ac iuſtitiæ exemplū in Heinricū comitem Palatinum, aliosque x. *Comites Germanicos editum. Hi enim quod per abſentiam Friderici in Italia bellum gerentis pacem publicam in Germania turbaſſent, canem humeris portare*

Google

multis ſpectantibus per mille paſſus coacti ſunt. Hanc enim pœnam militarem tunc inter Germanos vſitatam fuiſſe, multi illorum temporum hiſtorici literis conſignarunt. Erat eiusdem criminis reus etiam Epiſcopus Moguntinus: in quo eâdem pœna ignominia affecto ne cui forte ipſa violata religio videretur, & tamen ne ei ſic impune abiret crimen, hanc iniit rationem vti pro Epiſcopo alius canem geſtaret. Quia vero Germania paſſim ea tempeſtate latrociniis infeſta habebatur (nam & Cæſar de maioribus noſtris ſcribit, apud eos latrocinia nullam habuiſſe infamiam, dum extra fines cuiusque ciuitatis fierent: iuuentutis enim exercendæ ac deſidiæ minuendæ cauſſa ea fieri prædicabant) laudatiſſimus Imperator vt tuta præſtaret itinera publicaque ſecuritati conſuleret, plurimas arces (quæ latronum aſyla & receptacula erant) in altiſſimis rupibus extructas diruit: prædones ipſos vel in crucem egit, vel gladio percuſſit, vel perpetuis vinculis damnauit. Multa hic nobis prætereunda ſunt pulcerrima facinora, quibus Imperator & iuſtitiæ ſtudium, & pietatem erga Deum, & robur inuicti animi & bellandi peritiam, omneque virtutum genus declarauit.

Venio ad vltimum actum vitæ Friderici noſtri, quem glorioſiſſimus Princeps in Aſia exegit. Eum quoque breuiſſime perſtringam. Late tunc in tota Syria & reliqua Aſia dominabantur Saraceni, quorũ, vt & Turcarũ, opes ſemper ob Chriſtianorũ diſſenſiones potiſſimũ creuerunt. Iamque duce Saladino, Ægypti domino, Hieroſolymitanũ regnum (quod 88 ante annis Chriſtiani auſpiciis

Godo-

Godofridi Bilionæi Lotharingiæ Ducis ereptum Saracenis feliciter occuparant) Saraceni rurſus extirparant, & vrbem ſanctam in ſuā redegerant poteſtatē. Non tulit hanc tantam populi Chriſtiani cladē Fridericus noſter, cūq; domi in delitiis & otio, ſed inglorius viuere potuiſſet, turpi otio honeſtos & pios labores antepoſuit. Nimirum vt olim ille populi Dei vindex & aſſertor Moyſes relictis omnibus regiis delitiis, quibus in aulā Pharaonis ab eius filia educatus affluebat, maluit συγκακουχεῖσθαι Iſraelitis afflictis, & ſeruilibus preſſos laboribus ſubleuare, inquè libertatem vindicare: Ita & Fridericus nihil prius, nihil antiquius habuit, quàm afflictis Chriſtianorum rebus ſuccurrere, eosque ab infidelium Mahometicolarum iniuriis, & ſeruili iugo, quantum in ſe eſſet, liberare. Itaque ingentibus collectis copiis in Aſiam transfretauit, per ſummas difficultates màximaque pericula, quæ ei non parum auxit malefidus Græcorum Imperator. Nam vt antea in conſimili expeditione Hieroſolymitana idem Cunradi Imp. gloriæ & honeſtiſſimis conatibus Germanorum inuidens inſidias optimo principi, & eius exercitui ſtruxerat, gypſo quoq; in farinam, quæ Germanicis militibus vendebatur, nefariè immixto. Ita neq; in hac iterata expeditione à malitia diſceſſit. Nam cum ab eo Fridericus tranſitum per eius Imperii regiones (qui iure gentium nemini ſine maleficio proficiſcenti denegari poteſt) & commeatum rerum neceſſariarum petiiſſet: perfidus ille & inſolens Græculus captis legatis pene 200. (inter quos etiam erant Principes, Epiſcopus Monaſterienſis & Robertus comes Naſſouius) miſſa ad Fridericum alia

legatione auſus eſt ſe ſanctiſſimum Imp. iactare: Fridericum verò vrbis Romæ Aduocatum appellare (quem titulum eidem Imper. idem Græculus etiam in Epiſtola tribuit, quam recitat Albertus Krantzius in Metropoli) penes ſe, qui iam & Fridericum, & omnẽ eius exercitum velut indagine concluſum habeat, penes ſe, inquam, eſſe Monarchiam Romanã. Retudit hanc inſolentiam Fridericus, & vt dignum erat reſpondit: ſanctitatem ſe quidem nullam in ſe agnoſcere, nec ſibi arrogare: quin potius peccatorem miſerum fateri, & ob impetrandam à Deo peccatorum veniam, defenſionemque Chriſtianæ genti procurandam hoc tam longinquum iter ſuſcepiſſe. Ceterum ſe & auis & proauis Imperatoribus prognatum, electione Principum & conſecratione Epiſcopali ad imperium conſcendiſſe. Proinde Imperii Rom. maieſtatem iure ac meritò ſibi vindicare, nec cuiquam alteri dum vita ſibi reſtet, cõcedere. Ad retia quod attinet, quibus ſe Græculus iactaret concluſum & circumdatum tenere cum exercitu Fridericum, facilè ſe ea tanquam telas aranearum perrupturum, & viam manu ac ferro ſibi aperturum. Hæc renũtiaret legatus ſuo cani (ſic eum propter tam effrontem impudentiam appellabat) & captiuos dimittere iuberet. Tandem inter duos illos Impp. vtcunq; reconciliatâ gratiâ Fridericus perrexit, & copias duxit Iconium, quod Ciliciæ oppidũ eſt ad radices montis Tauri, magnitudine (vt aiunt) facilè æquans Coloniam Agrippinam. Eius Suldanus Melechi Turcarum regis filius cum exercitui Germanico rerum promercalium copiam, quam tamẽ Imperatori antea promiſerat, denegaret,

ret, ac inſuper pro tranſitu magnam vim auri & argenti poſtularet (vt eſt barbaræ nationis auaritia inexplebilis) Fridericus prælio cum Turcis commiſſo in fugam eos coniecit: Iconium captum militibus diripiendum obiecit. Sic ditato prædis exercitu plurimis barbarorum cæſis, acceptisque à perfido Suldano 20. obſidibus, pergens obuios habuit Saladini Saracenorum regis legatos, per quos ille ſe (vt erat Princeps callidiſſimus) Friderico de occupata Hieroſolyma purgabat, pollicebaturq; ſe ſtare velle ſententiæ & arbitrio principum: ii æſtimarent, iure an iniuria eam detineret.

Aiunt hunc Saladinū fuiſſe incredibili humanitate & comitate principem, qui ſe facilem & æquabilem omnibus præbuerit, & fama iuſtitiæ clementiæq; plures Chriſtianos imperio ſuo adiūxerit, quàm alius forte vi potuiſſet. Itaq; ſpes erat tractationis alicuius de pace, aut ſi ea honeſte obtineri nō poſſet, ſpes vlterioris victoriæ. Sed eam intempeſtiua atq; inopinata mors Friderici omnē intercepit. Nam ſuperatis tot difficultatibus itinerum, tot inſidiis, tot præliorum caſibus, tantá famis anguſtia, per quam plurimos Imperator ſuorū amiſit, tantis vbiq; rebus geſtis, tot vrbibus captis, direptis, euerſis, in medio victoriarum curſu Frid. non ætate & ſua morte extinctus (quanquam eſſet iam æui maturus, & annum ætatis ageret 68.) ſed in flumine Cydno ſubmerſus magnum omnib. Chriſtianis luctum attulit, magnū omnib. bonis deſideriū ſui reliquit. Priusquā de mortis occaſione dicā, non poſſum quin paucis attingā duo, quæ mihi in illa expeditione maximè viſa ſunt memorabilia. Vnū eſt quod exercitui Turcico, qui 40. millia equitum

Digitized by Google

habuiſſe dicitur, auſus fuerit Frider. opponere tantum ſexcentos equites. Tot enim reliquos ei fecerat fames viarumq; aſperitas, quæ plurimos & viros & equos abſumpſerat: iique ipſi pene viribus exhauſti erant, cum ſæpè in defectu annonæ equinis carnibus veſceretur. Et tamen tam parua manus tantas hoſtium turmas (quæ locuſtarum in modum omnia longè lateque contexerant) in fugam conuertit. Nimirum hoc eſt quod dicitur: Quamuis equus paretur ad prælium, à Domino tamen eſſe victoriam, cui facilimum ſit etiam exiguis copiis vincere. Confeſſi autem ſunt poſtea ipſi hoſtes Turci, ſe in acie Chriſtianorum vidiſſe quoſdam equis candidis vectos humana ſpecie auguſtiores, amictos candidis veſtibus, qui pro Chriſtianis propugnaſſent; horum ſe vultum ſuſtinere non potuiſſe. Itaq; terrore perculſos fugam arripuiſſe. Idem ſibi quoque non ſemel viſum iuratus confirmauit Friderico comes Helffenſteinius Ludouicus: qui, (vt erat illorum temporum ſuperſtitio) Diuum Georgium fuiſſe illum anteſignanum exiſtimabat. Mihi dubium nullum eſt, quin circa eum qui prælia Domini tam ſancto ſtudio præliabatur, ſeque pro populi Dei ſalute deuouerat, angelus Domini caſtrametatus fuerit, & vim hoſtium ſuſtinuerit atque propulſarit. Sic & antea ſæpiſſimè ipſe aer & tota rerum vniuerſitas pro Friderico militare viſa eſt: vt iure de ipſo poſſis exclamare: ô nimium dilecte Deo, cui militat æther, Et coniurati veniunt ad claſſica venti: *vt de Theodoſio fecit Claudianus. Occaſio mortis illius (vt dicebam) violēta, huiuſmodi fuiſſe traditur. Cum in rapido quodam flumine, cui Selephium nomen,*

pran-

pranſus Imp. per magnum æſtũ lauare, & natando ſe refrigerare vellet, vorticoſus amnis eũ abripuit atq; abſorpſit, quem quidem eodem die non ſine periculo etiam eques traiecerat. Reliquiæ tamen exanimes recuperatæ, & Tyrum deportatæ, vbi & humatæ ſunt. Hunc exitum habuit optimus princeps, de quo iure exclamare licet;

Eheu quam leuibus pereunt ingentia cauſis.

Et vſurpare Euripideũ illud Epiphonema, quo apud ſapientiſſimum illum Philoſophum Scenicum 5. Tragœdiæ velut obſignantur: πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων. Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί, καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη. τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρεν θεός. Τοιόνδ' ἀπέβη τόδε πρᾶγμα.

Vt autem ſolet Deus magnorum virorum mortes aliquo notabili ſigno mortalibus prænuntiare: ita neque Friderici mors tali ſigno caruit. nam terræ motus, qui paulò ante intempeſtæ noctis ſilentio coortus fuerat ab omnibus pro præſagio habitus eſt, fore, vt Imperatori humanitus aliquid contingeret. Extincto huius belli ſacri duce Friderico Imperatore, & filio eius aliisq; non paucis principibus (inter quos & Haſſiæ Landgrauius Ludouicus fuit) peſtilentiâ conſumptis, cæteri miſere dilapſi, domum re infecta redierunt.

Audiuiſtis ſtrictim & carptim à me recitatum curriculum vitæ Imp. Aug. Friderici I. Ex qua commemoratione facile intelligere potuiſtis, omnes numeros boni Principis eum impleuiſſe. Et cum duo ſint quæ ab egregiis Principibus expectentur, (ſecundum id, quod ſcribit inſignis hiſtoricus) ſanctitas domi; in armis fortitudo, vtrobique prudentia; quid tandem horum paſſus eſt in ſe Fride-

Digitized by Google

ricus noſter deſiderari? Cumq; res maximas geſſerit in Italia, Germania, Aſia potuiſſet (humanitus loquendo) etiam multò maiores ac plures gerere, niſi ii, qui maximè ipſius ſanctiſſimum propoſitum adiuuare debebant, ipſi maximè obſtitiſſent, eiusq; conatus perfidioſiſſimè impediuiſſent. Præ cæteris autem ei (vt vidimus) aduerſati ſunt Manuel Græcorum Imp. Mediolanenſes, & Papa. Papæ verò & quibuſdā Cardinalibus ac legatis eius quod ſe oppoſuit Fridericus, id nulla animi profanitate aut impietate eum adductum feciſſe, certum eſt. Nam quam aliàs erga Dei ſacerdotes reuerens ac munificus, quam religioſus cultor fuerit, ſanctorum virorum, quorum ex conſilio omnia agebat, ſatis reliqua eius vita actaq; teſtantur. Quid ergò cauſæ fuit? nimirum dignitatem & maieſtatem imperii per Papam Rom. propè conculcatam aſſerere & vindicare ex ſummis opibus nitebatur. Hinc eum Papa Hadrianus quaſi è plauſtro acerbiſſimis conuiciis conſperſum, vocauit, iniuſtum, ſæuum, impium, ſuperbum, ingratum & immemorem accepti beneficii, *quod in eum dato imperio contuliſſet. Hinc Adriani ſucceſſor Alexander 3. eidem etiam ſacris interdixit. Hinc ferale illud & immane in Fridericum odium Paparum, quod ne morte quidem terminatum eſt, ſed etiam in poſteritatem Friderici ſæuiit: in Henricum & Philippum Impp. Friderici filios: in Fridericum 2. Barbaroſſæ nepotem, quem Papa non ſolum excommunicauit, ſed etiam Saladino velut hoſtiam piacularem obiecit ac prodidit: deniq; in Cunradum, qui vltimus familiæ Friderici ſimiliter inſtigante Rom. Pontifice a Carolo Neapoli trucidatus*

tus eſt: vt Philippus Bamberga per Ottonem Pal. cuius pater à Frid. Barbaroſſa Comes Palatinus creatus fuerat.

Æterna igitur memoria & veneratione dignus eſt hic Princeps: cui hoc veriſſimum elogium cum hiſtorico eius tēporis Radeuico, Othonis Friſing. continuatore tribuimus: Nullum ſibi otioſum diem præterlabi paſſum eſſe, quo non aliquid de vtilitatibus Imperii: de Iure & Iuſtitia inter omnes gentes conſeruanda conſtituiſſet, totoque ſui regni tempore nihil vnquā duxiſſe melius, nihil iucundius, quàm vt Imperium Rom. ſua opera ſuoq; labore priſtina polleret ac vigeret auctoritate. Bella geſſit plurima & grauiſſima; adeoq; totum eius vitæ curriculum nihil aliud complexum fuiſſe videtur, quàm bella, horrida bella. Vnde quidam in eius nomine delicias fecerunt, vt dicerent κατ' ἀντίφρασιν nominatum Fridericum. Sed immeritò illuſerunt optimo principi: neq; n. odio pacis tot bella geſſit, ſed vt improbitati frena imponeret, maieſtatemq; & Iura imperii ab iniuriis ei detrahentium vindicaret. Didicerat enim quod eſt veriſſimè à S. Auguſtino ſcriptum: Apud veros Dei cultores etiam ipſa bella pacata ſunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, vt mali coerceantur, & boni ſubleuentur.

De legislatione Friderici tū ciuili, tum feudali & militari, alius fortaſſe dicendi locus erit. Nunc quò vultis, ire licet. Dixi.

Altorphii 20. Maii Anno 1600. in reditu ad labores docendi à feriis Pentecoſtes.

IN FRIDERICVM I.

Epigramma Iacobi Micylli.

H*Vic ſi par animo quondam fortuna fuiſſet,*
Quantò Pontificum nunc foret ira minor:
Qua tamen id potuit, patriam defendit, & vnus
Obſtitit imperiis Roma ſuperba tuis.

ALIVD Henrici Meibomii.

Cur nomen de pace tuli? ſi prælia nuſquam
Nunquam implacati pectoris hoſtis abeſt.
Inferior nulli tibi ceſſi Roma; timoris
Cauſa tamen pietas; non Papa, non Veneti.

PRO-

PROLEGOMENA

Ad commendationem FEVDORVM, *& de docendi ratione.*

QVI lanam aut pannum colore tingere inſtituunt, Auditores, ii prius lanam aut pannum eum vel iſatide vel aliis herbis lotionibusque præparare conſueuerunt, quo melius atque penitius colorem combibat & firmius durabiliusque retineat. Qui terræ ſemina commendare volunt, hi prius quàm ſementem faciunt, terram ſubigunt & molliunt, glebasque frangunt & comminuunt aratro, raſtris, ſarculo, bidente, ceteroque inſtrumento ac mundo ruſtico, quo facilius ager ſparſum ſemen concipiat ac foueat, donec adultum fructificet copioſè, & colonum multiplici fœnore beet. Qui picturam aliquam tabulæ vel parieti inducere cogitat, is prius in tabula aut pariete primas lineas peniculo ducit, & adumbrat picturam, quam viuis colorib. illuſtret atque perficiat, quæ rem ipſam, cuius imago & imitatio eſt, verè repræſentans, ſpectatorum oculos animumque ſua pulcritudine capiat & oblectet. Qui arcem aut ædificium molitur architectus, figuram futuri ædificii prius delineat, quàm ſtructuram ipſam aggrediatur. Denique qui ſacris operaturi ſunt remque diuinam facturi, ſollicitè prius ſe abluunt & purgant, quàm quicquã attingant, perſuaſi nimirum quod

Τρὶς ἀπομαξαμένοισι Θεοὶ διδόασιν ἄμεινον, vt eſt in verſu Callimachi.

Quid ni igitur nos quoque in noui argumẽti, quod, volente Deo, deinceps explicaturi ex hoc loco ſumus, aggreſſione & exordio nonnulla præmittamus, quæ

pertineant ad animos audientium præparandos? Sic enim & alacriores promptioresque in huius doctrinæ Feudalis ſtudio futuri, & facilius atque felicius quæ tradentur percepturi, & fidelius firmiusque tradita & accepta retenturi videntur. Præfationis igitur loco decreui hac hora nonnihil afferre, quod partim commendationem huius, quod tractabimus argumenti, partim eius tractandi modum rationemque complectatur. Intelligetis autem, vti ſpero, ex his quæ dicam, ſiue quis vtilitatem ſpectet (quæ animos plerorumque mortalium maximè commouere ſolet) nihil eſſe Feudorum doctrina vtilius, nihil fructuoſius: ſiue *Neceſſitatem* intuearis, nihil eſſe quo minus carere poſſit Imperium Germanicum ad ſtatus ſui, qualis quidem nunc eſt, conſeruationem & perpetuitatē: ſiue *Honeſtatem* quæras (quæ in generoſis animis, & meritò, valet plurimum) nihil hac cognitione honeſtius cogitari poſſe: ſiue iucunditatem & voluptatem conſideres, quæ ſi cum honeſtate coniuncta ſit (neque enim aliter voluptas homine digna dici meretur) maxime nos allicit & inuitat, nihil eſſe Iuris feudalis notitia iucundius: ſiue denique huius argumenti difficultatem reſpiciamus, eam tantam eſſe, vt vix vlli parti Iuris Ciuilis concedat: ſed tamen ſi quis certa via ac ratione rem iſtam aggrediatur, & ordine in ea diſcenda progrediatur, facilè poſſe omnem illam, quæ magna videntur, difficultatem mediocri ſaltem adhibita diligentia ſuperari. In quibus attentè audiendis vt animis adeſſe velitis, fruſtra & ex abundanti vos orauero, cum iam ante attentiſſimos eſſe videam.

De vtilitate igitur, quod primum erat ex iis, vnde Feudorum commendatio peti poſſit, neminem veſtrum eſſe arbitror, quin eam facilè agnoſcat, maximamque fateatur. Sed tamen paucis ea per nos quoque explicanda videtur. Vtilitatem verò cum nomino, eamque à Feudis vberrimam profluere dico, non hoc tantum intelligi volo, Poſſe hac doctrina inſtructum Procuratorem vel aduocatum & Cauſidicum aliquem clientibus operam dando, cauendo, conſulendo, pa-

do,patrocinando,multos inde nummos corradere,ſeſeque magno & vbere quæſtu collocupletare, &, vt aiunt,burſas implere. Etſi enim huc quoque plurimum conducit Feudalis Iuris cognitio: tamẽ ſcopus princeps ac primarius ingenuis animis propoſitus eſſe non debet. Fructus enim magis hic eſt quàm finis. Qui autẽ quæſtui tantùm deditus eſt, eoq; omnia metitur, is quid aliud quàm pretio nummario pulcerrimam æqui bonique ſciẽtiam dehoneſtat? quod tamen fieri Vlpianus quoq; noſter vetat. Et(quod ſæpe ſubiit animum mirari) qui in hanc rem laudant locum Iuſtiniani,ex *Nou.1.De hared.& falcid.* Quod leges neminem ſinant neque in paupertate viuere, neque in anxietate mori, ii aut mentem auctoris parum attendiſſe atque aſſecuti eſſe videntur,aut eam ſcientes prudentesque, dum cupiditatib.ſuis blandiebantur, aliò detorſerunt. Quęnam igitur eſt ea,quam potiſſimum prædicamus,Feudorum vtilitas?Nimirum illa quæ ad Rempublicam redundat. Quæ autem ſunt publicè vtilia,non poſſunt non etiam ſingulis vtilia eſſe, quandoquidem publica vtilitate ſingulorum vtilitas continetur;& contrà(vt à Solone rectiſsime dictum accepimus:)

Intrant in thalamos publica damna tuos.

Reipublicæ igitur vtilia ſunt Feuda, primùm eadem ratione, qua & militia: Deinde eadem ratione, qua ordo diuinitus inſtitutus, vt alii præſint, pareant alii, ſiue vt alii ſint Magiſtratus alii ſubditi: & inter ipſos illos qui præſunt, alii ſint aliis vel ſuperiores vel inferiores: Denique eadem ratione, quâ Reipubl. vtilis eſt neceſſitudo illa & mutua obligatio inter clientes ac patronos. Quæ ſingula vt melius ab vno quoque intelligantur qualia ſint, nonnihil explicanda ſunt.

Dico igitur, primùm eadem ratione Feuda Reipubl. vtilia eſſe, qua & militia. Nam militaria eſſe hæc beneficia, quæ *Feuda* appellamus, vel inde liquet, quod Vaſalli ſubinde in hoc Iure *Milites* nominantur. Neque dubium eſt vllũ,quin prima origo huiuſmodi beneficiorum & obligationum ex militia flu-

xerit. Tunc ergo (inquiet aliquis) militiam, tu bella, tu expeditiones, tu prælia Reip. vtilia eſſe ais? Ego verò, Auditores, affirmo. Quippini? Etſi enim, vt canit Poëta:

——— *Pax optima rerum,*
Quas homini nouiſſe datum eſt; Pax vna triumphis
Innumeris potior. ——— Tamen quia propter improbitatem hominum pax honeſtè & cum bona gratia ſemper obtineri non poteſt, aliquando bella gerenda ſunt, vt in pace honeſtè ac tutò viuamus: quæ & Ciceronis in libris officialibus & S. Auguſtini eſt ſententia. Quid enim ſi ab hoſtibus, ſi à latronibus atque prædonibus iniuſtè inuadaris, ſi bona tua diripiantur, agantur, ferantur, ſi aliter violeris, iniuriiſque afficiare, nonne te natura ipſa docet, nonne omnes leges omniaque iura permittunt, vim vi repellere, cumque iure non poſſis (quod prius tamen ſemper tentandum eſt) manu experiri? Cum autem ad ſui bonorumque ſuorum defenſionem, maximè aduerſus plures, nemo ſibi vnus ſufficiat (quia vt prouerbio vetere dicitur, *Ne Hercules quidem aduerſus duos*) ſed plurium ſocietate & auxiliaribus copiis quiſque indigeat (ipſa enim natura hominem hominis egere voluit, vt genus noſtrum tanto arctius ſibi inuicem conciliaret atque deuinciret) cumque propter egregiam in bello nauatam operam beneficiũ alteri debeatur, vnde ſe & ſuos exhibere, & ad nouam in poſterum expeditionem, ſi opus ſit, parare atque inſtruere poſſit: nemo non intelligit, quàm ſit ex vſu Reipubl. quàm vtile, quàm ſalutare Feudorum inſtitutum, quod ad hæc omnia ſeruiat & conducat. Hoc enim iure & Vaſallus Seniori ſeu domino Feudi ad fidem, obſequia, ſeruitia militaria, defenſionemque, & hic viciſſim illi ad fidem & protectionem mutuam obligatur. Eſt enim hîc vltro citroque obligatio, vt aliàs pluribus explicabo.

Dixi deinde etiam idcirco Feuda eſſe vtiliſſimum reip. inſtitutum, quia procul dubio reip. expedit, vt ſeruetur ordo ab ipſo Deo rebus humanis præfixus, quo alii præſunt, alii parẽt. hoc .n. neglecto, fiet Cyclopum cœtus potius quã ciuitas & hominũ conſociatio,

Vbi

Vbi nemo nulla nemini in re obtemperat:
Ὅπου ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός.

Expedit quoque reipublicæ, vt inter ipſos qui præſunt certi ſint gradus,&,ſecundum Horatium,
Omne ſub regno grauiore regnum.

Quis autem eſt qui neſciat, non ſolùm in Germania,ſed etiam in Hiſpania,Gallia,Anglia,Polonia,Dania,id eſt, in omnibus Chriſtiani orbis regnis,prouinciis atque imperiis alios eſſe Imperatores,alios Reges, alios Duces,alios Marchiones, alios Landgrauios, alios Comites,alios Barones, alios Nobiles, alios Nobilium Vaſallos? Atqui de his omnibus dignitatum ordinibus & iuribus,interque ſe σχέσει & affectione mutuaque deuinctione, qua ſalus Reipubl. continetur & ſarta tecta manet, in Feudorum doctrina explicatur. Docetur enim, quis & quæ feuda poſſit dare, quis & quæ feuda accipere; quid acceptorum nomine domino ſuo (qui hic Senior non tàm ſenectutis quàm honoris vocabulo nuncupatur) præſtare teneatur; quid rurſum ipſe ab eo expectare debeat.

Eaque omnia illuc diriguntur, vt *Salus populi ſuprema lex ſit*,quemadmodum eſt in XII. Tabulis,& apud Ciceronem De legibus. Quando autem hîc nobis de ordine nobilium ſermo eſt, diſſimulare nō poſſum, ex obſeruatione diligentiſſimi rerum noſtratium ſcriptoris Alberti Krantzii, Eos qui hodie Nobiles ſalutantur, olim *Miniſteriales* dictos fuiſſe aut *feudatarios*: Nobilium vero titulum his tantùm tribui ſolitum,Baronibus,Liberis Dominis,Comitibus, Ducibus. Hos (inquit) Papa appellat Nobiles viros, hos vſus principalium Scribarum, & omnium rectè diſcernentium munera graduum ſingulorum. Quid patitur Miniſterialis, vt in hac Nobilitatis appellatione coæquari quærat duci? Idque multis hiſtoriæ ſuæ locis inculcat non ſine ſtomacho. *Vid. Metropol. lib.3. c.11. lib.8.c.14. lib.9.c.4.*

De neceſſitudine illa & obligatione mutua inter clientes & patronos quod aiebam tertio loco, id optimè intelligetis ex Dionyſio Halicarnaſſeo hiſtorico, qui hoc inſtitutum Romuli valdè commendat, & Reipubl. vtiliſſimum fuiſſe prædicat. Illi autem inſtituto *Lib.2. Antiquit.*

hoc noſtrum Feudale ius valdè ſimile atque cognatum eſt, adeò quidem, vt nonnullis etiam ex illo deriuatum fluxiſſe videatur. Cui opinioni & hoc fauet, quod ſæpè Vaſalli in vſibus Feudorum (ita inſcribuntur vulgò duo illi libri quos interpretabimur) *clientes* quoque & *clientuli* appellantur. Et hanc quam commemoraui, multiplicem Feudorum vtilitatem tot iam ſeculorum vſus & lapſus comprobauit, ipſis rerum argumentis, magiſtraque experientia. Nam quæ reipublicæ & hominum ſocietati pernicioſa ſunt, ea tanquam ipſi naturæ aduerſa diu conſiſtere nequeunt; ſed aut exturbantur velut è corpore reipubl. aut illud perturbant & perdunt: perinde vt venena intra corpus humanum aſſumpta niſi per vomitum reiiciantur, ei qui hauſit exitio ſunt; nunquam autem in ſubſtantiam corporis conuerti & cum ea coaleſcere poſſunt. Iam verò Feuda, quamuis fortè eorum initium & ortus tàm præciſè & in puncto (quod dicitur) demonſtrari non poſſit (paulatim enim moribus introducta, recepta, confirmata, auctaque ſunt: vnde & *Conſuetudines Feudorum* paſſim appellantur:) & quæ conſuetudine ac moribus introducuntur, in iis ſæpè vt in alluuionibus agrorum neque initium exactè demonſtrari poteſt, neque quantum vnoquoque tempore accreuerit. Eſt enim vtrobiq; latens incrementum. Quamuis igitur, vti cœperam dicere, fortaſſis initium & prima (vt ſic loquar) incunabula feudorum ita ad vnguem demonſtrari nequeant; tamen ea iam ante aliquot ſecula in vſu fuiſſe, continuaque ſerie manſiſſe certum atque exploratum nobis eſt. Quòd ſi euentus, qui & ſtultorum magiſter dici ſolet, hoc inſtitutum arguiſſet Reipublicæ noſtræ pernicioſum, & allucinatos fuiſſe eos, qui vel primi eius inuentores & auctores vel inuenti approbatores atque imitatores extiterunt: ecquis putet, tàm inſanos ac ſtolidos homines futuros fuiſſe, vt re pernicioſa tàm diu, tamq; conſtanter vterentur; cum, vt vetus verbum habet, præſtet retrorſum currere, quàm perpetuò malè procurrere. *Παλινδρομεῖν δεῖ μᾶλλον, ἢ κακῶς δρομεῖν.*

Ad

Ad hæc, quis neget, eiuſmodi inſtitutum, quod ad conſeruandam familiæ dignitatem facit, reipublicæ plurimum vtilitatis afferre? Atqui Feuda pleraque omnia eius ſunt conditionis, eoque iure cenſentur, vt excluſis à ſucceſſione fœminis (quæ in aliam familiam migrantes, ſuæ familiæ & caput & finis eſſe perhibentur,) ſoli ſuccedant mares, per quos nomina familiarum propagantur & conſeruantur: Vnde &

Nõ ſolet feudum tranſire per lineam femineã: inquit Alber. Krantzius, 11. libr. Metrop. c. 49.

Domus columnæ liberi ſunt maſculi:

(Στύλοι γὰρ οἴκων παῖδές εἰσιν ἄρρενες.)

vt eſt apud ſapientiſſimum Tragœdiæ ſcriptorem; & ex eo citat etiam eruditus ſomniorum coniector. Familiæ autem dignitas ſine opibus vitæq; præſidiis diu conſeruari & conſiſtere non poteſt, ſicut nec iter longum confici abſque luculento viatico. Bona verò feudalia ad eam rem plurimum conducunt. Quæ cum ita ſint, quiſquamne reperietur, qui inſignem ac multiplicem Feudorum vtilitatem inficiari auſit? Equidem ego nunquam potui accedere ad ſententiam doctiſſimi cuiusdam viri, ex quo ſepenumerò audiui, quod & publicè aliquãdo in diſputatione defendere conabatur, *Feudorum vſum Reipubl. benè conſtitutæ pernicioſum eſſe.* Quam ſuam theſin tunc demum ille nobis perſuadebit, cum oſtenderit prius, & iura militiæ Reipubl. pernicioſa eſſe, & ordinem atq; connexionem inter eos qui præſunt & qui parent, & mutuam inter patronos ac clientes obligationẽ, & familiarum conſeruationẽ, quam tamen & ipſæ XII. Tabulæ, fons ille ac finis omnis æquitatis, ante oculos iam olim habuerũt, & Plato atq; Ariſtoteles, & his omnib. potior & præſtantior Legumlator Moyſes. Nec mouet quicquam, quod Ius illud Feudiſticum libertati ciuium & bonorum officere, quodque ſeruitutem quaſi quandam introducere videatur. Vnde etiam illud velut per manus traditum eſt, Vnamquamque rem in dubio potius allodialem, patrimonialem, liberam quàm feudalem præſumi, vt ſuo loco docebo. Et exclamat celebris Pragmaticus Ferrarienſis: *Patet ex his, quanta ſit ſeruitus, Vaſallum eſſe, max. magnorum principum, quibus licet de facile qua-*

Artemidor⁹ lib. 2. Onirocritic. c. 10. ex Euripid.

ſtiones mouere & in iis obtinere. Neque enim omnis ſeruitus Reipubl. pernicioſa, quin potius ſæpè vtilis eſt atque opportuna. Nonne & legum idcirco ſumus ſerui, vt verè liberi eſſe poſſimus? ſicuti eſt veriſſimè à M. Tullio pronuntiatum. Illud autem neceſſitudinis vinculum, quod in Feudis inferiores cum ſuperioribus connectit, firmiſſimum eſſe neruum Reipubl. quis tàm eſt vel imperitus qui non agnoſcat, vel maleuolus vt non libenter fateatur?

Dixi de Vtilitate Feudorum, non quæcunque dici poterant, (ſunt enim, ſi quis indagare & perſequi velit, longè plura) ſed quæ huius loci ratio & temporis breuitas admittere videbatur. Alterum quod ad commendationem huius inſtituti feudiſtici facere aiebam, eſt Neceſſitas: quæ ex vtilitatibus iam commemoratis euidentior atque conſpectior eſt, quàm vt pluribus debeat demonſtrari. Illud fidenter mihi affirmare poſſe videor: Quod euerſis atque abolitis Feudis totius Imperii Romani ſtatus immutatus labefactaretur ſimul ac peruerteretur: quod ſine maximo malo fieri nequaquam poſſet. Nam in rebus publicis quæuis mutatio mortifera atque exitialis eſſe ſolet, ſecundum Xenophontem. Et vt eleganti comparatione vſus Plutarchus ſcribit: Vt periculoſum ac difficile eſt, annoſas arbores, quæ iam latè radices egerunt, loco ſuo reuellere, & in alium transplantare: Ita rempublicam ſuis aſſuetam inueteratamque inſtitutis ad aliam viuendi rationem traducere non licet, quin maximi rerum nouarum motus inde conſequantur. Et hæc quidem publicè. Nobis autem, qui in iure tractando explicandoque verſamur, tàm eſt feudorum doctrina neceſſaria, vt ſine ea non dicam perfectus Iuriſconſultus nemo, ſed ne tolerabilis quidem quiſquam eſſe poſſit. Quid enim vel de natura & ſubſtantia Feudi, vel de variis eius generib. vel de acquirendi, retinendi & amittendi modis, vel de iudiciis & probationibus feudalibus ſciet, qui nunquam huic doctrinæ quicquam ſtudii impenderit? Nonne ſi de his fortè rebus incidat quæſtio, obmuteſcet? quo quid fieri poteſt turpius?

Reſtat

Reſtat vt de Honeſtate pauca attingamus. Nam etſi neque tot tantæque vtilitates cum Feudis eſſent coniuncta,quot quantasque paulò antè diximus,neq; tanta eſſet eorum neceſſitas: tamen vel ipſa huius ſtudii dignitas atque honeſtas ſatis nos accendere atque impellere poterat, vt multùm operæ in feudis cognoſcendis poneremus. Qui enim ex Conſiliis,Reſpõſis Aduocationib.Sententiis,Deciſionib.quæ de Feudalibus controuerſiis ſæpè magnis Regibus, Principibus, Ducibus,Marchionibus,Landgrauiis,Cõmitib. Baronib.& Nobilibus viris dantur,ad dantem redit honor, tantus eſt, vt nec finem nec modum habere videatur. Conſilia verò dare, reſponſa tanquam oracula reddere, ſibi aliisque cauere, aduocationes præbere, ſententias dicere,certos ex incertis dimittere, quî poterit, qui nunquam hæc quæ de Feudorum iure tradita ſunt,cognouerit, legerit, audierit, hauſerit, didicerit? Quam porrò honeſtum putatis, Auditores, tractare de grauiſſimis rebus, non ſolùm ad priuatorum hominum commoda,ſed etiam ad patriæ communem ſtatum vtilitatemque pertinentibus: De Magiſtratibus, De Imperio & Iuriſdictione. Hæc enim plerisque Feudis annexa ſunt, & feudis conceſſis ſimul conceſſa intelliguntur. Ius quoque militare cognoſcere & tractare, nonne honeſtiſſimum eſt? Cuius beneficio multi, quam à primo ortu ex parentibus non habebant, propria virtute nobilitatem ſunt conſecuti. Viri enim magni atque pręclari non naſcuntur, ſed fiũt. Nec alia eſt magis expedita ad gloriam & nobilitatem graſſandi via, quàm militia. Atqui militate ius tàm cognatum & quodammodo inſitum eſt feudis, vt hæc etiã Militiæ,& Vaſalli ſeu feudatarii Milites inde fuerint appellati: quod & ſuperius innuebam. Quòd ſi magnam conſequuntur inter ſuos ciues dignitatem, & in pretio habentur, qui de ſeruitutibus, de ſtillicidiis, de viis & cloacis, de teſtamentis,de tutelis, de contractibus cauere, ſcribere, reſpondere norunt conſultoribus ſuis, quæ tantùm priuati ſunt iuris; quantò maiorem exiſtimabimus promereri laudem ac dignitatem eos, qui de

Regnis & horum iure, de Ducatibus, De Marchionatibus, de Comitatibus, de Baronatibus, de Nobilium officio, de Imperio & Iuriſdictione, de territoriis, diſtrictibus, ditionibus conſuluntur & operam dant clientibus, quos (vt aiebat Ennius) ex incertis certos & conſilii compotes ab ſe dimittunt, ne temerè res tractent turbidas? Cum enim Iuris duæ ſint poſitiones ſeu ſpecies: Publicum & priuatum: quorum illud ad ſtatum ſpectat reipubl. & ad publicam vtilitatem refertur; hoc priuatim ſingulis ciuibus expedit: noſtrum hoc ius feudale ex vtroq; velut mixtum & conflatum eſſe videtur. Non ſolùm enim ad priuatorum ſpectat vtilitatem (quæ priuati iuris propria eſt nota ac definitio) ſed etiam ad reipublicæ ſtatum pertinet, vt ex ſupra dictis facilè intelligitur.

De Iucunditate porrò & honeſtiſſima voluptate, quæ ex hoc ſtudio & feudorum tractatione percipitur, quid dicam? Hiſtoriarum cognitio, quæ cum Feudorum explicatione vera ac ſolida coniuncta connexaque eſt, eam vim habet in benè natis ingeniis, vt ſuauiſſimè animos noſtros afficiat, & voluptate maxima perfundat. Omnes enim homines naturâ deſiderant ſcire, teſte philoſopho: qui naturæ inſtinctus etiam in puerili ſtatim ætate ſe prodit, dum vel fabuloſis narrationibus, quàm auidiſſimè inhiamus: à ſcientia autem ipſa quoque Hiſtoria nomen apud Græcos accepit. Ac neſcire, quid ante quàm natus ſis, in orbe geſtum ſit, hoc eſt ſemper eſſe puerum. Cumque in vniuerſum quæuis hiſtoria (etiamſi ineptè, vt ait Plinius, deſcripta ſit) hoc habeat, vt lectores & auditores magnopere capiat ac delectet: tum in primis hiſtoria rerum in patria cuiusque geſtarum. Veriſſimè enim à Poëta dictum eſt:

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.
Non dubia eſt Ithaci ſapientia; ſed tamen optat
Fumum de patriis poſſe videre focis.

Ἱμείρων καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι ἧς γαίης, vt ait Princeps poëtarum.

In Feudorum autem explicatione paſſim occurrent multa hiſtorica, de rebus cùm in Germania, tum in Gallia, tùm in Italia, Bohemia, Polonia, Dania geſtis per principes ex gente Germanica electis atque euectis ad Imperii Romani dignitatem, quæ prioribus illis ſeculis longè longeque fuit auguſtior, & multò latius patuit. Nam, vt nuper in Oratione de Friderico I. audiuiſtis, non ſolùm ille ex Marchionibus Duces fecit, & ex Ducibus Reges creauit, verùm etiam Daniæ Regem pro vaſallo habuit, quem in Regnum tanquam feudum Imperii Romani per ſceptrum & gladium inueſtiuit. Idem & alii Germanici Impp. factitarunt, quique ſecuti eum ſunt, quique præceſſerunt. Poſterioribus autem ſeculis eò res delapſa eſt, vt non dubitarit ſcribere Albertus Krantzius: Dudum elanguit Imperium. Italici ferunt emortuum, nos magni nominis vmbram poſſumus appellare. nam res dudum euanuit. Non dubitarit etiam magnus ſuo ſeculo vir Nic. Cuſanus Cardinalis pronuntiare: *Facti ſunt ex tyrannica dominatione principes multi & potentes, imperio decreſcente.* Quales aliorum querelas plures proferre poſſim, ſi hoc nunc agerem. Huiuſmodi rerum humanarum vices contemplari & conſiderare nonne res eſt homine digniſſima & iucundiſſima? Cùm igitur tantam hæc de Feudis doctrina pariat voluptatem, ob dulcedinem hiſtoriæ rerum Germanicarum, Italicarum, Gallicarum, Danicarum, Bohemicarum, & ceterarum: quiſquam ne eſt, qui ea ſe priuari velit, ac non potius remis ac velis eam conſectari? Sed vt ſolent quæ pulcra, eadem etiam eſſe difficilia, ſic & Feudorum ea quam prædicauimus vtilitas, neceſſitas, honeſtas, & voluptas atque iucunditas, ſua non caret difficultate. Nimirum nil ſine magno vita labore dedit mortalibus, vt ille ait, veriſſimè. Sic armat ſpina roſas, mella tegunt apes: Et qui nucleum eſſe vult, nucem frangat oportet, vt venuſtè dixit Comicus. Difficultatis autem eius, qua Feuda circumſepta videntur, cauſæ variæ poſſunt indicari. Earum vbi nonnullas breuiter attigero, ſimul etiã remedia monſtrabo, quibus apparens illa difficultas, poſſit

In Metropoli.

Lib. 3. de Cõcordantia Catholica, cap. 29.

omnis ſuperari. Ex cauſis igitur, quæ hîc nobis difficultatem părere ſolent, non minima eſt barbaries vocum feudalium, & horror ac ſtribligo ſermonis, quo Feuda in vſum venerunt, ac tandem conſcripta ſunt. Neque enim ea ſtyli elegantia eove nitore aut cultu orationis, & natiua quadam puritate conſcripti ſunt libri Iuris feudiſtici, qua vel Iuriſconſultorũ veterum reſponſa, ex quibus *Pandecta* ſunt compoſitæ, vel qua plerorumque Impp. *Conſtitutiones* conſtant, quæ in Codicem Iuſtinianum ſunt relatæ. Sed quemadmodum Pontificum Rom. Epiſtolæ, quæ *Decretales* vocantur, ſic & Feudorum libri barbariem illius ſeculi redolent, quo ſunt ſcripti. Iampridem enim vti priſcus ille vigor Imperii Romani quondam florentiſſimi, ſic & ſermonis ac linguæ venuſtas & ſanitas elanguerat ac penè emortua fuerat. Quemadmodum Italia infuſis in eam peregrinis nationibus Gotthis & Longobardis occupata permixtaque eſt, moresque mutauit; ita & linguæ ſermoniſque puritas earundem conſuetudine & commercio gentium contaminata atque polluta eſt, plurimæque peregrinæ & abſonæ voces Latinis tanquam muſcerda piperi permixtæ: imò totus, vt ſic dicã, genius Romani ſermonis transmutatus eſt in quendam abſurdum, inconditum, horridum loquendi modum: in quo tractando ſi quis diutulè verſetur, ei metus ſit fortaſſe non iniuſtus, ne audiat Euripideam illam exprobrationem:

Βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις. id eſt:

Tu barbariſſas, dum diu es cum barbaris.

Accedit & altera difficultatis cauſa, varietas ſcilicet atque inconſtantia eius Iuris, quod de Feudis traditum eſt & litteris conſignatum. Nam cum paulatim moribus recepta ſint Feuda & conſuetudine corroborata (vnde & *Conſuetudines Feudorum* dicuntur) quæ pro varietate locorum, regionum, ingeniorum variæ inter homines eſſe & ſeruari ſolent: Hinc factũm, vt ſæpè aliter iiſdem de rebus obſeruarint atque vſitarint Mediolanenſes, & ipſorum ſapientes reſponderint: alio iure vſi fuerint alii: nec illi ip-
ſem-

ſemper ſtabile ius cuſtodierint, ſed pro temporibus aliud atque aliud: vt hîc quoque non immeritò Pindaricum illud vſurpare liceat, ab Artemidoro laudatum: *Lib. 4. Onicocritic.c.3.*

Alia aliis legitima, ſua ſingulis exiſtunt.

Ἄλλα δ' ἄλλοις νόμιμα, σφέτερα δ' ἔδικεν ἑκάστοις, φησὶν ὁ Πίνδαρος.

Cuiuſmodi varietatem ac repugnantiam ſæpiſſimè in ſuis Commentariis Feudalib. notat ac reprehendit Franc. Hotomanus: quamquam interdum hoc prętor rem & immeritò facere videatur, vt ſuo loco docebimus.

Nec parum auget huius iuris difficultatem, quod qui libri ad nos de eo tranſmiſſi ſunt, ii nullum ordinis lumen præ ſe ferunt; ſed confuſè, ſed perturbatè, ſed præpoſterè & verè quod dicitur ὕστερον πρότερον ſcripti collective ſunt, velut imperitè conſuti centones, vt ſæpè quod extremum eſſe vel medium debebat, hoc primo loco ponatur; & contra, quod primum, reiiciatur in extremum vel medium: vt nuſquã verius quàm hîc illud Parmenidis vſurpari poſſe videatur: πᾶν ἐν παντὶ μέμικται. De quo cùm res ipſa teſtimonium apertiſſimè dicit, tùm omnes conqueruntur Interpretes, paucis quibusdam exceptis, qui etiam ordinis rationem, ſi Diis placet, nobis reddere conantur, vbi nullus eſt ordo: quod dum faciunt, nihil aliud quàm magno conatu magnas nugas agunt; & hoc conſequuntur, vt cum ratione inſanire voluiſſe videantur. Accedit prætérea, quod ſæpius eadem ſine cauſa repetuntur, quaſi quodam cantu cuculi, quod dicitur: Quamquam iſtiusmodi ταυτολογίαι non tàm difficultatem quàm tædium & nauſeam pariunt auditori lectorive, vt cogitet meritò Comicum illud: *Plus millies audiui.*

Verùm nos nihil horum deterrere debet, quo minus in Feudiſtici Iuris cognitione comparanda ſtrenuè atque libenter laborare, omnique ſtudio in id incumbere velimus. Nulla enim harum difficultatum tanta eſt, quin aduerſus eam paratum ſit nobis remedium. Nam ad voces peregrinas & exoti-

omnis ſuperari. Ex cauſis igitur, quæ hîc nobis difficultatem párere ſolent, non minima eſt barbaries vocum feudalium, & horror ac ſtribligo ſermonis, quo Feuda in vſum venerunt, ac tandem conſcripta ſunt. Neque enim ea ſtyli elegantia eove nitore aut cultu orationis, & natiua quadam puritate conſcripti ſunt libri Iuris feudiſtici, qua vel Iurisconſultorũ veterum reſponſa, ex quibus *Pandectæ* ſunt compoſitæ, vel qua plerorumque Impp. *Conſtitutiones* conſtant, quæ in Codicem Iuſtinianum ſunt relatæ. Sed quemadmodum Pontificum Rom. Epiſtolæ, quæ *Decretales* vocantur, ſic & Feudorum libri barbariem illius ſeculi redolent, quo ſunt ſcripti. Iampridem enim vti priſcus ille vigor Imperii Romani quondam florentiſſimi, ſic & ſermonis ac linguæ venuſtas & ſanitas elanguerat ac penè emortua fuerat. Quemadmodum Italia infuſis in eam peregrinis nationibus Gotthis & Longobardis occupata permixtaque eſt, moresque mutauit; ita & linguæ ſermonisque puritas earundem conſuetudine & commercio gentium contaminata atque polluta eſt, plurimæque peregrinæ & abſonæ voces Latinis tanquam muſcerda piperi permixtæ: imò totus, vt ſic dicã, genius Romani ſermonis transmutatus eſt in quendam abſurdum, inconditum, horridum loquendi modum: in quo tractando ſi quis diutulè verſetur, ei metus ſit fortaſſe non iniuſtus, ne audiat Euripideam illam exprobrationem:

Βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις. id eſt:
Tu barbariſſas, dum diu es cum barbaris.

Accedit & altera difficultatis cauſa, varietas ſcilicet atque inconſtantia eius Iuris, quod de Feudis traditum eſt & litteris conſignatum. Nam cum paulatim moribus recepta ſint Feuda & conſuetudine corroborata (vnde & *Conſuetudines Feudorum* dicuntur) quæ pro varietate locorum, regionum, ingeniorum variæ inter homines eſſe & ſeruari ſolent: Hinc factum, vt ſæpè aliter iisdem de rebus obſeruarint atque vſitarint Mediolanenſes, & ipſorum ſapientes reſponderint: alio iure vſi fuerint alii: nec illi ipſi

ſem-

ſemper ſtabile ius cuſtodierint, ſed pro temporibus aliud atque aliud: vt hîc quoque non immeritò Pindaricum illud vſurpare liceat, ab Artemidoro laudatum: Lib. 4. Oni-cocritic. c 3.

Alia alijs legitima, ſua ſingulis exiſtunt.

Ἄλλα δ' ἄλλοις νόμιμα, σφέτερα δ' ἔδικται ἑκάστοις, φησὶν ὁ Πίνδαρος.

Cuiuſmodi varietatem ac repugnantiam ſæpiſſimè in ſuis Commentariis Feudalib. notat ac reprehendit Franc. Hotomanus: quamquam interdum hoc præter rem & immeritò facere videatur, vt ſuo loco docebimus.

Nec parum auget huius iuris difficultatem, quod qui libri ad nos de eo tranſmiſſi ſunt, ii nullum ordinis lumen præ ſe ferunt; ſed confusè, ſed perturbatè, ſed præpoſterè & verè quod dicitur ὕστερον πρότερον ſcripti collective ſunt, velut imperitè conſuti centones, vt ſæpè quod extremum eſſe vel medium debebat, hoc primo loco ponatur, & contrà, quod primum, reiiciatur in extremum vel medium: vt nuſquã verius quàm hîc illud Parmenidis vſurpari poſſe videatur: πᾶν ἐν παντὶ μέμικται. De quo cùm res ipſa teſtimonium apertiſſimè dicit, tùm omnes conqueruntur Interpretes, paucis quibusdam exceptis, qui etiam ordinis rationem, ſi Diis placet, nobis reddere conantur, vbi nullus eſt ordo: quod dum faciunt, nihil aliud quàm magno conatu magnas nugas agunt; & hoc conſequuntur, vt cum ratione inſanire voluiſſe videantur. Accedit præterea, quod ſæpius eadem ſine cauſa repetuntur, quaſi quodam cantu cuculi, quod dicitur: Quamquam iſtiusmodi ταυτολογίαι non tàm difficultatem quàm tædium & nauſeam pariunt auditori lectorive, vt cogitet meritò Comicum illud: *Plus millies audiui.*

Verùm nos nihil horum deterrere debet, quo minus in Feudiſtici Iuris cognitione comparanda ſtrenuè atque libenter laborare, omnique ſtudio in id incumbere velimus. Nulla enim harum difficultatum tanta eſt, quin aduerſus eam paratum ſit nobis remedium. Nam ad voces peregrinas & exoti-

cas quod attinet, quæ in Ius feudale irrepſerunt, eæ adhibito Lexico facilè intelligi poterunt, maximeque à Germanis, cum pleræque ex vernacula noſtra lingua originem traxerint, ſicut & Feuda ipſa, quod ſuo loco demonſtrabitur euidentibus argumentis. Quam ad rem omnibus ſtudioſis nauauit vtiliſſimam operam *Fr. Hotomanus* ſcripto De verbis feudalibus Commentario: cuius pleraq; omnia alii poſtea compilarunt, & in Lexica vulgaria tranſtulerunt.

Quod ad ſtyli barbariem & orationis ſtribliginem, ea ſeculi illius infelicitati condonanda eſt. Poteſt autem ſplendeſcere etiam ipſa & cultum quendam matronalem induere, cum vel Cicerone teſte, nihil ſit tam horridum tamque incultum, quod non ſplendeſcat oratione & quaſi excolatur. Idque ſanè fieri poſſe, illuſtri exemplo nos docuerunt *Cuiacius*, *A. Contius*, *Guliel. Forncrius*, & *Hotomanus*, alii recentiores, quib. placuit in hoc genere deſudare. De Cuiacio quidem ſcribit *Petrus Pithœus*, primum quodammodo publicè lumen feudis prætuliſſe, eaque ex ſuis auctoribus repetentem ita ornaſſe & illuſtraſſe, vt poſt hæc fœda, aut vt Feudiſtarum verbum eſt, Faida non ſint. Et Cuiacius ipſe de Gunthero ait, eum nitidiſſimo carmine ſuo melius nonnulla Iuris feudalis explicare, quàm tota feudiſtarum fæculenta cohors. Cuius quidem auctoris teſtimonio nos quoq; paſſim vtemur, ad exemplum Hotomani, Cuiacii, & Doctoris noſtri Ioan. Borcholdi.

Alteram porrò difficultatis cauſam ſic licebit corrigere, vt in tradendo explicandoque non ſequamur eam ſeriem, non ſeriem, quâ in Vſibus feudorum duobus libris comprehenſorum tituli ſeſe inuicem excipiunt & conſequuntur (inter eos enim nulla eſt ordinis ratio, nulla obſeruata continuatio, vt ſupra quoque dicebam) ſed potius Partitiones quaſdam Methodicas inſtituamus, quibus totum illud ius complectamur, & velut ſuis cancellis includamus. Si qui verò occurrent coccyſmi, & ineptæ neque neceſſariæ earundem rerum iterationes, eas pro non ſcriptis habebimus & clauſis oculis tranſmittemus. Quibus ita obſerua-

ſeruatis, ex difficili facilem, ex confuſa ac perturbata benè ordinatam atque diſtinctam, ex inculta & horrida elegantem ac nitidam concinnabimus Iuris feudalis cognitionem.

Dixi aliàs, Feudorum ius non pauciores neque ignobiliores nactum eſſe Interpretes, quà veteres, quà recentiores, quàm vlla pars Iuris vel Ciuilis vel Canonici ſeu Pontificii. Id res loquitur ipſa. Vt aliàs feci in Inſtitutionum Imperialium Interpretibus, ita nunc commemorabo vobis, ſi non omnes, at certè præcipuos, qui de Feudis ſcripſerunt, ſiue Galli ſint, ſiue Germani, ſiue Itali, quibus & Siculos accenſeo. Et ex veteribus quidem iſti maximè celebrantur & ad meam notitiam peruenerunt. *Andreas de Iſernia: Iacobus Aluarottus: Præpoſitus Mediolanenſis Aluarotti compilator: Iacobus Ardizo: Baldus, Iacobus de Beluiſo* (qui vt ipſe de ſe teſtatur, octies librum Feudorum legit, ideoque max. habetur inter Feudiſtas auctoritatis: vt ſcribit Marant. part. 3. de ord. iud. nu. 84.) *Iacobinus de S. Georgio: Ioannes Blancus: Martinus de Caratis Laudenſis: Ioan. de Anania:* Paulò recentiores ſunt, *Franciſchinus Curtius*, qui & *Iunior: Matthæus de Aſſiictis: Iaſon: Claudius Seyſſellus: Paris de Puteo: Vdalricus Zaſius, Petrus Rebuffus: Petrus de Rauenna: Petrus de Bellapertica: Petrus Loriotus, Laurentius Syluanus, Marinus Freccia: Ioan. Thomas de Marinis. Fridericus Schenckius liber Baro à Tautenberg. Barthol. Camerarius. Franc. Sonsbeccius, Gulielmus Hannetonius; Gulielmus Fornerius: Antonius Contius: Franc. Duarenus: Iac. Cuiacius: Franc. Hotomanus, Equinarius Baro, Carolus Molinæus in Conſuetudines Pariſienſes: Ioan. Ferrarius Montanus, Ioannes Gemmelius, Ioannes Bapt. Caccialupus, Ioannes Blanchus, Iacobus Kleiſt. Arnoldus Bart. Ioannes Rorcholdus* (ex quo doctore ego Feuda explicari audiui) *Ludolphus Schraderus* ciuis meus: *Henric. Bocerus: Henricus Roſenthalius: Nic. Intrigliolius Catanēſis: Petrus Nicol. Moz. Maceratenſis: Ioa. Schneidevvein, Matthæus VVeſembecius, Ioannes Schonerus, Ioannes Noellius Veſalienſis, Liborius Hatyſerus: Nicol. Vigelius*, & huius æmulus *Hermannus Vultcius, Hartmannus Piſtoris: An-*

dreas Fachineus Foroliuienſis, quem Ingolſtadii audiui; *Guerrinus Piſo Soacius: Hieronymus Garzonius: Amedeus à Ponte Lombriaſcus: Fridericus Pruckmannus*, aliiq; qui de Regalibus ſcripſere. Horum non omnium idē conſilium atq; inſtitutum fuit. Nam alii ordinē titulorum ſecuti in duos Feudorum libros commentati ſunt, κατὰ πόδας: alii celebriora quędam & vtiliora eius iuris loca illuſtrare voluerūt; vt nobiliſſimā illā Friderici conſtitutionē *de prohibita feudi alienatione*: Item *de feudi recognitione* expoſuerunt, & ad eas cetera ferè, quæcunque de feudis dici poſſunt, congeſsére: Alii nouum ordinem fabricarunt, relicta librorū Feudalium ſerie: ac ſuos libros inſcripſere vel *Commentarios feudales*, vel *Tractatus* vel *Epitomas*; vel *Præludia*, vel *Analyſes*, vel *Compendia*, vel *Methodos*, vel *Synopſes*, vel *Specula*, vel *Diſputationes*: vel etiā *Nucem*: Alii deniq; tantùm quæſtiones & controuerſias quaſdam nobiliores & inſigniores, quæ de Feudis exiſtere atque agitari ſolēt, ſibi ſumpſerunt pertractandas: vt maximè *Hartmannus Piſtoris* & *Andr. Fachineus*. Omitto hîc qui vel conſiliis ſuis vel aliis libris multa admiſcuerunt Feudiſtica: vt *And. Gail. Ioach. Mynſingerum: Hartmannum Hartmanni: Topica Euerhardi: Practicam ſeu formulas libellorum Ferrarienſis*, &c. item *Claſſes Ioan. Oldendorpii* prope finem. Quis eſt autem omnium qui Conſilia ſcripſerunt, qui non ſæpiſſimè etiam de feudali aliqua controuerſia reſponderit? vt proinde longum ſit hos recenſere. Inter Germanos quidem maximè excellunt *Ioannes Fichardus, Modeſtinus Piſtoris, Ioach. Mynſingerus, Ludolphus Schraderus & Ioannes Borcholdus*. Omitto quoq; plurimorum paſſim editas, maximè in Academiis Germanicis, Theſes ac Diſputationes De feudis. Nobis hoc tempore in docēdo & explicando iſto argumento maximè placet vti formâ Partitionum, quē docendi modum & faciliorem & iucundiorē fore cōfido Auditorib. pariter, pariterq; mihi: idq; ad exemplū & imitationē *Ciceronis & Hotomani*. Extant enim & verſantur omnium manibus, illius quidem Partitiones Oratoriæ; huius autem Partitiones Iuris

Ciuilis, fere ſecundum ſeriem & filum Inſtitutionum Iuſtiniani conſcriptæ, elegantiſſ. libello. Vterq; ſcriptor variat orationem interrogando & reſpondendo: quæ quidem ratio ad primam inſtitutionem accommodatiſſima videtur. Taceo quod & antiquus Gloſſator *Rogerius* de præſcriptionibus Tractatum in forma Dialogi ſcripſit: & *Iulius Clarus* de feudis non niſi per quæſtiones tractare voluit. Horum igitur magnorum certè auctorum, exemplo nos quoque de præcipuis Iuris feudalis locis introducemus cùm interrogantem diſcipulum, tum ei reſpondentem, eumque erudientem Magiſtrum: & quæſtionem à reſponſione per literas *D.* & *M.* præpoſitas diſcernemus. Et Diſcipulo quidem potius nunc tribuemus interrogandi partes quam Magiſtro; quod illius diſcēdi cupiditas quærendo ſæpè rogitandoque peritiores ſeſe maximè exerat (nam & Plato inter Notas bonæ indolis hanc ponit, eſſe ζητητικόν, id eſt, talem qui libenter interroget) Magiſtri autem eſt officium, erudire diſcēdi cupidum, & quærenti de quæſitis reſpondere. Aliquando tamen hic ordo etiam inuertitur, & hæ quærendi reſpondendique partes inter ſe commutantur: Fit, inquam, interdum, vt interroget Magiſter, reſpondeat Diſcipulus, cum videlicet velut rationes eorum quæ accepit à Diſcipulo exigit Magiſter, eiuſq; fidelitatē memoriæ excutit, quaſi qui depoſitū repoſcat: quod fit in Repetitionib. atq; examinib. In his autē Partitionib. tradēdis eum ſeruabimus ordinem, qui & maximè naturalis eſt, & ad intelligendum accommodatiſſimus, & quem à nobiliſſ. quibuſq; & peritiſſimis interpretibus ſeruatum videmus: quorum veſtigiis ita inſiſtemus, vt tamen etiam de noſtro aliquid ſimus addituri. Nam miſerum eſt aliorum incumbere vt famę, ita & laboribus, cum nihil ipſe ex te promas. Contra verò inuentis aliorum aliquid addere, & τὰ κοινὰ καινῶς, vulgata nouiter tractare licuit, ſemperq; licebit, nec vnquam niſi honeſtum eſt habitum. Sed priuſquam aliqua calamo a vobis excipi more conſueto patiar, quorum ſit relegendi & ruminandi copia (nam ſcripta manent, cum vox alata facilè aures præteruolet) breuiter vna altera-

vt aut ſummum tertia acroaſi nonnulla de præcipuis huius doctrinæ capitibus diſſeram, non ingrata, vti ſpero futura huic auditorio, ſed opportuna & illis, qui iam antea de Feudis aliquid vel legerunt, vel audiuerunt, & his qui nunc primum ad ea cognoſcenda animum applicuerunt. Illis enim in hac noſtra Recitatione grata & iucunda erit eorum quæ antea legerunt, recordatio, ἀνάμνησις & ἀνακεφαλαίωσις (Dulcis enim & grata cognitio eſt etiam nota repetenti, vt ait elegantiſſ. ſacræ hiſtoriæ ſcriptor) *Sulpic. Seuerus.* iſtis hæc ſynopſis & ſummaria totius Iuris feudalis comprehenſio ad id prodeſſe ac ſeruire poterit, vt in animo ipſorum rudis quædam informatio & velut adumbratio fiat eorum, quæ ſuo tempore magis enucleata & illuſtrata proponentur. Ex iis capitibus primum erit *De feudorum ortu & incrementis*: de quo craſtina habebitur Schola. Subſequentur deinde alia.

PARTITIONES IVRIS FEVDISTICI,

Auctore

CVNRADO RITTERSHVSIO.

PROOEMIVM, *continens doctrinæ Feudalis commendationem, & Oeconomiam operis, aliaque præparatoria.*

Vetus ac peruagata eſt querela, & res notior quàm vt verbis egeat, Libros feudales, quibus hodie vtimur, ſine omni ordine conſcriptos eſſe, vt magis cuiusdam rhapſodiæ & farraginis atq; centonũ malè conſutorũ, quàm librorum ex arte factorum nomen mereri videantur. Qua in re pariter & mirari & miſerari licet infeli-

infelicitatē huius Iuris;quod tamen eſt reip.vtiliſſimū & moribus noſtris frequentiſſ. & iam tot ſeculorum lapſu autoritateq; & conſenſu gentiū prudentiſſimarum comprobatum. Nam ſi euentu, qui & ſtultorum magiſter dicitur, tandem fuiſſet compertum hoc inſtitutum feudiſticum reipubl. pernicioſum, & hallucinatos eſſe, qui vel primi inuentores & auctores eius, vel etiam adprobatores extiterunt; non eſt credibile, tàm inſanos & ſtolidos futuros fuiſſe homines, vt re pernicioſa tàm diu tamq; conſtanter per tot ſecula vterentur: cum præſtet retrorſum currere, quàm ſemper malè procurrere, vt eſt in prouerbio, quod hoc veteri verſu Iambico Græci exprimunt: παλινδρομεῖν δεῖ μᾶλλον, ἢ κακῶς δραμεῖν. Teſtatur Iaſon in præludiis feudorum, præſtantiſſimum ſuæ ætatis Iuriſconſultum Bononienſem Antonium de Prato veteri, reformaſſe & in meliorem ordinem atque in compendium aptius redegiſſe hos libros, refertis & truncatis ſuperfluis: quod opus dedicarit Friderico III. Imper. qui id adprobarit & mandarit in publicis Scholis prælegi. Eiuſdemque operis meminit & *Ioan. Cuſpinianus*, ſcribens, ſe id vidiſſe apud amicum, & valdè laudat à pulchritudine ordinis. Meminit quoque Hotom. in Præfatione Commentariorum in libb. Feudorum. Hic liber ſi extaret, præſertim publicâ autoritate Imperii confirmatus, magnâ moleſtia nos liberaret, & vulgatos hoſce libros de vſibus feudorum tanquam nō ſcriptos abolere poſſet, *Extinguit ſtellas exortus vt ætherius ſol*, vt canit Lucret. Sed ille, quod mireris, velut quidam fœtus abortiuus lucē hactenus non adſpexit; quamuis valdè veriſimile ſit, alicubi in bibliothecis vel publicis vel priuatis eū adhuc latere: vnde ſperare liceat, aliquando ab indagatoribus rerum vetuſtate deperditarum prolatū iri: nec dubito quin huc multū conferre poſſit CL. V. *Hugo Blotius* IC. ſac. Cæſ. Mai. Bibliothecarius, quem id vt faceret per literas pro noſtra vetere notitia rogaui. Interea cùm bene ordinato libro feudali, cuius ſeriem in interpretando ſequamur, deſtituti ſimus: vnusquisque ferè interpretum ſibi

ſuum quendam ordinem excogitat & propriam quandam ſequitur docendi rationē, alius aliā architectatur. Hinc alii ſuos de feudis libros inſcribunt *Cōmentarios:* alii *Tractatus*, alii *Epitomas*, alii *Synopſes*, alii *Analyſes*, alii *Diſputationes*, alii *Paraphraſes*, alii *Præludia*, alii *Specula*, alii *Quæſtiones*, alii *Cōtrouerſias feudales:* alii deniq; alios ſuis operibus præfigunt titulos: quorum ſingulis ſuam, quam quiſque meretur, laudem libenter tribuimus. Placuit autem nobis hoc tempore auditoribus noſtris tradere *Partitiones feudales:* quando hunc docendi modum ad primam inſtitutionē quam maximè adcommodatum fore arbitramur. Quod quidem experiundo magis intelligi, quàm initio magnifice prædicare malumus. Sequemur hac in re, licèt impari gradu, magnos duces, *Ciceronem* & *Hotomanum:* quorū ille iam ſenex ad filiū ſcripſit *Partitiones oratorias:* hic *partitiones Iuris Ciuilis* compoſuit, nec veritus eſt duobus Illuſtriſſ. Principibus Haſſiæ Landgrauiis, Wilhelmo & Mauricio, dedicare. Nec nos igitur pudere debet, ſi partitiones feudales conficiamus, in quib. alternâ vice introducamus nūc interrogantē diſcipulū, nunc ei reſpondentem eumq; erudientem Magiſtrum. Diſcendi namq; cupiditas, quæ ſola ferè facit, vt plurimum diſcendo proficiamus, maximè ſeſe exſerit in bene natis ingeniis crebrò quærendo rogandoq; peritiores: quod & Plato inter alias bonæ indolis notas ponit. Notum eſt ēt Vlp. IC. cognomentū κειτούκειτος, qđ ab hac ſciſcitādi crebritate ei datū eſt, vt ex Athenæo didicimus. Initiū igitur tale ſumam᷒ à rogando.

DISCIPVLVS. *Studeo ex te ſummā quandam audire eorum quæ de Iure feudiſtico à maioribus tradita obſeruantur: Adcenſus. n. ſum cupiditate huius Iuris cognoſcendi, cum nuper te audirem de feudorum vtilitate, neceſſitate, honeſtate, iucunditate & difficultate diſſerentem.*

MAGISTER. Laudabilis ſanè eſt hæc tua cupiditas, quam equidē omninò, quantum in me erit, implere ſtudebo. Recte autem accepiſti, eiuſq; fac perpetuò memineris, ſiue vtilitatē ſpectes, quæ plerumq; mortaliū animos maximè ſolet cōmouere, nihil eſſe feudorum doctrina vtilius, nihil fructuoſius, non ſolum

que

quoad ſingulos & priuatos, ſed etiā quoad ſtatū reip. ſiue neceſſitatem intuearis, nihil eſſe, quo minus carere poſſit Imperium (quale id nunc quidem per aliquot ſecula fuit) ad ſtatus ſui conſeruationem quam feuda, quibus euerſis atq; abolitis, neceſſe ſit vna cōuerti atque interire totā Remp. ſiue honeſtatem quæras, quæ in generoſis animis plurimū valet, nihil poſſe hac cognitione honeſtius cogitari: ſiue iucunditatem voluptatemq; ſequaris, quæ cum honeſtate coniuncta maximè vnumquemq; noſtrū inuitat & adlicit, nihil eſſe Iuris feudalis doctrina ſuauius, nihil iucundius: ſiue deniq; huius argumenti difficultatem conſideres, eam tantam eſſe, vt vix concedat vlli parti Iuris Ciuilis aut Canonici. Vnde factū videmus, vt hoc Ius feudale nec pauciores nec ignobiliores Interpp. tam olim quam hodiè nactum ſit, quam vel Ius ciuile vel Canonicum. De difficultate autem quod dixi, tantum abeſt, vt deterrere te debebat, vel cupiditatem tuam quam præ te fers, imminuere, vt potius valeat ad excitādam adtentionem. Meminiſti. n. & artem & virtutem circa difficilia verſari. Neq; tamen ea difficultas eſt tanta, quin facilè queat ſuperari adhibita mediocri diligentia, dummodo certa via ac ratione rem adgrediamur, & ordine in ea tractanda diſcendaq; progrediamur.

2. D. *Quonam autem ordine putas commodiſſime feuda tradi ac percipi poſſe? Alios enim alia via ingreſſos video; & ferè ſuus cuiq; mos, ſuum inſtitutum pulchrum eſt?*

M. Nimirum hoc ordine: vt primò videamus, vnde orta ſint feuda, à quibus populis inuenta & vſurpata, & quantum autoritatis tribuendum ſit iis libris, qui de feudis circumferuntur & corpori Iuris Ciuilis pro appendice ſubiici ſolent; pertineant ad Ius ſcriptum, an ad non ſcriptum: Nomen *feudi*, quod ἔτυμον habeat, & quæ ſunt alia huiuſmodi. Deinde, quia ſunt quædam negocia, quæ cum feudo magnam cognationem habent & ab eo tamen toto genere diſtant: hæc à feudo accuratè diſcernenda ſunt, priuſquam ad feudi definitionem adcedere poſſimus, ne ſimilitudo nobis imponat. Tum definitio feudi eiuſq; explicatio ſubiicietur. Quarto Diuiſiones Feudorum recitabun-

tur & ſingularum ſpecierum breuis declaratio adiun-getur. Porrò cum Omne Ius, teſte Vlpiano & ſenſu communi, conſiſtat vel in adquirendo, vel in conſeruando, vel in amittendo: De feudorum quoque Iure tractantem oportet per hæc 3. capita ire, & hunc naturæ ordinem ſequi, vt exponat ſcilicet quomodo feuda adquirantur, quomodo adquiſita conſeruentur & quod eorum Ius ſit tàm quoad vaſallum, quam quoad dominum ſiue ſeniorem. Deniq; quomodo & quas ob cauſas amittantur. Igitur quoad adquiſitionem feudi, prima occurrit inſpectio perſonarū, qui locus eſt duplex: Nam & de iis quærendum, qui feuda dare ſeu cōſtituere ſeu concedere poſſint, & de iis qui accipere, ſiue (vt Feudiſtarū verbo vtar) quinā *poſſint infeudare & quinā infeudari.* Non .n. paſſim omnes poſſunt. Cum de perſonis tanquam efficiente cauſa conſtituerimus, proximum erit vt exponamus de Rebus; quæ ſunt quaſi materia, in qua Feuda conſtitui & conſiſtere poſſint. Cum & de perſonis & de reb. cognouerimus, proxima ſuccedit viſio de modis adquirēdi feudi, qui ab aliis plures, ab aliis pauciores ponuntur, vt ſuo loco audies. Inter modos cōſtituendi feudi inprimis occurrit *Inueſtitura*; in qua conſideranda erunt pacta, quæ hîc mirificè variant, & vt ſolent legem dare contractibus iure gentium vel Ciuili cognitis *l. 23. D. de R. I. l. 1. §. ſi conuenit. D. Depoſ.* Ita & feudorū naturā variè informant ac reformant. Quia etiam Iuſiurandum fidelitatis, quo ſe vaſallus ſeniori obſtringit, plerunque vel ſtatim in collatione inueſtituræ accedere ſolet, vel mox eandem ſubſequi: Eius formula nobis cognoſcenda erit & capita illius excutienda. Videndum etiam de inueſtituræ renouatione; quoties & intra quæ tempora fieri debeat. Dicendum etiam hîc de ſucceſsione feudali, quæ tota (vt audies) eſt ab inteſtato: Teſtamentaria verò nulla. Dicendum & de præſcriptione feudi, & ſi qui alii ſint eius adquirendi modi. Docebo autem plures eſſe quam tres illos, quos vulgò ferè ſolos nôrunt. His ita cognitis, ſequetur ius feudi aliquo horum modorum adquiſiti, qualenam ſit, quidque adferat commodi

modi Vaſallo, & quomodo atque ad quid rurſus ipſe eo nomine obligetur Seniori. Quibus item modis ac remediis iuris ab eodem vaſallo conſeruetur. Adquiſitionem & retentionem ſeu conſeruationem feudi naturali ordine ſequetur *Amiſſio.* Nihil eſt enim in rebus humanis ſtabile aut perpetuũ: & ferè quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus, *l.* 153. *De Reg. Iur.* Iisdem modis res deſinunt eſſe noſtræ, quibus adquiruntur. *l.* 1. *D. pro derelicto.* Cognoſcendum igitur erit, quæ ſint eæ cauſſæ, ob quas feudum amittatur: Feudum amiſſum cui aperiatur & ad quem redeat, quidque de fructibus ſit Iuris. Vltimum erit caput de actionibus quæ feudi nomine dentur: de Iudiciis feudalibus, eorumque forma, ordine ſiue proceſſu: quis in cauſis feudalibus ſit competens iudex: cui incumbat probatio: quæ ſint probationũ genera, quæ vel olim fuerunt recepta, vel etiam hodie vſitata. Hæc ſunt præcipua capita, ad quæ ferè omnes, quotquot de feudis exiſtere poſſunt quæſtiones, non incommodè referentur: Quanquam noſtri inſtituti non eſt omnes illas ad longum perſequi. De his capitibus tuum erit ordine ex me quærere, meum reſpondere, aut interdum breuitatis cauſa ad alios te remittere.

3. D. *Pulcherrimam ſanè copiam & ὕλην optimarũ rerum velut intexto digito mihi commonſtraſti, & earum capita atque œconomiam recenſuiſti apto ac dilucido ordine: quem ego tanquam filum quoddam Ariadnæ ſubſequens te de ſingulis interrogabo, dummodo ne tibi moleſtum ſit, mihi hanc operam impendere, méque de quæſitis erudire.*

M. An eſt quidquam quod ego malim, quàm te, vt in cetero omni Iure doctum ac bene verſatum eſſe, ita & Iuris feudiſtici non ignarum: Cuius quidem, (vt alias quoque dixi) tam eſt neceſſaria doctrina, vt ſine eo non dicam perfectus Iuriſperitus nemo, ſed ne quidem tolerabilis eſſe quiſquam poſſit. Caue autem putes, mihi vllum eſſe laborem moleſtum, quem in te tuique ſimilibus, hoc eſt, ho-

neſtis & diſcendi cupidis adoleſcentibus, inſtituendis capio, cum præſertim alios docendo meipſum ſæpè doceam, aut certè antea lecta & percepta recorder atq; ruminem.

In adlegandis autem vel textuum feudalium vel Doctorum ſiue interpretum autoritatibus ea vtar moderatione, vt nimis manifeſta & ex Iure quoq; Ciuili omnibus nota non ſim nimis ſollicitè probaturus, ἀδελοτολόγων quorundam exemplo videamur ſoli mero meridie faces adcendere; ſed tantum dubia, quæque neceſſario probationem deſiderant. Sed nec illud vnoquoque loco diſſimulabimus, vnde quidque hauſerimus. Hoc enim ingenui eſſe animi Plinius quoque ſcribit, fateri, per quos profeceris.

FINIS PROOEMII.

INCIPIT

PARTITIONVM FEVDALIVM

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De origine feudorũ varia ſententia referuntur & examinantur. De auctorib. & auctoritate horũ librorum, qui de vſib. Feudorum inſcribũtur: De Feud. iure quæſtiones quædam generales & præliminares. De nomine & etymo Feudi. De verbis Feudalibus.

1. D. *Cum igitur feuda nuſquam in Iure Ciuili Iuſtin. nominentur, quid ſuper eorum origine cenſes, quando, aut à quibus introducta eſſe ais?*

M. Difficile illud quidem factu eſt in tanta opinionum diſcrepantia: Ferè.n. quot capita Interpretũ, totidem ſunt ſententiæ, quas vel referre longum foret, nedum explicare. Numeraui autem aliquando quaſi 12. diſcrepantes ſententias.

2. D. *Sed aueo ſcire tuam.*

M. Mihi hoc veriſſimum videtur, feudorũ inſtitutũ eſſe Germanicum, introductum non tantum à Longobardis (qui ex Germania profecti in Italiam infuſi

ſunt,

ſunt, eiusq; partem occupârunt eam, quæ hodiè *Lombardia* vocatur) ſed etiam ab aliis Germaniæ populis, vt Alemannis, Francis, Baioariis, Sueuis & Saxonibus: etiam Gothis, vt vult Hotom. Omnes enim ad huius velut Pandoræ Heſiodeæ exornationem certatim contulerunt.

3. D. *Quæ habes huius rei argumenta, vnde id colligas?*

M. Primùm inde, quod hiſtorici rerum Germanicarum ferè ſoli feudorum mentionem faciunt. Nam quod Itali quoque & Galli feudis vſi comperiuntur, ſcire debes eos à Germanis accepiſſe, cum Longobardi Italiæ, Franci Galliæ partem occupaſſent. Facilè enim ſolent alicuius gentis inſtituta vtilia & laudabilia in exemplum trahi, atque in mores adſumi etiam ab aliis populis. Exemplum habes in Emphyteuſi ſeu agris vectigalibus. Quod genus contractus Romani mutuati videntur à Byzantinis, vt alibi dictum. Exemplum aliud in acceptilatione, quam, ſicut omnem ſtipulationem cum inueniſſent Romani: deinde etiam aliæ gentes propter inſignem eius vtilitatem, quam habet in contractibus & ſolutionibus, fecerunt ſuam. Vnde Vlp. in *l. 8. in fin. D. de acceptil.* ait; *Hoc iure vtimur, vt Iuris gentium ſit acceptilatio.* Sic ergo & hoc inſtitutũ Germanicum aliæ gentes ſunt amplexæ, cum eius vtilitatem perſpexiſſent. Deinde originem feudorum Germanicam ſatis arguunt & nomina ipſa feudalia, & formulæ quæ maximâ ex parte ſunt Germanicæ; quamuis quædam verba hodie vix à Germanis ipſis intelligantur: quod hîc propter vetuſtatem eò minus mirandum eſt; cum & Romanis poſterioribus idem acciderit in eâ linguâ, qua leges Regiæ & XII. Tabb. fuerant conſcriptæ. Accidit etiam nobis hæc difficultas & obſcuritas verborum ex eo, quod ſæpè mirificè ſunt corrupta cum in aliam linguam transfunduntur, cumq; ad Latinorum conſuetudinem & terminationem adcommodantur; ex quo fit, vt vix amplius agnoſcas eadem eſſe. Sic ex Morgengab / quod nobis ſignificat munus matutinum, *Morganaticam* fecerunt feudiſtæ. Ex Oſtendienſt, fecerunt Hoſtenditias, ex Hereslietz, Hereslicium; ex Kampff (quod eſt lucta ſeu certamen) fecerunt *Cam-*

pionem:ex 𝔚𝔞𝔯𝔱𝔱,id eſt cuſtodiâ, *Guardiam*; ex 𝔐𝔞𝔯𝔠𝔨/ id eſt, limite, Marcham:ex 𝔏𝔢𝔲𝔱𝔥/id eſt, hominibus, fecerunt 𝔏𝔢𝔬𝔡𝔢𝔰:ex 𝔳𝔢ſ𝔱𝔢𝔫/quod eſt ſtabilire, firmare, fecerunt *veſtire*, & compoſitum *inueſtire*: ex 𝔉𝔢𝔥𝔩𝔢𝔫, vel 𝔉𝔞𝔩𝔩𝔢𝔫, quod eſt *labi*, fecerunt *Feloniam* & ſimilia quam plurima:de quib. videre licet Hotoman. de verbis feudalibus & Cuiac. in comment. Feudorum. De nonnullis etiam Marq. Freherum in cõment. ad Conſtit. Caroli 3. de feudis. Illi enim præclarè omnia ad ſuos fontes reuocarunt, magnoq́; labore ac tædio nos ſubleuârunt.

4. D. *Intelligo, & aſſentior tibi facile, feudorum originem Germanis adſcribendam eſſe. Scire autem velim quid eos impulerit ad hoc inſtitutum excogitandum. Nihil enim ſine cauſa fit, vt & Cicero ait in Topic. & eſt tritum ſermone prouerbium.*

M. Cauſa huius inſtituti prima & antiquiſſima fuiſſe videtur, vt principes ſibi adiungerent beneficiarios, quorum operâ militari in expeditionibus, quoties vſus incidiſſet, vterentur, & vt huius operæ præmium atq; auctoramentum eſſent prædia quædam ipſis conceſſa, ex quib. vaſalli ſeſe honeſtè alerent atq; exhiberent. Hinc eſt, quod toties vaſalli appellantur *Milites* in libris feudorum:vt tit. *Quo temp. miles inueſtituram petere debeat*: Itē tit. *De milite Vaſallo qui arma bellica depoſuit*, & tit. *De milite Vaſallo qui cõtumax eſt*: & paſſim alibi.

Hinc & *Capitanei*, in feudis nominantur pro vaſallis:vt capitanei regni, *lib.1.tit.1. & tit.* 7. & 17. Item tit. *de capitaneo qui curiam vendidit*. Veriſimile eſt autem Principes Germanorum, qui vel Galliam vel Italiam occuparant, quo ſibi & ſuo generi ſuæque etiam genti imperium firmarent, deuictarum gentium dominia illuſtribus ex ſua gente viris conceſſiſſe:de quo vide *Vincentium Cabotium lib.2. diſputat. Iur.c.vlt.* Sanè ex hiſtoricis rerum Germanicarum, nec non ex Conſtitutionibus Imperatorũ quorundam ac Regum Germanicorũ ſatis cõſtat, inter ceteras cauſas feuda etiam ob id data fuiſſe tàm Epiſcopis quàm Laicis, vt haberēt plurimos comites ac ſocios expeditionũ, cum aliarum, tũ Romanæ, quam ſuſcipiebant ad petendam à Rom. Pontifice coronã auream, poſteaquã accepiſſent ferream Aquisgrani, & argenteam Mediolani: his enim trib. in locis

antiquitus

antiquitus coronabantur. Solebant autem iam ſuperatis Alpibus, priuſquã rectâ pergerent Romã, Roncaliis conuenire & caſtra locare, ibidemque aliquot dierum conuentus agere, & cum Principibus imperii de Iure ac Legib. de pace & bello, deq; omni republicâ deliberare ac decernere, & quicunq; ab Imper. beneficia habebãt, niſi in illis campis caſtriſq; adeſſent, & voce præconis citati ad delectũ reſpondiſſent, excubias item egiſſent circa Imperatorẽ: ii ob cõtumaciã feudis ſuis priuabãtur, ſiue clerici eſſent ſeu Laici, niſi fortè veniâ impetratâ domi remãſiſſent. Vide hac de re *Othon. Friſin. lib. 2. c. 12.* & *Gunth. initio lib. 2.* Hæc inquã feudorũ inſtituendorũ prima occaſio & cauſa fuiſſe videtur, vt eſſent beneficia quędã militaria & nerui, quib. imperiũ Germanicũ contineretur ac vigeret. Sed deinde, (vt fieri ſolet) res latius diffundi ac patere cœpit: neq; tantum ad militaria, ſed etiam ad alia honeſta officia in pace obeunda conceſſa ſunt feuda. Præterea etiã hoc ad originẽ feudorũ pertinet, ꝙ ſicut olim fideicõmiſſa primis temporibus valdè infirma fuerunt, vt quorũ prima cunabula tantũ à fide hæredũ penderent, ſed poſtea magis magiſq; cõfirmata ſunt, & ad neceſſitatẽ iuris redacta, teſte Imper. *in §. 1. Inſt. de fideic. hær. & §. & quia primo, eod. t.* Ita etiam feudorũ initia valdè fuiſſe tenuia & imbecilla, paulatim verò magis magiſq; rẽ a tenui exordio profectã creuiſſe, qđ eleganter declarat Feudiſta *in §. & quia vidim⁹, li. 1. ti.* Antiquiſſimo. n. tempore domin⁹ pro arbitrio ſuo reuocare poterat feuda quandocunq; voluiſſet, perinde vt precariũ iure ciuili reuocari poteſt, *l. 1. l. 12. & l. 13. D. de prec.* Deinde eò ventum eſt, vt per annũ tantùm valerent: Tertiò, vt ad vitam Vaſalli producerentur; Morte verò eius ſicut vſusfr. finirentur. Quartò, vt etiam ad filios peruenirent. Quintò, vt etiam ad nepotes ex filio. Sexto, vt frater fratri quoque ſuccederet in feudo, itemq; fratris filio. Septimo, vt etiam ceteri agnati vſq; ad ſeptimũ gradum: qua de re lati⁹ infra in loco de ſucceſſione feudi. Porrò de Feudorũ ortu & incrementis memorabilis eſt loc⁹ apud Nicolaum Cuſanum Cardinalem (qui tempore Synodi Baſilienſis vixit) *c. 28. li. 3.* De concordantiâ Catholica, quẽ recitabo, quòd nõ parum illuſtret *d. §. & quia vidimus.*

Ordinabantur (inquit) *etiam tunc Principes, Duces & Comites conſtituti, debere, tanq; officia publica, imperiali iuſſione habentes ad nutum remouibilia, rationem ſui miniſterii ærario publico reddere. Poſthæc, quia Senatorum filii, licèt equeſtres primò forent, tamen ad Senatum demum perueniebant: introductum fuit, vt parentibus ritè in officio ſe habentibus, filii eodem officio non priuarentur, ad illum finem, vt patres minus auaritiæ ſtuderent, habentes de ſucceſſione in officio certitudinem: & etiam vt eorum ſubiecti minus tunc grauarentur per patrem, quando & ipſis ſui poſteri præeſſe deberent. Tamen vt imperiali Celſitudini nulla incommoda detractoria dominiorum in futurum creſcente poteſtate officiatorum exorirentur; feudalia introducta ſunt ſtatuta, & de fide ſeruanda ſtrictiſſima iuramenta, quæ per vnumquemq; vaſallorum inſtituendorum præſtari, & ſub pœna perditionis Feudi inuiolabiliter ſeruari deberent. Eſt deniq; alia Lex edita, Ad magna feuda plura nullum accumulatiuè ſuccedere poſſe, ne ſic plura magna accumulando, potentia ſubditorum in tantum excreſceret, vt dum Tyrannica rabie, immemor iuramentorum, apicem dominandi (cuius appetitus per acquiſitionem creſcit) appeteret, Imperii potentia ſchiſmaticâ turbatione vileſceret. Erat inſuper Imperatorum conſuetudo, facilè accuſationes fractæ fidei & periurii admittere, vt fidelitas, per quam ſolum perſiſtit Imperium, nunquam negligentiâ parui penderetur. Pœna verò erat priuationis, fidem non ſeruāti. Et tunc ne inuidia fortè incitaret nobiles eiuſdem ſanguinis, contra eum cui hæc ablata donarentur: iſta quæ ſic in commiſſum ceciderant, ſacri Imperatores Eccleſiis frequenter applicarunt, &c.* Hæc Cuſanus: vbi quod ait officia Principum, Ducum & Comitum initio fuiſſe ad nutum Imperatoris remouibilia, eosque rationem ſui miniſterii coactos fuiſſe reddere ærario publico; id valdè conuenire videtur cum inſtituto Turcico, quo officia ſimiliter non ſunt hereditaria, ſed ex nutu Imperatoris Turcici pendent: Ipſum quoque nomen *Baſſarum* tantam habet affinitatem cum *Vaſſorum Feudalium* appellatione, vt ex eo deductum quoque videri poſſit: quæ coniectura quorundā nec Fr. Hotomano diſplicet Diſputat. De Feudis, cap. 5. Cetera quæ hìc adferuntur de priuatione feudi ob fractam fidem, & adſi-

gnatione

gnatione olim Eccleſiis potius quam agnatis fieri ſolita, explicabuntur infra cum de amiſſione feudi quæremus. De origine quoque feudorum operæprecium eſt audire Æmil. Ferrettum ad *l. legitima, num.* 17. *D. de pact.* qui ait contractum feudalem iuri gentium & ciuili incognitum eſſe, introductum à conſuetudine & voluntate Imperatorum. Mallem addidiſſet, *quorum populorum conſuetudine:* ſed intelligere debes, non modò Longobardorum (vt plerique putant) ſed etiam Germanorum aliorum. Idem Ferrettus feuda putat accommodari poſſe ad beneficia, quæ ab Imperatorib. Rom. concedi ſolebant, & ex inſtituto Tiberii non aliter rata habebantur a ſucceſſoribus, quam ſi & ipſi eadem iisdem dediſſent: Quæ omnia Titus Veſpaſianus vno confirmauit edicto, nec a ſe peti paſſus eſt, vt de hoc optimo Imp. ſcribit Suetonius in Tito. c. 8. quem locum Hotomanus quoque laudat *cap.* 27. *de feudis.* Et ſane petitio renouationis inueſtituræ à nouo domino feudi faciendæ habet aliquid ſimile, niſi quod hanc ſine iuſtâ cauſa dominus vaſallo denegare nõ poteſt, vt infra ſuo loco audies; cũ illæ cõfirmationes beneficiorum a ſuperioribus Principibus datorum ex merâ voluntate ſucceſſoris pependerint.

5. *D. Dixiſti ſup. varias ac diſcrepantes eſſe aliorum ſententias ſuper feudorum origine. Quia verò iucunda non minus quam fructuoſa eſt diuerſarum ſententiarum collatio; velim mihi præcipuas breuiter enumeres, cum quidem & Ariſtoteles de beatitudine diſputans non ſatis habuerit ſuam propoſuiſſe ſententiam, ſed etiam aliorum examinet.*

M. Rectè tu quidem admones, & morem tibi geram. Proderit enim hæc res etiam ad hoc, vt nihil antiquitatis penitus ignores. *arg. §.* 1. *Inſt. de teſtam. ordin.* Eſt igitur qui exiſtimet, feuda ferè cum ipſo genere humano extitiſſe, & ortum habere a prima monarchiâ, & iis, qui primi in alios imperium vſurparint. Quamuis enim nondum tale nomen habuerint *Feuda:* tamen rem ipſam iam fuiſſe, cui tandem nomen dederint, & iura quibus hodie vtimur præſcripſerint Longobardi. Ita *Iohan. Nicliius initio diſputat feud.* Quam ſententiam

Digitized by Google

Ordinabantur (inquit) *etiam tunc Principes, Duces & Comites conſtituti, debere, tanq; officia publica, imperiali iuſſione habentes ad nutum remouibilia, rationem ſui miniſterii ærario publico reddere. Poſthac, quia Senatorum filii, licèt equeſtres primò forent, tamen ad Senatum demum perueniebant: introductum fuit, vt parentibus ritè in officio ſe habentibus, filii eodem officio non priuarentur, ad illum finem, vt patres minus auaritiæ ſtuderent, habentes de ſucceſſione in officio certitudinem: & etiam vt eorum ſubiecti minus tunc grauarentur per patrem, quando & ipſis ſui poſteri præeſſe deberent. Tamen vt imperiali Celſitudini nulla incommoda detractoria dominiorum in futurum creſcente poteſtate officiatorum exorirentur; feudalia introducta ſunt ſtatuta, & de fide ſeruanda ſtrictiſſima iuramenta, quæ per vnumquemq; vaſallorum inſtituendorum præſtari, & ſub pœna perditionis Feudi inuiolabiliter ſeruari deberent. Eſt deniq; alia Lex edita, Ad magna feuda plura nullum accumulatiuè ſuccedere poſſe, ne ſic plura magna accumulando, potentia ſubditorum in tantum excreſceret, vt dum Tyrannica rabie, immemor iuramentorum, apicem dominandi (cuius appetitus per acquiſitionem creſcit) appeteret, Imperii potentia ſchiſmaticâ turbatione vileſceret. Erat inſuper Imperatorum conſuetudo, facilè accuſationes fractæ fidei & periurii admittere, vt fidelitas, per quam ſolum perſiſtit Imperium, nunquam negligentiâ parui penderetur. Pœna verò erat priuationis, fidem non ſeruâti. Et tunc ne inuidia fortè incitaret nobiles eiuſdem ſanguinis, contra eum cui hæc ablata donarentur: iſta quæ ſic in commiſſum ceciderant, ſacri Imperatores Eccleſiis frequenter applicarunt, &c.* Hæc Cuſanus: vbi quod ait officia Principum, Ducum & Comitum initio fuiſſe ad nutum Imperatoris remouibilia, eoſque rationem ſui miniſterii coactos fuiſſe reddere ærario publico; id valdè conuenire videtur cum inſtituto Turcico, quo officia ſimiliter non ſunt hereditaria, ſed ex nutu Imperatoris Turcici pendent: Ipſum quoque nomen *Baſſarum* tantam habet affinitatem cum *Vaſſorum Feudalium* appellatione, vt ex eo deductum quoque videri poſſit: quæ coniectura quorundã nec Fr. Hotomano diſplicet Diſputat. De Feudis, cap. 5. Cetera quæ hîc adferuntur de priuatione feudi ob fractam fidem, & adſi-

gnatione olim Eccleſiis potius quam agnatis fieri ſolita, explicabuntur infra cum de amiſſione feudi quæremus. De origine quoque feudorum operæprecium eſt audire Æmil. Ferrettum ad *l. legitima, num. 17. D. de pact.* qui ait contractum feudalem iuri gentium & ciuili incognitum eſſe, introductum à conſuetudine & voluntate Imperatorum. Mallem addidiſſet, *quorum populorum conſuetudine:* ſed intelligere debes, non modò Longobardorum (vt plerique putant) ſed etiam Germanorum aliorum. Idem Ferrettus feuda putat accommodari poſſe ad beneficia, quæ ab Imperatorib. Rom. concedi ſolebant, & ex inſtituto Tiberii non aliter rata habebantur a ſucceſſoribus, quam ſi & ipſi eadem iisdem dediſſent: Quæ omnia Titus Veſpaſianus vno confirmauit edicto, nec a ſe peti paſſus eſt, vt de hoc optimo Imp. ſcribit Suetonius in Tito. c. 8. quem locum Hotomanus quoque laudat *cap. 27. de feudis.* Et ſane petitio renouationis inueſtituræ à nouo domino feudi faciendæ habet aliquid ſimile, niſi quod hanc ſine iuſtâ cauſa dominus vaſallo denegare nō poteſt, vt infra ſuo loco audies; cū illæ cōfirmationes beneficiorum a ſuperioribus Principibus datorum ex merâ voluntate ſucceſſoris pependerint.

5. D. Dixiſti ſup. varias ac diſcrepantes eſſe aliorum ſententias ſuper feudorum origine. Quia verò iucunda non minus quam fructuoſa eſt diuerſarum ſententiarum collatio; vel.m mihi præcipuas breuiter enumeres, cum quidem & Ariſtoteles de beatitudine diſputans non ſatis habuerit ſuam propoſuiſſe ſententiam, ſed etiam aliorum examinet.

M. Rectè tu quidem admones, & morem tibi geram. Proderit enim hæc res etiam ad hoc, vt nihil antiquitatis penitus ignores. *arg. §. 1. Inſt. de teſtam. ordin.* Eſt igitur qui exiſtimet, feuda ferè cum ipſo genere humano extitiſſe, & ortum habere a prima monarchiā, & iis, qui primi in alios imperium vſurparint. Quamuis enim nondum tale nomen habuerint *Feuda:* tamen rem ipſam iam fuiſſe, cui tandem nomen dederint, & Iura quibus hodie vtimur præſcripſerint Longobardi. Ita *Iohan. Niellius initio diſputat feud.* Quam ſententiam

ſuam probabilem facere conatur locis quibuſdã ſacræ ſcripturæ,& Xenophontis in medium prolatis. Sed aliud eſt, regem aliquem ſibi facere tributarium; aliud vaſallũ. Deinde, Satrapæ Perſarũ longè à vaſallis noſtris differebant: quod eſt per ſe cuiuis obuiũ. Alii feudorũ

II. primã cauſam retulerunt ad prędia tributaria & ſtipẽdiaria, quorum quæ ſit conditio, meminiſti ex *§. per traditionem. Inſt. de rerũ diuiſ.* Ita Lucas de Penna. Sed vaſallus domino nullum pendit tributum de feudo, nullum ſtipendiũ, ſed ſeruitia, & plerunq; militaria præſtat pro prædio ſibi gratuitò & ex beneuolẽtia domini cõceſſo.

III. Alii feuda repetunt a veteri Romanorum inſtituto de fundis limitaneis, de quib. extat *tit. C. li. 11. De fundis limitrophis*; quomodo & Alexand. Imper. teſte Lampridio agros quoſdam in l. mitib⁹ & finib⁹ imperii Rom. aſſignabat militib⁹ & ducib⁹ poſſidendos tuendosque aduerſus hoſtium & barbarorum incurſiones. Cogitabat quippe eos tantò acrius & fortius pro illis propugnaturos, ſi non tantùm pro ſalute imperii, ſed etiam pro ſuis bonis dimicarẽt. Ita *Lælius Taurellus & Wolphgangus Lazius de Repub. Rom. li. 1. c. 2.* Sed neq; iſti agri limitanei omnino cum feudis conueniunt. Feuda enim non ita ſunt propria Vaſallorum pleno iure, vt illi agri fuerunt militum.

IIII. Alii feuda fluxiſſe putant ex more Romanorum, qui veteranis & emeritis militib⁹ agros debellatorũ hoſtium aſſignabant, veluti præmii loco pro legitimè impletis ſtipendiis & præclarè nauatã in bellis operã. Cuius aſſignationis nõ tantùm apud poëtas, Ouidiũ & Lucanũ, & apud Sueton. in Iul. Cæſare; ſed etiã in iure noſtro nõ ſemel fit mẽtio, vt *l. Lucius 11. D. de euict. l. 15. §. 1. D. de rei vin.* Et ſubſeciua dicebantur, quæ aſſignari nõ potuerunt, & in aſſignantis poteſtate remãſerunt, teſte Aggeno Vrbico & Iulio Frontino de limitib. agrorum, vbi idẽ Vrbic⁹ docet, neminẽ habuiſſe ius aſſignãdi, niſi qui a Principe hanc poteſtatẽ accepiſſet. Aſſignare autẽ inquit nullo modo poteſt, niſi ſacra fuerit præceptione firmat⁹. Citatur hui⁹ ſententiæ auctor *Vigl. Zuich. in Inſt. de mil. teſt. n. 22.* vbi tamẽ de illa veteranis fieri ſolita aſſignatione agrorum nullum verbum eſt. Tantùm ait, ſe arbitrari, feudorũ iura inde ſumpſiſſe originem,

quod

quod pleriq; veterum Imper diligenter ſoliti ſint pro-
uidere, vt peritum exercitatumque militem haberent.
Differentiæ autē inter feuda & iſtos agros veteranorū
cuiuis obuiæ ſunt. Alii feuda deriuant a largitionibus
Imper. qui ab exercitu eligebantur. Hi namq; vt milites V.
haberent obſequentes, & in officio ac fide continerent
exercitū, largitionib⁹ ſibi deuincire cogebātur. Cumq;
ad hoc non ſufficerent pecuniæ & prædia ex hoſtibus
capta, veniendum fuit ad officia & præfecturas, quæ
Militiæ appellabantur. *Ita Nic. Vigel. in methodo de iure feud. c.* 1. Quæ ſententia ferè congruit cū Georgio Ha-
loandro. Haloander enim feuda a militiis quoq; repe-
tit, quarum in iure ciuili paſſim mentio fit, & fuerunt
officia quædam ſeu miniſteria, quorum commoda po-
terant emi & vendi, legari, oppignorari. *l. vlt. C. de pign. l.* 18. *§. ab hæred. D. De alim. leg. l. pen. inf. D. de leg.* 2. *l.* 30. *C. de inoff. teſt.* vbi Azo in com. *militiā* vocat *præbendā* ali-
quam. Sed quam hæc ſint diſſimilia, facile intelligis, cū
illæ militiæ fuerint officia perſonalia: Feuda verò ſint
iura realia, & quidem regulariter in rebus immobilib⁹ VII.
cōſtituta. Vide *Duar. n.* 2. *hîc.* Septimò Zaſ. & Budæus,
eosq; ſecutus Hannetonius feuda repetunt à veteri Iu-
re cliētelarū, quas Romulū inſtituiſſe ſcribit *Dion. Hal. li.* 2. Eaq; lex Romuli etiā in leges XII. Tab. eſt relata, ſi-
cut & aliæ Leges regiæ. *Patronus* (inquiunt decemviri)
ſi clienti fraudem faxit, ſacer eſto: Quæ verba refert *Serui-us in* 6. *Æneid.* vbi cliētes ſuo tempore ſuſceptos fuiſſe
dictos adnotat. Sed longè alia huiuſmodi clientelarum
iura fuerunt, de quib⁹ vide *Gelliū li.* 13. *c.* 5. Alia verò feu-
dorū iura ſunt, de quib⁹ inf. Quamuis & Vaſalli paſſim
vocentur *Clientes* & *Clientuli*: Seniores autē patroni. *li.* 1. *t.* 13. *De alien. feud.* Alii feuda referunt ad homines, VIII.
quorū ſæpè in iure fit mentio, maximeq; in poſteriorū
Impp. reſcriptis: Ita Cuiac. & alii hunc ſecuti. Pro qua
ſententia facere videtur q etiā in iure feudali Homo
alicui⁹ dicitur Vaſallus, & Homo Papæ, id eſt, Vaſallus
eius (quamuis falsò) dicitur Imper. Romanus in veteri
epigrāmate, qd Romæ ad picturam Lotharii adſcriptū
fuiſſe accepim⁹, cui maſculè contradixit Imp. Frider. I.
idq; vnà cum picturâ aboleri poſtulauit ab Hadriano
IV. vt ſcribit *Radeuic. li.* 1. *c.* 10. & ex eo ſumpſit *Gunth. lib.*

6. *Ligurini*. Sed homines illi ſeruilis ferè erant cōditionis, nec ad militiam aſpirare poterant: cum Vaſalli ſint liberi homines & ferè milites. Homines illi erant quaſi glebæ adſcripti, tanq̃ œconomi ſeu actores & cuſtodes quidam. Vaſalli verò ſunt quaſi domini, & ſeniori ſuo fidelitatem iurant nomine feudi, quam iſti homines non iurarunt. Rectè igitur Hotomanus eam ſententiam, licèt ſuppreſſo nomine Cuiacii, refutat: *c. 2. ſuæ diſputationis de feudis.*

Nonò: *Franciſcus Conanus lib. 2. com. c. 9.* feuda repetit ex Gallia, & quidem a veterum Gallorum Solduriis, de quibus legiſti apud *Cæſarem 3. de bello Gall.* quibus ſimiles fuerunt eorumdem Gallorum *Ambacti & Clientes*, de quibus idem *Cæſar ſcribit lib. 6. de bello Gall. & Pet. Greg. Syntagm. Iur. lib. 14. cap. 10.* Similes etiam his ferè fuerunt Germanorum veterum Comites, quorum præcipuum ſacramentum fuiſſe ſcribit Tacitus de morib. Germanorum, defendere ſuum Principem, & pro eo pugnare. Huic verò ſuperſtitem ex acie receſſiſſe, infame ac probroſum ipſis erat in omnem vitam. Quod quidem ferè ſimiliter in vaſallis noſtris receptum eſſe infra cognoſces. Sed neque Soldurii clientes & Ambacti Gallorum, neque comites illi antiquorum Germanorum per omnia correſpondent vaſallis, quod facilè intelliges, vbi ſingulorum deſcriptionem inſpexeris, & inter ſe contuleris.

Decimo: Duarenus aliique vulgò Longobardis adſcribunt Feudorum inuentionem: Quæ ſententia ex parte tantū vera eſt, non vniuersè, vt ſupra dixi. Nā Longobardi inuenerunt & vſi ſunt illi quidem, ſed nō ſoli.

Vndecimo: Alii denique feuda ab initio nihil aliud fuiſſe volunt, quàm precarium, ideoque & iure ciuili non incognita: Nam vt precarium repeti poteſt ad nutum eius qui conceſſit quandocunque is voluerit; ita feudum quoque olim poterat, vt ſupra dixi ex *tit. 1. lib. 2. feud. §. & quia vidimus.* Sed in precario nulla fidelitas iuratur: vt taceam, quod pluribus in rebus precarium eſſe poſſit quam feudum, quod non niſi in immobilib.

6. D. *Video in ſingulis harum opinionum quod aliquam habeat veriſimilitudinem & conuenientiam cum feudis: ſed plura tamen diſcrimina animaduerto.* M. Sic

M. Sic eſt: Quare rectius feceris, ſi primæ ſententiæ adhæſeris: quam & Petrum Heigium amplecti video, Quæſtione prima: vbi eruditè multa diſputat de prima Feudorũ origine, & varias ſententias examinat.

7. D. *Sed à quibus conſcripti ſunt & quantum auctoritatis obtinent hi libri, qui de vſibus feudorum ſeu conſuetudines feudales inſcribuntur?*

M. Quamquam duorum tantùm auctorum alias quoties fit mentio, nempe *Gerardi Nigri*, (qui & *Capagiſtus* dicitur) & *Oberti de Orto* (Hotom. aliique *Ortenſium* vocant) qui filio ſuo Anshelmo quædam inſcripſit: (vterq; autē conſul fuit Mediolani imperāte Frider. I. & Gerardi quidem domus diruta eſt à Mediolanenſibus, quibus malè ceſſerat ſua aduerſus Imperatorem rebellio, cuius auctor & ſuaſor fuerat Gerardus) tamen verius eſt non tantùm ab his duobus illos libros cōſcriptos fuiſſe, ſed pluriū eſſe rhapſodiam, & quidē hominum priuatorum, quod vel ex ipſâ inſpectione librorum ſatis adparet, & pluribus demonſtratur ab Hotom. Duar. & aliis. De auctoritate autē horū librorum quod ex me quæſiuiſti, ſintné pro authenticis habendi, fuerunt ſanè qui omnem ipſis derogarent authoritatem, vt Hoſtienſis *in ſumma Decretal. ad tit. De immunitate Eccleſia.* itemq, *Carol. Molinæus in conſuetudinib. Pariſienſib.* Quòd ſcil. ab hominibus priuatis collecti ſint ſine mandato Imperatoris aut populi ſuffragio. Priuatus autē nemo ius cōdēdi poteſtatē habet, ſed populus & in quem is ſuum ius tranſtulit Imperator. *l. 2. C. de vet. iur. enucl. l. vlt. C. de ll. §. ſed & quod Principi. Inſt. de iure naturali.* Meminiſſe tamen debes, magnum eſſe inter horum librorum titulos diſcrimen. Non tantum enim à priuatis hominibus conſutas rhapſodias complectuntur, ſed inſunt ibidem multorum quoq; Imperatorū de iure feudali promulgatæ conſtitutiones. Hos autē legis cōdēdæ poteſtatē habuiſſe nemo dubitat. Vt maximè igitur de ceteris fortè dubitandum quis putet, de illis certè Principum conſtitutionibus dubitare nefas eſt. Quin imo & cetera horum librorum videtur ab Imperatorib. & populo ſi non expreſſe, tacitè ſaltem comprobata, dum & populus vſu ac moribus ea recepit & Principes quoq; publicè præ-

legi Bononiæ & in aliis imperio ſubiectis Academiis permiſerunt. Plus dico, auctore Iaſone in præludiis feudorũ, hoc iure etiã Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas obligari: vnde etiam in Iure canon. non tantum titulus extat *de feud.* ſed etiã alibi paſſim eorum fit mẽtio. Plura apud Franc. Curtium legere licet parte 1.*q*.1. nec non apud *Rob. Maran. part.* 3. *De ord. Iud. n.* 83. *vſq; ad* 93. *incluſiuè*: vbi pulcras & vtiles de Iure feudorum quęſtiones tractat.

8. D. *Sed cum omne Ius quo vtimur. aut ſcripto conſtet, aut moribus ſine ſcripto.* §. *conſtat, Inſt. de iure nat.* Quintil. *li.* 12. *c.* 3. *ad vtram ſpeciem ius feudale referendum cenſes?*

M. Alii indiſtinctè ad ius non ſcriptum referunt, non obſtante eo quod conſuetudines feudorum poſterius ſcripto comprehenſæ ſunt: ſpectandum enim eſſe aiunt initium, ex doctrina *Bart. ad l. de quib.* 32. *D. de ll.* & *ad l.* 2. *D. de vulg.* & *pupill.* Sed ex ſupra dictis facilè intelligis, conſtitutiones illas Principum his libris inſertas ad Ius ſcriptum pertinere. Quod autem *Vſus* & *conſuetudines feudorum* inſcribuntur, intelligere debes ex potiore factam denominationem. Semper enim ex eo quod maximas partes continet latiſſimeq; funditur, tota res appellatur, vt præclarè ait *Cic. lib.* 5. *de finib.* & *facit l.* 10. *D. de ſtatu hom.*

9. D. *Sed debent ne hæ conſuetudines iuri ciuili ſcripto* & *communi præualere, an cedere?*

M. Omnino præualere debent: Cum enim Ius ciuile de feudis (quæ ei ignota fuerunt) nihil diſpoſuerit, ſequemur *legem* 32. *cum ſeqq. D. de ll.* vbi Iulian. & Vlpian⁹ vno ore fatentur, diuturnam ſiue inueteratam conſuetudinem pro iure & lege obſeruari ſolere in his cauſis, in quibus non vtimur legibus ſcriptis, ſiue quæ ex non ſcripto deſcendunt. Et hoc reſpectu veriſimile dixiſſe videtur Feudiſta *li.* 2. *tit.* 1. Legum Romanarum non eſt vilis autoritas, ſed non adeò vim ſuam extendunt vt vſum vincant, aut mores: vbi notandum, quod plane inuertat ſententiam Imp. Conſtantini, quæ extat in *l.* 2. *C. quæ ſit longa conſuetudo.* & repetitur etiam in Iure canonico *cap.* 11. *cum tanto. extra de conſuetudine*: Conſuetudinis vſusq; longæui non vilis autoritas eſt; verùm non vſq; adeò ſui valitura momento, vt aut rationem

vincat

vincat aut legem. Quas inter ſententias nulla erit pugna, ſi feudiſtã quidem exaudias de eo caſu, in quo destituimur iure ſcripto ſeu legib. (vt in feudo certe destituimur.) Conſtantinum verò intelligas loqui de conſuetudine & moribus eo caſu, de quo expreſſam habemus legem. Hìc enim mores meritò cedere debent legibus & ſeſe iis conformare. Factum verò contra leges ipſo iure nullum eſt, *l. non dubium. 5. C. de leg.*

10 D. *Quomodo autem me geram in huius iuris interpretatione & controuerſiis feudalibus decidendis?*

M. Hunc ordinẽ obſeruabis, vt ante omnia attẽdas, quid de vna quaq; re his libris feudalib⁹ cõſtanter fuerit cõprehenſum: hoc.n. ſeruabitur, niſi pactis inueſtituræ fuerit immutatũ: Cuius inueſtituræ tenor vulgò quoq; dicitur ante omnia inſpiciend⁹ eſſe. Quod ſi nouus aliquis & hic prætermiſſus caſus incidat, aut emergat (ſicut non poſſunt leges ita ſcribi vt comprehendãt omnes articulos & caſus qui quandoq; incident. *l. 10. & l. 12. D. de leg.*) tùm obſeruabis morem cuiuſq; regionis & populi, vel quid de eo ſtatutum ſit. Si neque hoc appareat, tunc demum recurres ad commune ius ciuile, argumento à ſimili inde ducto: Quod monet ipſe *Feudiſta d. tit. 1. li. 2. in §. Strenuus autem,* & probat *Bald. in l. cum oportet. C. de bon. quæ liber. & in l. 2. C. de ſuis & legitim.* v. g. ſi occurrat quæſtio, vtrum vaſallus qui feloniam commiſit aduerſus dominum feudi, de qua tum dominus nihil fuerit conqueſtus, dum viueret, nec ad priuationem egerit, poſſit etiam mortuo domino adhuc ab hæredibus conueniri feudoq; priuari: Hìc cum deſtituamur iure feudali, recurremus ad argumẽtationem ex iure ciuili: eadẽq; ratione negabimus actionẽ hæredib⁹ ſenioris, qua & querelã inofficioſi teſtamẽti non motã neq; preparatam à defuncto ius ciuile denegat hæredib⁹, *l. 30. omni modo. C. de inoff. teſt.* vbi Azo in comment. n. 3. Eadem quoq; ratione qua reuocatio donationis ex cauſa ingratitudinis denegatur hæredibus, ſi defunctus de eã cõqueſtus non fuerit, *l. 7. his ſolis. C. de reuoc. donat.* Eãdem denique ratione, quã nec iniuriarum actio competit hæredi. *l. 10. §. qui iniuriarum, D. ſi quis cautionibus.* Nec hæredes mariti poſſunt vxorem mulctare dote ob commiſſum adulterium, de

quo ipſe maritus, quam diu vixit, tacuit. Ita *gl. & DD. in c.1.§.1.quib.mod.feudum amittatur.* Alia tria exempla vide apud *Cuiac. in d.§.ſtrenuus*, & plura apud *Ioh. Ferrarium de feud.lib.* 1.c.4. Huc etiam pertinet loci Legales à liberto ad Vaſallum, ab Emphyteuſi ad feudum, de quibus vide *Nic. Eberhardi in Topicis.*

11. D. *Sed vt à iure ciuili ad Ius feudale argumentum ducere licet ad deciſionem controuerſiarum, quæ de feudis naſcuntur nec ex iure feudali aut moribus componi poſſunt, an & eodem modo vice verſa à iure feudali ad Ius ciuile argumentari potero?*

M. Nequaquam. Nam ſi quid contra Ius commune receptum ſit in feudis, non eſt producendum ad conſequentias ad correctionem iuris communis, *arg.l.14.D. de ll. c. quæ à iure communi.* 18. *de R. I. in 6.* Vide *Æmil. Ferrettum in loco ſupra citato & Ioh. Vaudum lib.* 1. *quæſt.* 9. *poſt Bartolum in l.vt iuriſiurandi,§.1. D. de operis libert.* ideoque nec à contrario ſenſu in feudis argumentari conceſſum eſt ad correctionem vel iuris communis vel feudalis: de quo vide *Nicol. Vigelium Methodo de Iure feud.c.1.regula* 5.

12. D. *Satis iam de Origine feudorum, deq; horum librorum auctoritate & valore intellexi quid ſentiendum ſit, & ad quam Iuris partem referantur & quomodo in controuerſiis feudalibus decidendis verſandum ſit. Nunc de vocabulo feudi, quale ἔτυμον habere putes, audire cupio.*

M. Primùm illud, ſicut mea fert opinio, nemo negabit, *feudi* verbum non eſſe Latinum. Illud in obſcuro eſt, quo æuo primùm appellari feuda cœperint. Fuit enim res ipſa Feudorum antiquior quàm nomen, quod idem ferè in Emphyteuſi contigiſſe meminiſti. Prius autẽ beneficia dicta fuere, quàm feuda, vt in libro antiquo de beneficiis diu ante hos duos libros ſcripto vſurpantur. Sic etiam non ſemel in his Vſibus feudorum feudum dicitur *Beneficium*, vt *lib.* 2. *t.* 1. *& l.* 52. *& alibi.* Vnde & Vaſallus interdum *beneficiarius*, vel *beneficiatus*, vel *inbeneficiatus* dicitur. Feudi autem vox nuſquam apud antiquiores ſcriptores legitur quàm in conſtitutione Caroli III. cognomento *Craſſi*, qui circa annum Domini 881. imperauit, vbi Marquardus Freherus in comment. etiam ex hiſtoricis vnum atque alterum locum

eum adnotat. Scribebant autem olim non *feudum* vt nos,ſed vel *Phoedum* vel *Foedum*, promiſcuè per *oe*, & per *Phoe*, vel *F.* quod alii inuertẽtes inde fecerunt *Fœdum* vel *Phœdum*,& inde porro factum feudum,nomen diſſyllabum ex triſyllabo.Cum igitur,vt facilè animaduertis,Latinum non ſit Feudi nomen,ridiculum eſt atque ineptum ei velle Etymologiam aſſignareLatinam. (Qua in re ſæpè non ſolum Iſidorum videas egregiè ineptientem in libris Originum, ſed & Varronem,doctiſſimum illum Romanorum) ſed tamen eam pleriq; vulgò aſſignarunt, alii â fœdere feudum deriuantes, quod inter ſe dominus & vaſallus ineant. Alii à *fide* ſeu fidelitate,vt Feudiſta *lib.* 2. *titu.* 3. vbi ſic argumentatur:Feudum à fide ſeu fidelitate dictum eſt:Ergo non debet conferri ei, qui fidelitatem iurare recuſat. Immò,inquam, Germanico nomini etiam ἔτυμον Germanicum rectius tribuitur quam exoticũ. Alii igitur feudum deriuant à Fehnde / id eſt bello & inimicitia, quæ & *Guerra* dicitur. Vtrumque verbum ſæpiſſime reperies in legibus Longobardicis & Francicis. Hinc etiam hodie Fhendtbrieff vocamus literas, quibus capitales inimicitiæ alicui denunciantur & bellum indicitur, ſiue hoſtis aliquis declaratur. Hinc & *feidoſum* appellarunt & *diffeidatum*, cui inimicitiæ capitales denũtiatæ ſunt, vel indictum bellum. Ita Hotom.in Lexico feud. Quo etiam inclinare videtur *P. Gregor. Syntag. Iur. lib.6.cap.2.nu* 2. Alii (qui nimis longè mihi abire videntur) feudum dictum putant ex Germanico Vogthen. Nam Germani Vogt / vocant curatorem, pręfectum,præſidem, vel præpoſitum, & ipſa prefectura eſt die Vogthen Ita *Nicol. Vigelius pag.* 42. qui vocem Germanicam deducit ex Græco βοήθεια Alii denique (quod magis mihi probatur) feudum deducunt à Germanico Füden, quod eſt paſcere vel alere. Nam prædia feudalia ad hoc dantur Vaſallis,vt inde ſe, equos,& familiam honeſtè alant, vt parati eſſe poſſint ad ſeruitia dominis ſuis præſtanda, & militares expeditiones obeundas quoties vſus tulerit & ad hoc fuerint euocati. Accedit quod *Fodrum* dicitur hic in materia feudali, â Germanico Fuetter/annona militaris ſiue commeatus exercitui præbitus.

13. D. *Miror, tot vnius nominis tàm varias excogitari potuiſſe etymologias & deductiones?*

M. Non eſt quod mireris. Fuerunt enim ſemper, etiã inter doctos viros liberrimæ vocabulorũ originationes; adeò quidem vt luſum quemdam ingeniorum in illis excogitandis exercere voluiſſe videantur. Maximè verò hac in re ineptire ſoliti Stoici, quod meminiſti ex Cicerone & ipſis Iuriſconſultis, quorum plerique omnes Stoicorum ſectam adamarunt. Sæpè quoq; hîc ineptus eſt doctiſſimus Rom. Varro: vt ſupra dicebam.

14. D. *Sed vnde putas dictum noſtrum vocabulum* Lehen/ *quo hodie feudum denotamus?*

M. A verbo Leihen/ quo ſignificamus conceſſionem rei ad vſum aliquem, ſiue ſit commodatum, ſiue precarium ſiue mutuum. Inter quæ quantum interſit, ex *titulo Inſt. Quib. mod. re contrah. oblig.* meminiſſe potes. Nam & feudum conceditur vaſallo ad quendam vſum, quamuis ille vſus multò ſit plenior & melior, quàm ſeruitus vel vſus vel vſusfr. vt infra audies. Galli (vt obiter hoc moneam) feudum vocant *Fief*, & pleraſque conſtitutiones & conſuetudines ſiue leges municipales auſpicantur à titulo de feudis, *Des Fiefs.* Angli vocant *Fee*, quamuis hi etiam allodia à maioribus hæreditate relicta ſic nominant, vt docet *Hotom. in comment. de verb. feud.*

15. D. *Audiui vnde feudum deriuandum ſit: Sed cum ferè totum ius feudale conſcriptum ſit ſermone mixto barbaro, Nomenclaturam quamdam verborum & formularum feudalium deſidero, quæ ſit mihi inſtar clauis ad totam hanc doctrinam aperiendam.*

M. Rectè admones. Sunt enim vocabula rerum ſymbola & notæ, quibus ignoratis etiam res ipſas quæ illis ſubſunt ignorari neceſſe eſt, ex ſententia tam Platonis quam Ariſtotelis. Vnde & IC. ab explicatione vocabulorum & terminorum ferè auſpicantur ſuos commentarios ad edicta Prætoris, vt *Vlp. in l. 1. D. de reb. creditis.* In Iure autem feudali tantò magis neceſſaria eſt diligens explicatio verborum, nec ſufficiunt vel commentaria Latinæ linguæ, vel libri ea ſignificatione verborum iuris, quòd feudiſtæ aliâ pænè linguâ loquuntur quàm Iuris ciuilis auctores; & vt rectè vocaſti

ſermone

ſermone mixobarbaro vtuntur: ſicut *Cic. in lib. de Oratore* ait, Poëtas aliâ linguâ quàm oratores loqui. Verùm hoc labore nos ſubleuabit eruditiſſimus Hotom. ad cuius commentarium recurrere debebis, quoties in verbis & formulis feudiſticis adhærebit diligentia tua; recurres etiam ad aliorum Lexica, in quæ pleraq; ſunt tranſcripta ex Hotomano: recurres denique ad *claſſes Oldendorpii ſub tit. De actionib. beneficiariis, & in fine tabula Actionum.* De quibuſdam licet etiam conſulere *commentarium Freheri ad Conſtitutionem Carolinam de feudis.* Facilè autem intelliges, cùm hos auctores perlegeris, quod poſteriorib. Romanis & ICtis olim vſu venit in explicandis verbis, quibus leges decemuirales ſeu XII. Tabb. conſcriptæ fuerunt, vt magnoperè ipſis laborandum eſſet in vera vocum origine intelligentiaq; eruendâ: idem ferè in verbis quoq; feudalibus contigiſſe, quæ licèt magna ex parte ſapiant originem Germanicam; tamen inter Germanos ipſos ſæpè à vulgo vix intelliguntur; immò & inter doctos eſt ſuper illis non parua diſſenſio.

CAPVT II.

Negotia quædam Feudo ſimilia & cognata ab eodem diſcriminantur. De Allodiis, vnde dicta: & vtrum in dubio res præſumatur allodialis an feudalis.

1. D. *Dicebas, eſſe negotia quædam feudis ſimilia, quæ tamen priuſquàm ad definitionem Feudi accedere poſſimus, diligenter ſint diſcernenda. Proximum nunc eſſe videtur, vt illa mihi expenas.*

M. Negotia illa quæ cum feudis cognationem quãdam habent, fere iſta reperio 10. vel 11. Emphyteuſin: Vſumfr. Ius bonæ fidei poſſeſſoris: Ius dotis marito competens, contractum libellarium ſeu cenſualem precariã: Item precarium & Donatio, Poſſeſſiones illas antiquas Romanorum, Ius protectionis ſeu tutelæ, Ius ſuperficiariũ; Beneficia Eccleſiaſtica, deniq; & Ius clientelarũ ſeu neceſſitudinũ inter patronũ & clientes, quę fuit ex inſtituto Romuli: Sed hoc poſtremũ ius qua-

le ſit & quantum diſtet à iure feudali ſupra audiuiſti. Quare eo omiſſo de reliquis ſi voles me interroga. Cognitis enim rerum ſimilitudinibus & differentiis, res ipſas earumque ſubſtantiam, eò melius intelligimus, vt ait ſapientiſſimus Plato.

2. D. *Quæ ſunt ergò præcipua inter Emphyteuſin & feudum differentiæ?*

M. Primo fine differunt; alio namque fine & aliâ lege datur prædium in Emphyteuſin; alio fine & alia lege in feudū. Emphyteuſis hūc habet finem, & hanc legem, vt prædium cultius ac melius reddatur, & vt domino præſtetur annua penſio, quæ *canon* dicitur, olim etiam *Vectigal*: de quo audiuiſti ad §. *adeò. Inſtit. de locat. & conduct.* Feudi verò finis & Lex hæc eſt, vt vaſallus ſeniori ſuo præſtet non penſionem aliquam, ſed ſeruitia militaria vel alia pactis expreſſa & tenore inueſtituræ comprehenſa, *lib. 2. Feud. t.* 26. §. 23. Et *Emphyteuta* quidem etſi non appelletur de ſolutione canonis, tamen cogitur eum domino offerre, quandoquidem dies pro homine interpellat; Vaſallo autem licet exſpectare dum vocetur à domino, cui ſeruitia ſua offerre non cogitur; ſatis eſt ſi interpellatus officio ſuo non deſit. Ferrarienſis in formâ libelli quo agitur ad reuocationem feudi. II. Differunt etiam quo ad ſucceſſionem: In feudis enim non ſucceditur ex teſtamento, ſed tātùm ab inteſtato: omnis ſucceſſio hîc eſt legitima, nulla teſtamentaria. Vaſallus namque de feudo teſtari prohibetur, vt infra audies. At de Emphyteuſi poteſt quiſque teſtari, poteſt eam legare; teſte *Iul. Claro in §. Emphyteuſis, quæſt.* 15. *& ſeq.* Item, in feudis olim tantum liberi & hodiè etiam agnati, ſed non extranei ſuccedunt. *lib. 1. Feud. t.* 1. *& t.* 8. Ita dico: in Emphyteuſi eſt ſucceſſio non tantum legitima, ſed etiam teſtamentaria: Et ſucceſſio non tantum liberorum & agnatorum, vt in feudis; ſed etiam extraneorum, qui Emphyteutam ſanguine prorſus non attingunt. III. Differunt quoad alienationem, qui in feudis inuito domino planè eſt prohibita, primò quidem per Lotharium; deinde pleniùs & fortius per Fridericum I. In Emphyteuſi alienatio eſt permiſſa. §. *adeò, in verb. aliove quocunque modo alienauerit. Inſt. de locat. & conduct.* Niſi quod vendere

alienat. *modo ali.*

dere volens emphyteuſin, cogitur prius denuntiare domino prædii Emphyteutici: Qui ſi ipſe velit ſibi comparare,& voluntatem hanc intra duos menſes declaret, omnibus aliis præfertur, dummodò tantum precii ſoluere paratus ſit, quantum reuera ab alio habere potuiſſet Emphyteuta: A nouo autem Emphyteuta accipiet pro introitu quinquageſimam partem pretii, quam vulgò vocant *Laudemium. l.* 1. *C. de iur. Emphyteut.* 4. Differunt quoad amiſſionem & priuationem. Emphyteuta priuatur Emphyteuſi ob non ſolutum canonem, ſi ceſſauerit in ciuili quidem per triennium, in Eccleſiaſtica per biennium, vt dixi ad §. *adeò.* At feudum amittitur ob feloniam ſeu flagitium aliquod, vt plenius ſuo loco audies. 5. Differunt etiam quoad ſcripturam, quam plerique volunt neceſſariam eſſe in Emphyteuſi; in feudo non item. Et de feudo quidem omnes conſentiunt; ſed de Emphyteuſi, an ea poſſit conſiſtere ſine ſcriptura nec ne, controuerſum eſt inter DD. vt videre eſt apud *Iul. Clarum in* §. *Emphyteuſis. quæſt.* 4. Et quod neque in Emphyteuſi neceſſariò à lege requiratur ſcriptura, verius videtur etiam *Cuiacio in Recitationibus ad t. C. de iure emphyt. par.* 236. Nam ſi neceſſaria eſſet ſcriptura ad ſubſtantiam contractus Emphyteutici, tunc amiſſo inſtrumento emphyteutico futurum eſſet vt intercideret contractus: Atqui amiſſio nihil nocet, *l. vlt. in verb. vel fortè inſtrumentum Emphyteuſeos deperditum eſt, C. d. t.* Ergò neque omiſſio eius quidquam nocebit. Sed hac in re tutius eſt ſequi conſuetudinem cuiuſque loci, vt rectè concludit *Clarus d. quæſt.* 4. Plures differentias videre poteris apud *Bart. in l. vt iuriſiurandi. §. ſi liberti, D. de oper. libert. & Iaſ. in l.* 1. *C. de iure emphyteut. item apud Bertachinum in Repertorio in verb. Emphyteuſis differt à Feudo;* vbi 17. commemorat differentias: & mox 9. ſubiicit capita in quib. cõueniãt. *Ferrar. in forma libelli quo agitur ad reuocationem feudi.* Illud te moneo ad poſtremũ, vt caueas ne à vulgo decipiaris, quod lingua vernacula etiam eum contractum, qui reuera eſt emphyteuticus, donat nomine feudi. Quæſtiones varias de Emphyteuſi hîc afferri alienum eſt: pertinet enim ad *t. C. de*

iure emphyteut. vnumquodque autem ſuo loco tractandum eſt.

3. D. *Quid ſi quis rem, quam aliquamdiu in emphyteuſin tenuerat, poſtea ab eodem domino recipiat in feudum, eritne feudum, an manebit emphyteuſis, an vero vtrunque erit?*

M. Rectè mones. Placuit autem Alciato poſt Albericum de Roſate & Iaſonem, hoc caſu vtrumq; contractum ſimul conſiſtere, nec aboleri priorem emphyteuticum per poſteriorem feudalem: quod παράδοξον vocat *Heinr. Roſenthal in Synopſi feudali, c. 6. n.* 40. & tamen probat *arg. l. vlt. C. de nouationibus.*

4. D. *Intelligo quantum diſtet Feudum ab emphyteuſi. Sed vſumf. quib. notis diſcernam ab eodem?*

M. Comparatur quidem vſusfr. quadantenus cum feudo, *lib. 2. feud. t. 23. in f.* imò ſunt, qui feudum per vſum, velut ſpeciem per ſuum genus putent definiendum, vt paulò poſt in definitione feudi cognoſces: Sed tamen vſusfr. a feudo longiſſimè eſt remotus: Et primo quidem in eo differt, quod vſusfr. eſt ſeruitus perſonalis & cum perſonâ extinguitur. §. *finitur, Inſt. de vſufruct. toto t. D. Quib. mod. vſuſf. amitt.* Feudum vero tranſit ad hæredes. Si non paſſim ad omnes, ſaltem aliquos, vt liberos & adgnatos, vt habetur in *tit. De ſucceſſ. feudi.* Secundo differunt, quoad mentem ſeu rem ſubiectam. Vſusfruct. enim poteſt conſiſtere non tantum in rebus immobilibus, ſed etiam mobilibus vel ſeſe mouentibus, imò etiam in rebus quæ vſu conſumuntur, mediante cautione, quod vtilitatis cauſa Senatusconſulto effectum eſſe audiuiſti in §. *conſtituitur. Inſtit. de vſufr. l. 1. & toto tit. D. de vſufr. earum rerum quæ vſu cõſum. l. 1. De vſu & vſufr. legat.* At feudum tantum in reb. immobilib. ſiue prædiis cõſtitui poteſt, vel certè in iis rebus, quæ immobilium loco habentur: vt eſt in *tit. 1. lib. 2.* Quę cuiusmodi ſint, infra audies, cũ de materia feudi agemus. 3. Vaſallus domino iurat fidelitatẽ: quod infra explicabitur: Vſufructuarius proprietario nullã præſtat fidelitatẽ. 4. Differunt quoad cautionẽ. Ab vſufructuario. n. exigitur cautio de vtẽdo fruendo arbitrio boni viri, & re reſtituenda vſufruct.

quando-

quandoq; finito, *toto tit. D. Vſufruct. quemadmodum caueat.* Vaſallus talem cautionem præſtare nõ cogitur. Neq; hoc mirũ: habet.n. ius plenius quàm vſufructuarius. Vaſallus eſt quaſi dominus ſiue (vt vulgò loquuntur) habet vtile dominium, directo remanente penes ſeniorẽ: Vſufructuarius non eſt dominus. Quamquam .n. vſusfr. in multis caſib. pars dominii dicitur in *l.* 4. *D. de vſufr.* tamen hoc nõ eam vim habet, quaſi idem ſint proprietarius & vſufructuarius, qui potius inter ſe opponuntur toto iure. Sed quomodo id accipiendum ſit, præclarè explicat *Cuiac. in ſuo Paullo & Giphan. ad d. l.* 4. v. Differunt quoad alienationẽ. Vaſallus rem feudalem inuito domino alienare nõ poteſt, vt ſupra dixi. Vſufructuarius vero poteſt vſumfr. alteri vendere, donare, aliiſq; modis alienare etiam inuito domino, §. 1. *Inſt. de vſufr. l.* 12. §. 2. *D. eod. l.* 63. *D. de Iure dot.* Eatenus tamen, vt in accipientis perſonã non conſtituatur nouus vſusfr. ſed maneat idem qui erat in perſonã alienantis, & vt extincto iure dantis, etiam extinguatur ius accipientis. *arg. l.* 31. *D. de pignor.* 6. Differunt etiam quoad fructus poſt mortem: Nam ſi vſufructuarius moriatur fructib. nondum perceptis & collectis, pendentes adhuc & ſolo cohærentes non transmittit ad heredes; ſed fructus illi ad dominum proprietatis pertinent: videntur enim pars fundi eſſe: vt ait *l.* 44. *D. de R. V.* §. *Is verò ad quem, Inſt. de rer. diuiſ.* Vaſallus vero moriens poſt Kalend. Martii ante Auguſtum transmittit fructus ad hæredem, etiamſi feudum domino fuerit apertum, *libro ſecundo feud. l.* 28. §. *pen.* Sed de fructibus feudi infra accuratius explicabo. Plures differẽtias apud Interpp. legere potes, & quaſdam ex his reperies etiam apud *Iohannem Igneum ad l.* 1. §. *domini* 2. *numero* 56, *cum ſeqq. D. de Senatusconſulto Silan.*

5. D. *Ius bonæ fidei poſſeſſoris quomodo à feudo diſcernam?*

M. Non difficile id tibi erit, ſi memineris eorum quæ audiuiſti ad §. *ſi quis à non domino, Inſtit. de rerum diuiſ.* Paucas tamen differẽtias breuiter indicabo. Primum igitur bonę fidei poſſeſſor putat, rem quam poſ-

ſidet ſuam eſſe, vt quam iuſto titulo bonaq; fide acceperit ab eo quem dominũ eſſe putabat, ideoq; eam vſucapere poteſt. vt d. eſt ad *t. de vſuc.* & poſſeſſione forte amiſsâ ante impletam vſucapionẽ habet actionem Publicianam, quę eſt prætoria quędã rei vindicatio, vt meminiſti ex §. *ſed iſtæ quidem. Inſt. de actio.* quæ omnia ſunt alia in Vaſallo: Hic enim ſcit rem eſſe alienam, ſibi tantum in feudum conceſſam; ideoq; nec vſucapere poteſt rem feudalem, & alias de eo actiones habet, vt inf. audies. Deinde Vaſallus alteri debet obſequium &
2 fidelitatem nomine feudi: At bonæfidei poſſeſſor fidelitatem nullam debet domino rei, immò neſcit alium
3 quàm ſeipſum dominum eſſe. 3. Senior à Vaſallo rem feudalem auferre non poteſt niſi culpa aliqua vaſalli interuenerit. *toto titul. De feudo ſine culpa non amittendo.* At dominus rem ſuam à bonæ fidei poſſeſſore poteſt auocare per rei vindicationem. Semper enim verus rei dominus præferẽdus eſt poſſeſſori, quantumuis bonæfidei. *l. 9. officium. & paſſim toto titul. D. de R. V. l pen. & vlt. D. de Publici. §. etſi in rem. verſ. ſi vero b. f. poſſeſſor ſit. Inſtit. de officio iudic.* Ex quo intelligis, feudum quidem amitti ob delictum vaſalli; non autem ius b. fidei poſſeſſoris, quod potius extinguitur per ſuperuenientiam & vindicationem veri domini. Deniq; differũt vaſallus & bonæfidei poſſeſſor quoad fructus. Non enim omnes fructus irreuocabiliter & ſemper ſuos facit bonæfidei poſſeſſor ſicut vaſallus; ſed extantes reſtituere cogitur domino rei. *l. certum eſt. C. de R. V.* Nam interim tantum eos facit ſuos, vt ait Paulus *in l. 48. D. de acquir. rer. dom.* Interim, id eſt, quamdiu res euicta non fuerit: qua de re alibi latius.

6. D. Ius dotis, quod habet maritus conſtante matrimonio, qua in re differt à feudo?

M. Habent illa quidem duo Iura aliquam inter ſe cognationem. Nam vt vaſallus eſt quaſi dominus & omnes fructus ex re feudali percipit: ſic & maritus in re dotali. Differunt tamen plurimis aliis in rebus, quòd quidem manifeſtius eſt, quã vt verbis egeat. Vt autem inter maritum & vxorẽ ſoluto matrimonio per diuortium ſæpè quæri ſolet de fructibus dotis quomodo

ſint

ſint diuidendi: ſic etiam extincto feudo ſæpè controuertitur inter hæredes vaſalli & dominum, quemadmodum fructus nondum percepti diuidantur. Et Cuiacius quidem putat *lib.* 4. *feud. tit.* 30. circa hanc rem eſſe obſeruandas regulas Iuris Ciuilis, vt ſcilicet ineatur ratio temporis quo ius poſſeſſionis conſtitit, ſecundum *l.* 7. §.1. (aliàs incipit *noua lex: diuortio*) *D. ſolut. matrimonio*; quam ſententiam vt iuri ſcripto & naturali æquitati conſentaneam ſequendam putaret *Hartm. Piſt. libr.* 1. *quæſtio iur. quæſtio.* 24. *num.* 42. niſi expreſſum ea de re aliud eſſet in iure feudali. §. *his conſequenter*, *l. hic finitur Lex.* quam ſententiam licèt plerique Doctores fateantur non ſatis æquam, nec rationabilem: tamen ſequuntur: de quo plenius infra ſuo loco.

7. D. *Libellarius contractus qualis eſt, & quomodo à feudo differt?*

M. Libellarius contractus (quæ & libellaria dicitur & coniunctim cum allodio opponitur feudo *lib.* 2. *tit.* 26. & paſſim alibi in hoc iure nominatur) ſecundum quoſdam dicitur à libella, id eſt, parua libra æris: quod probat *Weſenbec. tract. feud. cap.* 14. quæ Etymologia etiam Gregorio M. placuiſſe videtur, cum ait *libro* 2. *Epiſtol.* 1. Libellario nomine terram ac libram vnius ſemiſſis concedi: Alii deriuant à libello, ſeu breui charta, in qua deſcribitur, quod magis placet *Hotoman. & Cuiacio ad tit. Cod. de iure emphyteut.* Eſt autem huiuſmodi negotium ſeu conuentio, quando res alicui in perpetuum vtenda datur, ea lege, vt præſtetur eo nomine annua penſio paucorum denariorum, vtque poſt aliquot annos contractus renouetur pretio renumerato. Ita vides, libellarium hunc contractum valdè ſimilem eſſe Emphyteutico; adeo, vt quidam etiam ad Emphyteuſin retulerint libellariam, teſte *Hotoman. in feud. & Cuiac. ad rubric. C. de iure Emphyt. denique Weſen. in d. c.* 14. qui tantum hoc intereſſe putant, quod Emphyteuſis cōſtituatur à domino rei; libellus autem à quaſi domino, vt à vaſallo, ac Emphyteuta. Quorum ſententiæ meritò opponimus illud: Si idem libellaria, quod Emphyteuſis, poſſet, cur di-

uerſum his contractib. vocabulũ mandaretur, quæ vis ac poteſtas, vna ſociaſſet? *arg. l.pen. C.de codicill.* Certè iam tum Iuſtiniani tempore libellarium contractum in vſu fuiſſe conſtat ex variis Caſſiodori & Gregorii M. epiſtolis. Nec tamen in toto iure vnus contractus pro altero vſpiam nominatur, vt appareat facilè, reipsâ diſtinctos eſſe. Et ſanè plus Iuris tribuit Libellaria, quàm Emphyteuſis: Nam non tam facilè amittitur libellaria ob ceſſationem in ſolutione penſionis, quàm Emphyteuſis ob non ſolutum canonem. Giphanius putat, libellariam eſſe velut mixtum quoddam negotium ex emtione, venditione & locat. atque conductione. Qua in re ſententia eſt etiam *Petr. Gregori. Syntag. Iur. libr. 6. cap. 1. num. 11.* vetus interpres Nouellarum ad *Nouell.* 7. vbi libellaria nominatur ius παροικικόν: de quo ibi *Cuiac. & in d. t. C.* Hinc iam facile tibi erit colligere aliquot differentias inter libellarium contractum & feudalem. Primum. n. feudum datur gratis & ex beneuolentia domini; libellaria verò emitur. Deinde de feudo præſtantur ſeruitia & operæ: de libellaria præſtatur penſio ſeu merces annua. 3. Libellaria renouatur poſt certum annorum numerum. V. g. de luſtro in luſtrum, vel etiam triceſimo quoque anno. Feudi inueſtitura non renouatur, niſi vel perſona ſenioris, vel vaſalli fuerit mutata.

4 Feudum eſt ius quoddam militare. At libellaria eſt cõtractus paganicus. 5. In feudo præſtatur hominium ſeu fidelitas: In libellaria non item. 6. Illud ob feloniam amittitur: hæc non amittitur. Et in ſumma maius & melius videtur eſſe I v s libellarium quàm feudale. Plura de libellario contractu videre licet apud *Speculat. in tit. de feud. §. quoniam, n. 65. & Iaſ. in d. l. 1. C. de iure Emphyt. n. 39. & DD. in Authent. Ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſ.*

8. D. *Cenſualis contractus qualis eſt?*

M. Quando ipſum prædii dominium tranſit in accipientem certa penſione veteri domino præſtanda. Ita gl & canoniſtæ ad *c. conſtitutus, ext. de religioſ. domib.* *Iaſ. ad d. l. 1.* Videatur etiam *Eberard. in Top.* ex quo facile in-

Iaſ. n. ...

ſe intelliges, quantum diſtet cenſualis contractus tàm ab Emphyteuſi quam à feudo. Nam in neutro horum ipſum prædii dominium ſicut in cenſuali contractu transfertur, ſed manet penes dominum prædii tàm emphyteutici quam feudalis. Deinde in feudo & emphyteuſi locus eſt commiſſo; in cenſuali contractu non item: Quare melius eſt habere ius cenſuale, quàm vel emphyteuticum vel feudale. In dubio autem præſumitur potius contractus emphyteuticus pro domino, quam cenſualis pro ruſtico.

9. D. *Nominabas ſupra inter negotia feudo cognata, etiam precariam; quæ qualis ſit, ſcire aueo.*

M. Precariam & precarias quidam diſtinguunt ita, vt precaria nõ tranſeat ad hæredes; ſed precariæ transeant. Verùm hoc diſcrimen non adtenditur, & precaria ac precariæ indiſtincte vſurpantur pro contractu quo œconomus alicuius Eccleſiæ dat alicui rem Eccleſiæ vtendam fruendam vel ad vitam vel ad certum tempus, idque aut gratis aut certa mercede conſtituta: ea tamen lege, vt accipiens viciſſim det Eccleſiæ rem aliam ex bonis ſuis, quæ ſit eiusdem precii, in qua ſibi retineat vſumfruct. vel ad vitam, vel ad certum tempus; quo finito, vtriusque prædii plena proprietas ad Eccleſiam reuertitur. Vide hac de re *c.* 14. *libro tertio Decretal. Item c. precariæ.* 10. *quæſt.* 11. Vides, quàm vtilis & quæſtuoſus fuerit Eccleſiis hic contractus, videlicet ex quo pro vno prædio, cuius vſusfruct. aliquamdiu alteri eſt conceſſus, receperunt duo. Vnde non mirum eſt tantopere creuiſſe opes Eccleſiaſticas: quamuis illius opulentiæ plures ſint cauſæ, de quibus alibi. Vide *Cuiaci ad l.* 9. *lib.* 1. *& ad d.t. C. de iure emphyteut.*

10. D. *Videor mihi etiã in iure ciuili quippiam non abſimile legiſſe & de conſtituto, quod poſſeſſorium vocant, & de retentione vſusfr. facta à donatore.*

M. Recte dicis: nam de eo qui conſtituit alieno nomine poſſidere, habes in *l.* 18. *quod meo, D. de acquir. poſſ.* De retentione vſusfr. in *l. quisquis* 28. *C. de donation.* Nam vtroque modo quaſi per traditionem quandam fictam, translatio fit poſſeſſionis. Sed

neq; hoc eſt abſimile quod ſępè debitores pignore creditoribus ſuis conſtituto in aliqua re precariam eius rei poſſeſſionem impetrant ab iiſdem. *l. 6. & 10. D. de precar.* Iam quæ ſint inter feudum & precariam differentiæ, non expectas credo, vt pluribus exponam. Sunt enim nimis quàm euidentes.

11. *D. Intelligo. Nam in precaria nulla fidelitas iuratur: nec præſtantur opera aut ſeruitia militaria, vt fit in feudo: item qui precariam habet, eſt quaſi vſufructuarius quidã: At vaſallus plenius ac pinguius habet Ius. Deniq; aliis modus finitur precaria quam feudum, &c.*

M. Rectè accipis: Nec dubito quin iam etiam noueris diſcernere inter precarium iuris ciuilis & precarias illas, quarum in iure canonico fit mentio.

12. *D. Precarium Iuris Ciuilis reuocari poteſt ad nutum eius qui conceſſit, quandocunq; ipſi placuit.* l. 1. l. 12. & l. 15. D. de precario. *Precaria vero ſic reuocari nõ poteſt: ſed cogitur quis expectare donec finita ſit precaria vel morte vel temporis lapſu.*

M. Ita eſt, vt dicis. Adde autem & hoc precarium Iuris Ciuilis non tantum in prædiis conſiſtere, vt precariæ Iuris Canonici, ſed etiam in rebus mobilibus.

13. *D. Donatio à feudo, in quo differt?*

M. Eſt quidem & feudum libera & gratuita ac beneuola quædam conceſſio: Vnde & beneficium paſſim appellatur, & vaſallus beneficiarius ſiue beneficiatus & inbeneficiatus: Et ſicut à donatario ob crimen ingrati animi & iniuriam in donatorem reuocari poteſt donatio; ita & feudum à vaſallo ob commiſſam in dominum feloniam. Poteſt etiam donator conueniri iudicio ad rem quam donauit nec dum tradidit, tradendam, vt dictum ad §. *alia, verſ. & ad exemplum, Inſtit. de donat. l. quis argentum. 35. Cod. de donation.* quomodo dominus qui promiſit alicui feudum, poteſt cogi ad tradendum vt infra audies. Sed non ideò putandum, feudum eſſe ſpeciem donationis. Imò longè differunt. Nam Donatarius non obligatur donatori ad præſtandam fidelitatem & officia: ſicut vaſallus domino: non enim poteſt iudicio cõueniri ad præſtanda ἀντίδωρα. Quãuis. n. hæc dicatur obligatio naturalis in

l. 25.

l.25.§.conſuluit,D.de petit.hered. tamen nimis eſt imbecillis quàm vt producat actionem: ex quo illud fluxit quaſi prouerbiale: Donare non eſſe adminiſtrare, ſed perdere, *l.7.D.de donat.* propius igitur feudum accedit ad naturam contractus & negotii, à quo donatio ſeparatur, *l.Ariſto.18. D.de donation.*

14. D. *Quales ſunt, quas ſuprà dicebas, poſſeſſiones veterum Romanorum?*

M. Ita vocabant prædia quædam, quæ tantum iure poſſeſſionis & vſus non proprietatis tenebantur: qualè ferè erat Ius prædiorum prouincialium, quæ vel tributaria erant vel ſtipendiaria. Horum dominium erat publicum populi Romani; ad prouinciales verò tantùm vſus & poſſeſſio pertinebat, & quidem in perpetuum, ſub eâ lege, vt hoc nomine tributum inferrēt aut ſtipendium populo Romano. Vide hac de re *Bar. Briſſon. libr. 3. Antiquit. iur. & Feſtum in verbo poſſeſſiones: Vide etiam l.quæſtio.115.D.de V.S.* Harum ergò poſſeſſionum quænam ſint à feudo differentiæ, cuilibet per ſe patet: Quamuis Hotom.putet feuda nō incommodè etiam *poſſeſſiones* dici poſſe.

15. D. *Quale eſt ius protectionis, quod item aiebas cum feudorum iure cognationem habere?*

M. Eſt ius moribus receptum, quādo ſcilicet princeps aut comes aliquis fit protector ſiue aduocatus & patronus alicuius ciuitatis aut monaſterii, vel etiam vna ciuitas potentior alterius imbecillioris defenſionem protectionemque ſuſcipit, de quo iure vide *c. præcepimus, ext.de priuilegiis, & in Decreto Gratiani, c.22. quæſt.2.3.& 4.Hieronymum Schurpfium cent.3. conſil.23. Andr.Gail.lib.2.obſ.24.Bodin.1.de republ. cap. 7. Petrum Gregorium lib.11.de repub. Oldendorpium in tabulâ actionum ſubiecta claſſibus, in verbo feudum.* Fuit hic mos etiam olim apud Rom.receptus, vt potentes familiæ, vel etiam ſinguli ciues, vrbium, inſularum vel etiam regnorum patrocinia ſuſciperent, V.g. Marcelli patroni fuerunt Syracuſanorū, Antonii Bononienſium: alii aliorum. Sic *Cic. libr. 15. Epiſt. ad famili.* Cyprum inſulam & Cappadociæ regnum duas maximas clientelas Catonis vocat. Sed differentias inter hæc duo

iura, *protectionis* ſcil. & *feudi*, facilè intelligis. Non enim eadem debet ciuitas vel monaſterium protectori ſuo, cuius in fidem & tutelam ſe contulit, quæ vaſallus domino debet, neq; prædia inquam à protectore ſuo accipiunt, neq; fidelitatem ipſi iurant: qua de re pluribus explicat *Bodin.d.c.7.&c.*

16. D. *Superficiarium ius quale eſt, & quomodo à feudis ſeparandum?*

M. Superficiem ſolo cedere audiuiſti in §. *cum in ſuo ſolo. Inſt. de rer. diuiſ.* ſuperficiarium verò appellamus eum, qui in alieno ſolo domum aut villam extructam habet, vel emptam vel conductam certa penſione domino præſtandâ: cui prætor & interdictum pollicetur ſimile interdicto vti poſſidetis & in rem actionem, *l.73. cum 2. ſeqq. D. de R. V. l. 1. & toto tit. D. de ſuperfici.* Ex quo intelligis, ſuperficiarium plenius habere ius, quàm inquilinum aut colonum: his enim nullum ius in rem tribuit conductio, vnde nec in rem actionem habent, ſed in perſonam duntaxat, vt ad *tit. Inſt. de locat. & conduct.* expoſitum eſt. Vnde & prædia ſuperficiaria in bonis alicuius connumerari dicuntur in *l.49. D. de V.S.* cum prædia conducta non in conductoris, ſed in locatoris ſint bonis numeranda. Sed à feudis differt ſuperficies, 1. Quod feudum ſit ius quoddam militare: ſuperficies paganicum. 2. Quod feuda conſtituantur donatione: Superficies ferè per locationem aut emptionem, *d.l.1. D. de ſuperfici.* 3. In feudis præſtatur hominium & fidelitas; in ſuperficie non item. 4. Ex aliis cauſis finiuntur & amittuntur feuda quàm ſuperficies.

17. D. *Beneficia Eccleſiaſtica quomodo à feudis differunt?*

M. Quamuis feudum aliquod ſit Eccleſiaſticũ, quod opponi ſolet ſeculari ſeu laico, vt infra cognoſces in diuiſionibus feudi, quamuis item feudũ *ſæpe dicatur beneficium*: tamen caue ne hæc confundas. Aliquod feudum eſt Eccleſiaſticum & poteſt dici *beneficium Eccleſiaſticum*: ſed non omne beneficium Eccleſiaſticum pro feudo eſt habendum. Dantur beneficia Eccleſiaſtica clericis ab Epiſcopo vt Eccleſiæ inſeruiant: ſed Clerici tale hominium non præſtant nec Eccleſiæ nec Epiſcopo, qualę vaſallus ſuo ſeniori. Immò clericus non po-

teſt

teſt militare ſeculo, cum militet Deo, vt ſæpè in iure Canonico relatum eſt ex Paulo Apoſtolo 2. *Timot.* 2. *v.*4. Feuda verò ſunt militaria. Beneficiorum illorũ Eccleſiaſticorum (quæ & *præbenda* & *prabenda* vocantur) creberrima eſt mentio in iure Pontificio, & extant de his pulcherrimi libri 7. à Franc. Duareno conſcripti.

18. D. *Audiui ſæpè de iure* Maioratus, *quod maximè apud Hiſpanos ſit receptum, habetne hoc etiam aliquid commune cum feudis?*

M. Ius maioratus in eo ſimile eſt feudo, quod ſicut hoc potius ad maſculos quàm ad fœminas pertinet, ita & illud. Sed pro maioratu nõ præſtatur Homagium vt pro feudo. Cũ autẽ hoc iure non vtamur, non eſt quod hîc diutiꝰ in explicatione eius immoremur. Videre potes prolixè de eo diſſerentẽ *Didac. Couar. li.* 3. *var. reſol. c.* 5. *&* 6. Eſt autẽ maioratus ferè ſimilis iuri primogeniorũ, de quo tractatus extat *Andr. Tiraq.* vnde & Couarruuias maioratũ vocat *ius primogeniorũ lib.* 1. *var. c.* 15. *n. vlt.* vbi diſputat de fructib. eius anni quo poſſeſſor maioratus mortuus eſt nondũ perceptis fructib. ad quem illi pertineant.

19. D. *Audiui affinia feudo; cui cum ſoleat opponi allodium, quid de eo ſentiendum eſt?*

M. Allodium Budæus in *Annot.* II. *& Ioh. Oldendorp. in claſſ. action.* aliiq; hos ſecuti, dictum volunt quaſi *Alaudium*, videlicet à *laudando*, quod is, qui tale prędium liberũ, & vt veteres dicebant, optimo iure tenet, neminẽ cogatur eius auctorẽ laudare, ſiue patronũ ac dominũ recognoſcere. Hoc enim eſt *Allode* ſeu *Allodium*, cuiusq; propriũ patrimoniũ, ſiue bona eiuſmodi, quibus nemini obnoxii ſumus, nemini gratiã debemus, quorũ nomine immunes ſumus. Sed hanc Etymologiam rectè repræhendit *Hotom. in Lexico feud. pag.* 632. & aliam refert ex Beato Rhenano, qui allodium dictum putat à Germanico verbo Anlöden, quod eſt conferruminare, conglutinare ſeu coagmentare: quia ſcil. bona allodialia ita ſint coniuncta & cohęrentia familiæ, vt auelli ab ea nequeant, quaſi inſeparabilia: Cum feuda facilè & variis ex cauſis amittantur, ſicut infra ſuo loco audies. *Bonif. Amerb. in comment. ad ll. Caroli M. c.* 7. deriuat à Germanico All/ q. quod totum pleno iure teneatur.

20. D. *Sed quid ſi res ſit dubia, ſitne prædium aliquod allodiale an feudale, vtrum potius præſumetur?*

M. Potius præſumitur allodium, quàm feudū: quia vnaquęque res libera cenſetur donec probetur ſerua, *l.8.& ibi gl. in verbo: prohibetur, C. de ſeruitut. & aqua. Pet. Gregor. Syntagm. Iuris vniuerſ. lib. 6. cap. 1. num. 12. in fin.* (vbi in prioribus numeris etiam docet, *Allodium* cum *Libello* & *Cambio* malè atque imperitè confundi.) Vnde etiam feudum non continetur appellatione bonorum, vt latè probat *Tiraquellus lib. 1. de retractu, §. 1. gl. 3. n. 10. & 13.*

Capvt III.

Notæ ſeu proprietates feudi. Definitio Feudi, eiuſque explicatio. Quæſtiones aliquot circa Definitionem moueri ſolitæ: maximeque de genere. Feudum ſitne contractus, an non ſit.

1. D. *Poſteaquam igitur me docuiſti feudum ab aliis vicinis negotiis diſtinguere, itemque quid de allodio ſentiendum ſit: velim mihi definitionem feudi tradas?*

M. Fiet hoc, vbi prius & notas quaſdam ſeu proprietates feudi à plerisque interpretib. obſeruatas tibi indicauero, & feudi homonymiam diſtinxero.

2. D. *Quas igitur volunt eſſe feudi notas & proprietates?*

M. Has ferè ſex: 1. Vt feudum ſit gratuitum & ex beneuolentia domini erga vaſallum profectum: Intellige, quoad initium & ad id, quod plerunque fit. Nam quin feudum etiam pecuniâ comparari poſſit, nihil prohibet, vt infra audies: ſicut mādatum non ob id deſinit gratuitum eſſe quod ſalarium interuenerit, *l. 6. D. mand. §. vlt. Inſtit. de mandat.* Sicut nec commodatum gratuitum eſſe deſinit, etiamſi remuneratio pro vſu accedat, dummodo ne ſit merces: vt audiuiſti ad §. *Item is cui, inf. Inſt. quib. modis re contrahitur obligatio.* Nec obſtat quod dominus cogi poteſt, vt feudum promiſſum vaſallo iam abuſiue inueſtito tradat: Quod item heredi vaſalli inueſtituram iuſto tempore petenti denegare non poteſt. Nam, vt dixi, initium

cium inſpiciendum eſt,&id quod in re eſt potiſſimum. Sæpè autem in aliis quoq; contractibus,quæ ab initio erant voluntatis,poſtea fiunt neceſſitatis. *arg. l. 5. C.de action. & obligat.* II. nota eſt, vt conſiſtat feudum in prędio,ſeu re immobili,vel certè ęquipollenti. III. Vt eius rei dominium directum quidem maneat penes Seniorem. IV. Vt dominium vtile transeat ad Vaſallum. V. Vt feudi ſucceſſio tantùm ad mares pertineat, non ad fœminas. VI. Vt Vaſallus domino præſtet fidelitatem & ſeruitia,& quidem regulariter per ſemetipſum,non per ſubſtitutum. De his Notis videre potes & *Franciſc.Curtium & alios.P.Gregor. lib. 6. c. 2. addit & 7.* vt ſponte,non coacte datum ſit feudum Sed hoc ſatis includitur in I. Nota. Nā quod gratuitum eſt,idem & ſpontaneum.

3. D. *Intelligo notas feudorum. Nūc quæ ſit illa quam modò dicebas Homonymia feudi & quomodo explicanda, ſcire velim?*

M. Vere dictum eſt à Philoſophis: Homonyma nō poſſe definiri,niſi prius diſtincta fuerint varia ſignificata: Vt autem in iure noſtro alia quædam verba (vt, pignus, dos, Emphyteuſis) aliquando ſignificant contractum, aliquando rem ipſam ſuper quâ contractus fit,aliquando ius in rem: Sic &feudum tribus fere modis ſumitur. 1. Vt denotet ipſum prædiū ſeu rem feudalem. 2. Vt ſignificet conceſſionem eius rei factam alteri,ſiue contractum feudalem, ſeu negotium quod inter Seniorem & Vaſallum geritur. 3. Vt ſignificet ius ipſum per talem contractum in tali prædio & in perſonâ Vaſalli conſtitutum. Hæc enim duo maxime in feudis attendere debes. Vt ſit prædium alteri conceſſum, & vt is hoc nomine perſonam ſuam obligarit ad ſeruitia & officia domino præſtanda, quę obligatio dicitur & *hominium* & *homagium* & *fidelitas*: in qua ſubſtantia feudi conſiſtere dicitur. Prius, nempe prædii conceſſio,ſola non ſufficit ad feudum conſtituendum: alioquin & Emphyteuſis, & precaria, &alia negotia,in quibus prædium alicui datur,feuda forent: ſed oportet vt accedat & alterum, nempe *fidelitas & obligatio perſona* ad ſeruitia. Poſtremò illud quoque

hîc obſeruabis, aliter conſiderari feudum quoad vaſallum, aliter quoad perſonam ſenioris, aliter deniq; cõiunctim quoad vtrumq;: quod rectè obſeruauit Hotomanus. Cum igitur tam varia ſit notio & tam varius reſpectus feudi: non eſt mirum, ſi à diuerſis auctoribus diuerſimodè definitum reperitur. Alii namq; feudum in definitione eius conficienda ſpectarunt, vt rẽ ipſam ſeu prædium feudale, alii vt contractum ſuper re; alii deniq; vt ius inde natum conſiderarunt.

4. D. *Cupio ex te audire, non modo tuam, ſiue quam tu optimã putes, feudi definitionem, ſed etiam aliorum; placet enim ſecundum vetus prouerb. Purpuram iuxta purpuram ponere.*

M. Primum ſcias; non multum ad rem facere & nimis remotam eſſe generalem illam definitionem beneficii, quam ex Seneca *lib. 1. de benefic.* repetitam adfert Feudiſta *lib. 2. feud. tit. 23.* Beneficium, inquit, nihil aliud eſt, quàm beneuola actio, tribuens gaudium capientibus, capienſque tribuendo, in id quod facit prona & ſponte ſua parata. Cuius explicatio ex Ariſtotele petenda eſt, *libr. 4. Eth. c. 1.* Ideo tamen hanc ſummi generis definitionem ſibi afferendam putauit Obertus, quia *Feudum* ſæpiſſime beneficium appellatur. Subiicit deinde huic generali definitioni, ipſius Feudi tanquam ſpeciei, beneficii definitionem, nempe iſtam: *Feudum eſt beneficium illud, quod ex beneuolentia ita datur alicui, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiata penes dantem remaneat. Vſusfructus verò illius tranſeat ad accipientem, ita; vt ad eum hæredesvè ſuos maſculos ſiue fœminas, ſi de his nominatim dictum ſit, in perpetuum pertineat, ad hoc, vt ille & ſui hæredes fideliter domino inſeruiant, ſiue illud ſeruitium nominatim, quale eſſe debeat, ſit expreſſum, ſiue indeterminatè permiſſum.* Rotundius ibidem Cuiac. eandem definitionem ſic effert: Feudum, inquit, eſt beneficium, quod propenſo animo datur, ita, vt proprietas rei immobilis penes dantem remaneat; vſusfr. in accipientem perpetuo iure tranſeat, ſub onere fidei & ſeruitii certi incertive, plurimumque militiæ. Hanc definitionem Oberti communiter probant & ſequuntur Doctores. eam-

eámque explicat *Borcholt. c.1.in comment.de Feud.* Alii, vt Carolus Molinæus in *Conſuet. Pariſ.* veriorem & receptiorem eſſe teſtantur definitionem *Io.Reinaldi*, quæ talis eſt: Feudum eſt beneuola, libera & perpetua conceſſio rei immobilis vel æquipollentis cum translatione vtilis dominii, retenta proprietate, ſub fidelitate & exhibitione ſeruitiorum. Hãc definitionẽ & *Pet.Rebuff.* probat, & ſequitur *Zaſ.p.1.n.3. & Guil. Forn. de feud.c 3.* vbi eam diligenter explicat. Sed *Iul.Clar.in §.feudum.q.4.* veriſſimè ait, Neutram harum definitionum ſine difficultate tranſire: ſignificans, multa vtrique poſſe obiici, & quidem in priore multa, partim verò, vt videtur, nimio ſtudio contradicendi repræhendit *Hotom. tàm in diſp.Feud.c.4.quàm in comment. ad d. §.fin. tit. 23.* oſtendens, eam & defectu laborare, & ſuperfluitate; ſiue tum nimis latam eſſe; tum nimis anguſtam. Primùm non rectè ait omitti hîc *iura*; vt, Feuda dignitatum, Imperii, Regni, Ducatus, Marchiæ, Poteſtatum, vectigalium, quæ tamen non ſint res immobiles. Sed dicere poſſumus, partim hæc cohęrere immobilib. partim loco immobiliũ haberi. Vnde certè illa ab hac definitione minimè excluſa intelligi debet. Ergo ait, vitium eſſe vel maximum, quod hic prætermiſſa ſit ab Oberto omnis mentio Patrocinii, ſtudii, beneuolentię & fidei mutuæ, quam domin⁹ vaſallo debet: ſed nec eam excludit Obert⁹, imò ſub beneuolentiæ verbo cõprahendit, cum ait: quod ex beneuolentia ita datur, &c. Quamuis fatear, potuiſſe patrocinium illud vaſallo à domino debitũ etiam clariorib⁹ verbis in definitione exprimi. Ne hoc quidẽ concedendũ, quod ait Hotom. Definitionem Oberti conuenire etiam in eos agros & ea prædia, quę colonis adſcriptitiis attribuebantur, de quib. eſt *lib.11.C.* Imò, inquam, non conuenit: nam fidelitas facit diſcrimẽ inter illos agros colonorũ adſcriptitiorũ, & feudales vaſallorũ: Et hanc differẽtiã ſatis expreſſit Feudiſta illis verbis, vt fideliter domino ſeruiãt. Hęc nota nõ cadit in adſcriptitios Illud quoq; tanquã ſuperfluũ repręhẽdit Hoto. Quod in definitione feudi ſiat mẽtio *ſeruitii, vel definiti vel indefiniti*: cũ tamẽ feuda etiã ſine ſeruitiis, imò etiã ſine iureiurãdo fidelitatis cõ-

ſtitui & conſiſtere poſſint, §. *nulla libr. 2. feud. t. 3. & t. 16.* Sed ſufficit in definitione compræhendi id, quod plerumque fit, vt rectè ait *Cuiac. lib. 3. feud. tit.* 1. & probat ipſe Hotom. ita dicens excuſari poſſe Obertum. De proprietatis quoque retentione quod ait Feudiſta, quæ remaneat penes ſeniorem, id nō ſatis exploratum eſſe putat Hotom. quia, inquit, Vaſallus non tantum ſui iuris, ſed etiam ipſius prædii feudalis vindicandi & iudicio perſequendi defendendive poteſtatem habet, §. *Rei autem, lib. 2. feud. tit.* 8. Quod autem vſusfr. nomen ait nō ſatis conuenire feudatario, rectè iſte quidem & ex noſtro ſenſu: feudum enim non eſt Vſusfructus, vt & Zaſ. fatetur, *Conſ. 12. n. 29. lib.* 1. Et ſupra docui, quot in rebus differant hæc duo iura, & plures differentias licet petere ex *Hotom. cap.* 34. Interea tamen & Hotom. alibi vt *c.* 4. & *Cuiac.* aliique *Ius vtendi fruendi*, loco genere poſuerunt in definitione Feudi, quorum & nos imitari linguam poſſumus, dum modò hoc ſciamus, plurimum intereſſe inter vſumfr. propriè dictum, qui eſt ſeruitus perſonæ, & cum perſonā extinguitur, & à perſona diſcedere nō poteſt ſine ſui interitu, vt ait *l. 15. ff. fam. erciſc.* Cum feudum ſit ius in re immobili, & quidem etiam ad hæredes tranſitorium. Sic & legatum dicitur donatio quædam, cum tamen longè diſtet à donatione, §. 1. *Inſt. de legat. l. 36. ff. de leg. 2.*

Quod ad alteram definitionem attinet, non ſatis conuenienter Iuri Ciuili & mori loquendi elegantioribus Iuriſconſultis recepto dicitur Dominium aliud vtile, aliud directum, vt docuit *Duar. lib. 1. diſp. cap.* 17. Neque enim duo in ſolidum eiuſdem rei domini eſſe poſſunt, *l. 5. §. vlt. ff. commod. l. 3. §. ex contrario, ff. de acquir. poſſeſſ.* Et verò illa diſtinctio propria eſt actionum, quarum aliæ ſunt directæ, aliæ vtiles, §. *fin. in fine, Inſt. de l. Aquil. in verbis: neque directa neque vtilis, l. Aquilia actio. l. 47. §. 1. ff. de neg. geſt.* & plurimis aliis in locis, quanquam Hotom. hanc Scholaſticorum, vt ipſe vocat, Doctorum diſtinctionem excuſat, in *diſput. feudi c.* 23. velut non abhorrentem à conſuetudine etiam veterum Iuriſconſultorū in conciſionibus nominum,

num, licèt hanc diſtinctionem nominatim non vſurpârint. In foro quidem certè & in cõmuni vſu loquẽdi nihil crebrius audies, quam *Dominium directum, dominium vtile, dominus vtilis* & *Dominus directus.* Suaſerim autem, vt hîc quoq; (quod ſæpè aliàs faciendum) ſentias cũ paucis, loquare cum multis, alioquin odioſus atque inuiſus eris, omnibus, ſi verborum pugnam excitare velis, cum de re ipſa conſtat: verba. n. valent vſu, vt nummi, & vim omnẽ ab impoſitione hominum ſortiuntur. Rei autem cuiusq; natura & ſubſtãtia fixa certaq; eſt, nec ab opinione noſtra pendet, *arg. §. pen.* & ibi præclarè *Cuiac. in not. Inſt. de V. obl.* Quanquã etiam in nominum impoſitione ſtudendum, vt ſint nomina conſequẽtia rebus, *§. eſt & aliud, verſ. ſed nos, Inſt. de donat.* vt ſingulæ cauſſæ ſingulis appellationibus diſtinguantur, *§. hoc autem caſu, Inſt. quib. mod. teſt. infirm.* Et in hanc ſententiã Artemidorus quoq; loquitur in erudito opere de ſomniis interpretãdis. Audiiſti iam duas vulgares definitiones, & quid de vtraq; ſentiẽdum eſſe videatur. Duaren. definit, *Beneficium ſeu feudum eſſe rem immobilẽ, quæ fidei ſeu obſequii gratia certo modo fruenda alicui conceditur.* Cui cõſentit Baro, definiens feudum, quod ſit res ſoli fidelitatis nomine vtenda data retẽto dominio. Vterq; pinguius conſiderauit feudum pro re ipſa feudali, perinde vt Cic. in Top. hæreditatẽ definiuit pecuniã, quæ morte alicuius ad aliquẽ peruenit, & Seneca Hæreditatem, pro ipſis reb. quæ in hæreditate ſunt, accepit, *lib. 6. de benefic. c. 5.* Videtur autem Cuiacius nimis aſperè eos perſtringere, cum ait: Imperitos Philoſophiæ iuriſq; tantũ id ſpectare, quod traditur poſſideturq;, dum feudũ definiant rẽ eſſe immobilem: Omnia vocabula apud Iuriſperitos habere intellectũ Iuris: Multũ intereſſe inter rem, velut materiam feudi, & feudum ipſum, &c. quæ licèt vera ſint, tamen non eſt nouũ vt idẽ vocabulũ diuerſa habeat ſignificata, & varios vſus, vt ſupra quoq; dicebã de dote, pignore, emphyteuſi. Ipſe verò Cuiacius ſic definit in Prolegom. Quod *feudum ſit ius prædio alieno in perpetuũ vtendi fruendi; quod pro beneficio dominus dat, ea lege, vt qui accipit, ſibi fidẽ & militiæ munus, aliudve ſeruitiũ exhibeat,* cum

qua ferè congruit media definitio Hot. Qui ex parte vaſalli feudũ ait eſſe Ius vtendi fruendi re aliena (intellige, immobili vel æquipollente) ea lege, vt aliquod eo nomine obſequiũ, & gratię teſtificatio debeatur. Ex parte verò domini ſeu ſenioris idẽ Hotom. Feudũ definit beneficiũ, ea lege tributũ vaſallo, vt quodã obſequii genere agnoſcat ipſius auctorẽ. Coniunctim verò ex vtriusq; parte tã vaſalli quàm ſenioris, Feudum, ait eſſe clientelã militarẽ, ea lege contractã, vt cliens pro beneficio accepto militarẽ operam præbeat: viciſſimq; patronus ſnã illi fidẽ beneuolentiamq; præſtet: quam poſtremã clauſulã de mutua beneuoletia & fide ſenioris erga vaſallum nõ rectè ab aliis in definitione feudi prætermiſſam eſſe arguit. Sequitur eorũ definitio, qui feudum vt contractũ conſiderarunt, vt ſunt inprimis *Ludol. Schrader. & Weſenb.* Feudum, inquiunt, eſt cõtractus ciuilis, nominatus, ſtricti Iuris, in quo dominus vtile dominium rei immobilis vel ęquipollentis vaſallo eiusq; hæredib. maſculis inueſtitura interueniente concedit perpetuo & gratis, ea conditione, vt is ipſi & ad fidelitatem præſtandam & ad ſeruitia honeſta ac poſſibilia exhibenda obligetur.

5. D. *Atqui audiui cõtrouerſum hoc eſſe, An feudũ ſit contractus, & ſi ſit, an ſit nominatus, ac non potius innominatus; Item, an ſit ſtricti Iuris, ac non potius bonæ fidei: de quibus ſingulis velim ſcire, quid ſentiendum putes?*

M. Opportunè ſanè quęris. Mouit autẽ hanc quæſtionẽ *Fr. Hotom. obſeru. lib.* 1. *c.* 28. Vbi trib. vel quatuor rationib. (ſed vt mihi videtur leuiorib.) refutat vulgarẽ opinionẽ, quod feudum ſit *Cõtractus*. Cuiacius quoq;, quamuis aliis in reb. ſæpè grauiſſimè, nec minus quam olim à Sabinianis Proculiani, ab Hotom. ſoleat diſſentire, hic tamen cum eo conuenit; Ne dixeris, inquit, Feudum eſſe contractum; Ius eſt potius, quod per contractũ conſtituitur, dũ ſc. dominus id per Inueſtituram cedit: Et huiusmodi contractũ ſequitur traditio, & eſt ex eo contractu actio de Euictione, in dominũ, & aduerſus vaſallũ, condictio cauſſa dati, ſi fidẽ fallat, vel etiam præſcriptis verbis, ſi nolit dominus feudum reuocare. Nimirũ diſtinguit Cuiac. inter Inueſtituram feudalem,

dalẽ,ſiue ceſſionẽ ac dationẽ feudi;& feudũ ipſum: Et inueſtiturã quidẽ dicit eſſe cõtractũ; Hoc verò negat, & ius potius eſſe cõtendit per illum cõtractum conſtitutũ:Inueſtiturã inq̃ de nouo tantũ feudo,non etiã de veteri cõtractũ eſſe vult.Nã de veteri feudo tantum eſt ſimplex recognitio,quę fit gratuitò.Ita cẽſet *Cuiac.li. 2.feud.t.*4.Sed rationes Hotom.videam⁹,ſintne ſatis idoneę,ob quas à cõmuni opinione recedam⁹.Primùm ait:Pactiones publicæ diſtinguũtur à cõtractib. *l.5.ff. de pact.*Atqui feuda multa ſunt regalia,i.publica,vt q̃ à principib. conferuntur. E. feuda ſunt potius publicæ conuẽtiones & pactiones q̃ contractus. Sed reſp. Nõ quicquid à principe ſeu perſonâ publicâ geritur, ſtatim publica cõuentio dicendum eſt, cum & principes priuatos cõtract⁹ celebrare poſſint: ſed ea demũ publica eſt pactio ſeu cõuentio,Vlpiano finitore, quę per pacẽ fit,cum duces belli inter ſe quędã paciſcuntur. 2. Ait Hotom.*Contractus ſunt de re priuata & familiari,quaq́; in commercio eſt, & æſtimationem recipit. At feudum non eſt de re priuata, & quæ in commercio ſit. E. Feudũ non eſt contractus.* Maior certa eſt ex *l. 7. §. ſi paciſcar, & l. 38.ff.de pact.l.83.§.ſacramẽtũ.ff.de V.O.§.Itẽ iuris, Inſt. de inut.ſtip.l.6. & l.70.ff.de contr.empt.* Minor probatur, quia feudum & clientela potiſſimum inſtituta eſt ad ſalutem,caput & vitam ſenioris & vaſalli, quæ ſunt res inæſtimabiles & commercio exemptæ,nec priuatę ſed publicæ; vnde & nemo dicitur dominus membrorum ſuorũ,ſed vnusquiſq; eſt Reip. cui⁹ ciuis eſt.Sed reſpõdendum puto,in feudis nõ agi de vita, capite & ſalute hominis, ſed iis de reb. quarum eſt æſtimatio & commercium, vt ex parte ſenioris quidem datur prædium ſeu res ſoli; ex parte vaſalli verò promittuntur & præſtantur operæ quędam, ſiue militares ſiue aliæ. Operæ aũt etiã liberi hominis poteſt eſſe in cõmercio. Nam vt ait *Paul. lib. 2. ſent. tit.* 18. Homo liber qui ſtatum ſuum in poteſtate habet & peiorare eum & meliorare poteſt, atque ideo operas ſuas diurnas nocturnasque locat. Operæ.n. hominis pecuniariter ęſtimantur,*l.6.ff.de act.empt.l.6.de operis liber.l.3.ff. de vſufr. leg.* Vnde & pater, quamuis filium ſuum non poſſit

vendere, tamen operas eius locare poteſt, teſte eodem *Paul.5.ſent.t.1.* Et an nō etiã facta locãtur? an nō in ſtipulationẽ deduci poſſunt? *l.5.§.5.ff. de præſcript. verb. §. vlt. Inſt. de V. ob. §. ſed cũ facta, Inſt. de ſtip. ſeru. l. 2. in princ. & l.75.§. qui id quod in faciendo, ff. de V. O.* Factum autem quoddam eſt, comitari dominũ in militiam: Factum quoddã eſt, ipſius vitam ac ſalutẽ defendere & ſimilia præſtare, ad quæ vaſallus tenetur. 3. Hotomani ratio hæc eſt: Contractus fiunt lucri & negotiationis gratia, *per l.25.§.1.ff. de ob. & A.* Hoc autẽ à natura feudi abhorret. Feudum.n. eſt beneficiũ & à liberalitate & beneuolentia domini proficiſcitur, vt eſt *lib.1.feud.t.27.* Feudum igitur contractus non eſt. Reſp. primum ad Maiorem: Quamuis cõtractus dicãtur lucri cauſſa fieri; tamen nõ ita hoc accipiendũ, quaſi nulli ſint gratuiti. Nam certè ſunt quidã tales, vt meminiſti ex *Inſt. de cõmodato, de depoſito, de Mandato,* &c. Paulus quoq; elegãter ait: Cõmodatum ab initio eſſe beneficii & nudæ volũtatis, *l.17.§. ſicut, ff. Cõmodati.* Cõmodatũ verò eſſe cõtractũ nemo vnquam dubitauit. Ergo nihil impedit, quò minus vnum idemq; negociũ ſimul & beneficium ſit & contractus. Lucrũ autẽ in illo Vlpiani dicto ſignificat quoduis cõmodũ, non tãtùm illud quod captant illi, qui, vt ait *Cic. in Offic.* ad mediũ Ianum ſedent, quiq; omnia ad ſuũ quæſtum referunt. Iam feudum vtriusq; cõmodum cõtinere certũ eſt: vaſalli quidẽ, quia commodum eſt & lucroſum, habere prædium feudale, ex cuius fructib. ſe & ſuos honeſte alat, & cuius nomine mutuã fidẽ beneuolentiamq; à domino expectet; ſenioris verò, vt habeat, qui fidelitatẽ ipſi exhibeat, qui eius vitam exiſtimationẽq; tueatur. Hæc dignitas, hæ vires magno ſemper electorũ iuuenum globo circumdari: in pace decus, in bello præſidium, vt verba Taciti de comitib. Germanorũ huc accõmodẽ ad negotium feudatarium. Ex quib. apparet, Feudum, etiam illud quod proprium eſt, nõ ob id eſſe ex numero contractuũ excludendum, quamuis ſit beneficiũ, & quamuis à liberalitate beneuolẽtiaq; domini proficiſcatur, id eſt, licet proprium ſit feudum, vt dixi. Non.n. ita abſoluta & ſimplex hîc eſt liberalitas, ſicut in donatione meri,

mera, vt nihil vaſallus ſeniori ſuo hoc nomine præſtare debeat;ſed debet ei fidelitatem,debet officia militaria,aut alia honeſta;quæ niſi præſtet, poterit eum dominus vel priuare feudo,vel etiam actione præſcriptis verbis cõuenire quaſi ex cõtractu:*Do vt facias*, qua de re infra ſuo loco. De feudo Emptitio minus eſt dubitãdũ,quin ſit cõtractus. 4. Poſtremo inquit Hotom. Cõtractus nõ poteſt diſſolui ſine vtriusq; volũtate. At feudũ poteſt etiã ab vno diſſolui altero inuito.E.feudũ non eſt cõtractus.Maior probatur ex *l.5.C.de O. & A.* Quia cõtractus ab initio ſunt voluntarii, poſtea vero neceſſarii. Minor probatur: Quia vaſallus poteſt feudum quandocunq; cõmodum ſit,refutare,id eſt,renũciare, remittere & reſtituere ſeniori etiã inuito, vt eſt *lib.2.feud.t.38.* Reſp. Maiorẽ nõ eſſe vniuerſaliter neq; perpetuò verã in omnib.contractib.quod etiã Accurſ. docet in *d.l.5.C.de O. & A.* Vt ecce, Precariũ eſt cõtractus,*l.23.de R.I.*& tamẽ vnus etiam altero inuito hunc cõtractum diſſoluere poteſt.Is,inquã,qui cõceſſit precarium,poteſt id quandocunq; vult,reuocare,vt & ſupra dixi.Sic ſocietasdiſſolui poteſt renũciatione etiam ab vno facta plurib.quantũlibet inuitis, vt *d.ad* §. *manet autẽ,Inſt.de ſoc.*Nemo.n.inuitus in cõmunioneſtare cogitur,ſed ab ea recedere cuilibet integrũ eſt.Mandatum quoq; nõ ſolum ex parte mandantis extinguitur reuocatione, ſed etiã renunciatione ex parte mãdatarii, dũmodo id ſiat tẽpeſtiuè & re integra, vt dixi ad §. *rectè,et* §. *Mãdatũ,Inſt.de Mand.*&c.His rationib.*Gipha.* adiungit & alias.Nam & ipſe cum Hot. in eadẽ eſt hæreſi, & feudum cõuentionem quidẽ eſſe concedit, ſed cõtractum eſſe negat.Cõtractus, inquit, ſunt tantùm priuatorũ At feudũ ſæpè in regnis & principatib. verſatur,quæ ſunt Iuris publici. Sic.n. definitur Ius publicum:Quod ad ſtatum rei Romanę ſpectat, quod in ſacris,Sacerdotib.Magiſtratib.conſiſtat,*§.fin.Inſt.de iuſt. & iur.& l.1.§.huius ſtudii, ff.e.* Puto reſpõdendũ eſſe: Cõtractus quoſdam etiã eſſe publicos,*per l.6.C.de his qui ad Eccleſiã cõfug.Paul.lib.5.ſent.t.25.in verbis:eas tabulas quæ publici vel priuati contractus ſcripturã cõtinent.* Nec deſunt exempla, vbi etiam regna, ducatus & Co-

mitatus venditi aut oppignorati aut permutati ſunt. Deinde nõ omnia feuda ſunt in regnis & principatib. Multa .n. etiã in priuatis prædiis conſiſtunt. Cætera ipſius argumẽta ferè ſunt eadẽ cum rationibus Hotom. ideoq; eædẽ illis reſpõſiones accõmodandę ſunt. Quę cum ita ſint, nihil cauſſę eſſe videtur, cur à communi & inueterata opinione recedamus, & feudum negemus contractib. annumerandum? Oritur. n. ex feudo inter dom. & vaſall. vltrò citroq; obligatio, quomodo contractum definiebat Labeo, in *l. 19. ff. de V. S.* teſte Vlp. Oritur etiã inde Actio vt ex iã dictis intelligere potuiſti, & magis liquebit inferius. Vide etiã de hac controuerſia *And. Fachin. lib. 7. c. 1.* Zaſi⁹ quoq; annotat, Feudũ eſſe contractũ, *p. 7. n. 58.* Et quid multis opus? cũ diſertum habeamus text. qui feudum contractib. annumerat. *lib. 4. Feud. t. 87. in edit. Cuiac. In beneficiis* (inquit) *vt in ceteris contractib. praſcriptiones currere, ſatis humanum & rationi congruum videtur.*

6. D. *Cum igitur iam euiceris, Feudum eſſe contractũ: proximum eſt, vt oſtendas, ſitne contractus nominatus, an innominatus?*

M. Ita quidem vulgò contractus diuidunt; ſed veteres ICti alios faciunt certos, alios incertos, de quibus explicatur ad *l. 7. §. 1. ff. de pact. & ad l. 1. ff. de praſcript. verb.* Feudum autẽ eſſe contractum nominatum communiter placuit, teſte *Iul. Claro in §. feudũ. q. 6. n. 1.* Idque pluribus autoritatibus probat *Schraderus c. 2. tract. feud p. 1. n. 3. &* W*eſemb. c. 1. n. 7.*

7. D. *Quid refert ſcire, an feudum ſit contractus nominatus, an innominatus?*

M. Vtilis eſt hæc quæſtio ad hoc, vt ſciamus vtrum hîc locũ habeat pœnitẽtia, nec ne: Eſt enim pro regula traditum. In contractib. innominatis locum eſſe pœnitentiæ; in contractib. nominatis non item.

8. D. *Sed eſtne feudũ cõtractus ſtricti iuris, an bonæ fidei?*

M. In iure noſtro Actionum potius eſt hæc diuiſio quàm contractuum, vt audiuiſti ad *§. Actionum. Inſt. de action.* Vulgò tamen Interpretes etiã contractus hoc modo diuiſerũt; quia ſc. effectus arguat ſuam cauſam, & qualis eſt cauſa, talis etiam ſit effectus: & cõtra, quæ

tamen

tamen regulæ interdum fallunt. Hotom. quidem *d.c.* 28.*lib.*5.*obſ.* ait: Hanc quæſtionem planè abſurdã eſſe, vtrum feudum ſit bonæ fidei contractus, an ſtricti iuris; Quoniam illa diſputatio in iis demum iudiciis habeat locum, quę ordinaria erant, & formulam à prętore præſcriptam habebant iudici pedaneo, in qua formula ſi adderetur: *ex fide bona*, actio erat bonæ fidei: ſi in ea clauſula omitteretur; *ſtricti iuris* erat. Cauſę autẽ feudales, inquit, ſolẽt agi & diſceptari apud pares curiæ, vt *lib.*1.*feud.t.*10. *& lib.* 2. *t.* 22 & aliis locis. Pleriq; tamẽ omnes Interpretes Feudũ faciunt cõtractũ ſtricti iuris, teſte *Iul. Claro d.q.*6.*n.*2. quia inquiũt, *Feudũ eſt ex conſuetudine introductum; Conſuetudo autẽ ſtricti iuris eſt.* Quod argumentum nõ benè concludere videtur. Aluarottus etiã hac ratione nititur, quia feudum non enumeretur in §. *actionum, Inſt. de act.* Quod ſane fatuum eſt. Quomodo enim ibi nominari potuit feudum, quod nondum fuit in rerum natura? Excipiunt feuda à Principibus conceſſa. Nam hæc volunt eſſe bonæ fidei, autore *Baldo in tit. de pace Conſtant. Zaſ. p.* 1.*num.*6. Sed eam exceptionem reiicit *Weſenb.* quia etiam Princeps in contractibus iure priuatorum vtatur, *Iaſ. ad l.*1.*ff. de pact. argumento l. donationes, C. de don. int. vir. & vx.* Oldendorpius autẽ in *Claſſ.* 4.*t. de Acti. beneſic.* vult: Feudum indiſtinctè eſſe contractum bonæ fidei. *Quis*, inquit, *contractus erit bonæ fidei, ſi hunc non ſinant eſſe talem, qui de eo pueriliter rixantur.* Et certè pro hac ſententia videtur facere, quod Feudi ſubſtantia ipſa ſit poſita in fidelitate, à qua & nomen acceperit, ſecundum quoſdam vt *ſupra d. in Etymologiis Feudi.*

CAPVT IV.

Diuiſiones Feudorum præcipuæ.

1. D. *Teneo iam quid ſit Feudũ: Item, an rectè dicatur Contractus nec ne; Et ſi ſit contractus, qualis ſit, nominatus an innominatus; bonæ fidei, an ſtricti iuris. Nunc quotuplex Feudum ſit, ſcire velim.*

M. Vt definitiones feudi à variis variæ afferuntur:

ſic& in diuiſionib.eiuſdẽ multò magis diſcrepãt Interpret. Alii 20. afferunt, alii 10. alii 9. alii 8. alii 7. alii 5. alii 4. Petrus Rebuffus non dubitat affirmare, totidem eſſe Feudorum genera, quot ſunt Qualitates perſonarũ & modi dandi. Ita ille in declaratione arboris Feudalis; ſed hoc nõ facilè cõcedendum. Neq; .n. quæuis noua & aduentitia Qualitas ſtatim nouam ſpeciẽ conſtituit: quod etiã Zaſ. veriſſimè admonuit in *Tractatu ſuo. p. 2.* vbi & hanc tradit regulam: *Magis & minus non facere diuerſas ſpecies.* Quidam non incõmodè (vt videtur) Feudorum diuiſionem in duo ſumma genera diducunt, vt aliud ſit *Rectum*, ſeu *proprium*; Aliud *non rectum*, ſeu *Improprium*, quod *Feudaſtrum*, cum Hotomano vocare poſſumus, quaſi quod degeneret à propria Feudi natura: ſicut ab olea oleaſter, a filio filiaſter dicitur. Ad hæc ſumma duo genera poſtea quaſcunq; ſpecies feudi referunt. Ita *Duarenus, Schrader. VVeſenb.* & alii. Ac de feudis degenerantib. à natura recti feudi diligenter explicat *Zaſ. tota p. vlt. ſua Epitomes.* Quamuis dici poſſet, hanc non eſſe veram diuiſionem, ſicut neque teſtamẽti vera eſt diuiſio, qua aliud iuſtum, aliud iniuſtum dicitur: cum hoc non niſi ὁμωνύμως ſit teſtamentum, *arg. l. 2. §. 1. D. de iniuſt. rupt. ir. fact. teſt.* Sed pręcipua feudorũ genera breuiter recẽſebo & deſcribam. Primum itaq; ſicut hominum alii ſunt Eccleſiaſtici alii Laici, ſiue, vt Iſidorus vocat, *populares*, ſiue, vt alii, *Seculares*: (quæ quidẽ antiquiſſima eſt Chriſtianorum diuiſio, vt cõſtat ex Chryſoſtomo & B. Hieron. (cuius verba referũtur in Iur. Canon.) aliiſque patrib. vt notauit *Cuiac. ad t. 1. lib. 1. Feud.*) ita & Feudũ aliud eſt Eccleſiaſticũ, aliud Laicum, ſiue Seculare. *d t. 1. lib. 1. F. & t. de cler. qui inu. ſec. & t. Epiſc. vel Abb. feud. dare poſſe. c. 6. & 7. ext. De for. compet.*

2. D. *Quid vocas Feudum Eccleſiaſticum?*

M. Quod vel ab Eccleſia datur, vel ab ea recipitur: vel quod a Clerico de bonis Eccleſiæ datur aut recipitur. Ita *Zaſ. d. p. 2. in 5. diu.* Meminit feudorũ Eccleſiaſticorũ & Papa Innocẽt. III. in *c. 7. Quæ in Eccleſiarũ, ext. De cõſtit.* vbi vẽditiones huiuſmodi feudorũ pręiudiciũ ſine legitimo Eccleſiaſticarũ perſonarum aſſenſu fieri prohi-

prohibet. De cauſis autem ad Eccleſiaſticum feudum pertinentib. cognoſcet Epiſcopus tanquam dominus feudi.*c.7. verùm,extra.De foro compet.& ibi Cuiac.*

3. D. *Quid ſeculare Feudum?*

M. Feudum quod à ſecularib. ſeu Laicis datur & accipitur. Nam Laica beneficia tantum à Laicis hominibus, non etiam ab Eccleſiaſticis poſſideri poſſunt, niſi Feudum ſit paternum,vt docet *Ant.Cont.in methodo Feud.c.3.*

4. D. *Dic aliam diuiſionem?* 12

M.Feudum vel eſt Regale vel non Regale.

5.D.*Quid vocas Feudum Regale?*

M. Quidam aiunt hoc eſſe Regale, quod Rex vel Imperator vel ſummus princeps alicui contulerit, *argumento t. Quis dicatur Dux vel Marchio. &c.* Et ita *Iul. Clar. in d.§.feudum,quæſt.* 10. Sed hoc diſplicet Baroni & Contio: Qui hoc potius Regale feudum eſſe volunt, cui dignitas quædam regia accedit, *Ius cudendæ monetæ*, &c. De quibus videri poteſt *cap. vn. t. quæ ſint Regalia.* Huiuſmodi feuda ſunt,Ducatus,Comitatus,Marchiæ, quæ vocantur etiam *feuda dignitatum d. loco.* Giphanius quoque pro eodem accipit *Feudum Regale* & *Feudum cum dignitate*;Item,*Feudum non Regale*, & *Feudum ſine dignitate.*

6. D. *Quid potiſſimum inter hæc duo genera intereſſe dicis?*

M.Feudum Regale eſt indiuiduum, ſiue, non poteſt in partes ſcindi inter plures cohæredes, obſtante videlicet prohibitione Friderici I. *t. de prohib. feud. alienat. per Fridericum.§.& firmiter, verſ.preterea.* Alia verò non regalia feuda,vt Media & Infima,diuidua ſunt,hoc eſt, inter plures coheredes diuidi poſſunt.

7.D.*Quæ eſt huius differentiæ ratio?*

M. Maiora illa feuda, quæ *Regalia* vocamus,idcircò placuit eſſe indiuidua, quia ipſorum diuiſio noceret Reip.cui, vt ait Homerus, *multos imperitare malum eſt, Rex vnicus eſto*, quam ſententiam & Ariſtoteles & alii Politici laudant. Nihil enim eſt tam impatiens conſortii quàm imperium & regnum.Et,ſi inter priuatos cõmunio parit diſcordiam & rixas,*l.77.cum pater,§. dul-*

ciſſimis. D. de leg.2. multò magis inter eos qui in regno ſunt conſortes, hoc eueniet. Deinde illa diuiſio vires Imperii diminueret. Diuiſio enim (vt vulgò quoq; aiunt) rem attenuat & multi fratres depauperant Monaſterium. Præſtare igitur viſum eſt in huiuſmodi feudis, vt vnus, & quidem primogenitus, dum modo non ſit ineptus gubernationi, indiuiſum retineat Principatum: Quod etiam in plerisq; Germaniæ principib. obſeruatur. Hæc incommoda & pericula, quia ceſſant in minorum & non Regalium feudorum diuiſione, meritò etiam ibidem ceſſat prohibitio: argumento eorũ quæ tradit *Euerhard. in loco à ratione legis ceſſante.*

8 D. *Dic aliam Feudi diuiſionem?*

III. M. Superiori vicina eſt hæc diuiſio, qua feudũ aliud eſt *Nobile*; aliud *ignobile* ſeu *plebeium*. Nobile feudũ eſt, quod poſſeſſorẽ ſuum nobilitat: eſt enim hoc memorabile atq; ſingulare in iſto iure, quod terra nobilitat poſſeſſorẽ. Hoc genus Feuda *Ant. Cont.* ſubdiuidit, quod quædã eorũ habeant annexã dignitatẽ, quædam non habeant; illa ſunt, v.g. *Ducatus*, itẽ Marchiæ: Hæc ſunt eorum, qui capitanei Regni, vel *maiores Valuaſores* appellantur. Hic notandũ eſt, peculiari quodã modo & anguſti⁹ vſurpari in iure feudali vocabulum *Dignitatis*, quàm aliàs ſolet, vel in cõmuni vſu, vel in Iure ciuili, in quo etiã aduocatũ eſſe, dignitas quidam eſt, & multa aliarũ. *Ignobile* ſeu plebeiũ quod nã ſit, ex contrario facilè intelligitur, nẽpe ex quo poſſeſſor eius nõ nobilitatur, qđ vulgò vocãt *Feudũ Burgenſe*, Burgerlehen/ teſte *Zaſ. p. 2. n. 5.* itẽ quod inter ruſticos creberrimum eſt

IIII. Mannlehen. 9. D. *Dic aliam Diuiſionem?*

M. Feudum aliud eſt *Ligium*, aliud *non ligium*: & hinc vaſallus dicitur interdum *homo Ligius*, videl. is qui Feudũ Ligiũ habet: Cum quo nõ rectè à quibuſdã confundi videtur Homolog⁹: quos refutat & *P. Gregor. Syntag. lib. 6. c. 2 nu. 25.*

10. D. *Vnde dictum eſt Feudum Ligium, & qualenam eſt?*

M. Nomen accepit à *ligando*: Vnde & *Liga* vulgari lingua Italica dicitur fœdus & ſocietas, Ein Bündnus, vt *Liga Sancta*: de qua multa ſuperioribus annis & dicta & ſcripta ſunt, dicebatur fœdus inter Papam, Hiſpa-

num

num & alios quoſdam principes. Quanquam enim quodlibet Feudum obligat vaſallum ſeniori ad fidem præſtandã, tamen aliud alio arctius; Quod autẽ omniũ arctiſſimè ipſum ligat, hoc feudum ligiũ quaſi per excellẽtiã Interpp. appellarunt, quo vaſallus domino ſuo fidelitatẽ iurat cõtra omnes, nemine, niſi ſolo Deo, excepto, ſiue, vt *Iul. Clar. ait q.* 11. Nulla alterius fidelitate reſeruata. ſic enim hoc feudum definiunt. Homo autẽ Ligius erit is, qui eius conditionis feudum (arctiſſimũ ſcil.) accepit. Similiter & *homagium ligium*, de quo vide *Guid. Pap. Deciſio. Gratianopol. q.* 309. ſic Rex Siciliæ dicitur homo Ligius & proprius Vaſallus Eccleſiæ Romanæ, in *Clem. paſtoralis. de ſent. & re iud. Cuiac. li.* 4. *t.* 93. Ex hoc illud primum ſequitur, quod & gl. admonet in *d. Clem. & probat Iul. Clar. d. quæſt.* 11. Neminem poſſe hominem ligium eſſe, niſi ſupremi principis, qui ſuperiorem non recognoſcat; Ab inferiore autem tale feudum accipi non poſſe, cui, quantumlibet arctè quis ſe obſtrinxerit, quod velit dominũ defendere cõtra omnes, tamen ſemper intelligitur exceptus Imperator, §. *vlt.* 2. *F.* 55. Deinde huic conſequens eſt, plurium quàm vnius hominẽ ligiũ eſſe poſſe neminem. *dd. loc. & Cuiac. lib.* 2. *feud. t.* 7. Hoc ipſo enim, quod quis defenſionem iurat vni cõtra omnes, excludit cæteros: Nec poſſunt plures vno eſſe ſupremi. Ac valet hîc illud vulgatũ ex Euangelico dicto: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire*, vnde & *Guido Papa conſil.* 213. *num.* 4. *ex Specul. & Bald. tradidit*, Homagium ligium non poſſe fieri duobus, ne quidem pro reb. diuerſis. Quod idem repetiit etiam in *Deciſionib. ſuis quæſt.* 310. Aliud tamen moribus Gallorum receptum eſſe teſtatur Ant. Contius, vt quis poſſit etiã inferiorũ eſſe *homo ligius*, & exẽplũ affert in duce Niuernẽſi, *Iouian. Pontan. li.* 2. *de Ferdinand.* & hunc ſecutus *D. Phil. Camer. Ligios homines* inde dictos putat, ꝙ Reges ligatis pollicib. illos fidei imperiisq; ſuis ſic vinciãt atq; obnoxios ſtatuãt. Quomodo & *Tacit. li.* 12. Reges in ſocietatẽ coëuntes hunc habere morẽ ſcribit, vt dextras implicẽt, polliceſq; inter ſe vinciãt, & nodo pręſtringãt. *Vide Cam. Med. Hiſt. c.* 6. Cætera igitur feuda omnia quęcunq; ligia nõ ſunt, & in quib. tã arctũ vinculũ nõ eſt, ea ma-

nifeſtum eſt nec ligia eſſe, *arg. §. furtorum. verſ. nec manifeſtum. Inſt. De oblig. quæ ex del. naſ.* Illud nolo hîc præterire, Quod Hotomannus *Ligium* vel *hominem ligium* promiſcuè accipit pro quolibet vaſallo, imò etiam Dominum non tantum vaſallum velit dici ligium: & proinde noſtram hanc diuiſionem non agnoſcit, ſicut & Zaſius eam prætermiſit, quod videlicet nihil variet in feudi natura, vt ait in fine *ſecundæ partis.* Plura de Ligio ſingularia *vid. apud P. Greg. Syntag. lib. 6. cap.* 2. V.g. Quod in tali feudo non habeat locum refutatio: Quod etiam feminæ ſuccedant: Quod non pares Curiæ, ſed ſolus Princeps de eo iudicet: Quod omnia etiam non feudalia bona vaſalli in poteſtatem domini veniant: Quod poſſit eſſe homo ligius alicuius, etiam ſi nullum ab eo feudum habeat &c.

11. D. *Dic aliam diuiſionem?*

M. Feudum aliud eſt antiquum ſiue paternum, aliud nouum: quam diuiſionem maximi effectus vocat *Iul. Clarus quæſt.* 8. *&* *Zaſ.* dicit præcipuam *p.* 2. *in* 7. *diuiſione.* Effectus autem ſiue vſus huius præcipue diuiſionis cernitur maximè in ſucceſſione Feudi, item quo ad conceſſionem, & quo ad priuationem & alienationem: item quo ad ius accreſcendi: de quibus omnibus infra dicetur.

12. D. *Quid vocas feudum nouum?*

M. Quod per præſentem poſſeſſorem primum acquiſitum eſt, non autem à Maioribus ſiue progenitoribus ad ipſum per ſucceſſionem peruenit: ſiue, quod nunc primò de nouo conceditur, & initium habet in perſonâ eius, qui de eo inueſtitus fuit, *c. vn. quot teſtes ſint neceſſ. & c. vn. de frat. de nou. benef. inueſt. Zaſ. p.* 2.

13. D. *Quid eſt Feudum antiquum?*

M. Quod ab aliquo aſcendentium ad præſentem vaſallum per ſucceſſionem delatum eſt, quod ſæpè etiam *paternum feudum* dicitur. (Hotomanus *profectitium* quoque vocat, vt Iuriſconſulti *profectitium peculium*, quod à patre in filium eſt profectum.) Scire enim debes, quamuis feudum paternum interdum ſtrictè dicatur illud, quod patris tantum fuit, vt in *tit. de his, qui feud. dar. poſſunt, & tit. de contentione int. me & dominum,*

&c. In-

&c. Interdum verò latius pro eo, quod à patre vel aliquo aſcendentium vſque ad quartum gradum incluſiuè acquiſitum eſt,vt,Auo, proauo, Abauo,Atauo,teſte *gl. & Baldo in c.* 1. *de ſucceſſ.feud.* tamen ſæpenumerò promiſcuè pro eodem poni feudum paternum & antiquum,teſte *Claro d. quæſt.* 8. *num.* 1. Quod *Zaſ.p.3.n.1.* ait fieri extento vocabulo,id eſt, latiſſima ſignificatione,videlicet pro eo feudo, quod ab aliquo ex maioribus,qui communis agnationis ſtirps, idem caput & origo fuit,acquiſitum & obtentum eſt.

14.D.*Poteſtnè feudum antiquum ſeu paternum conuerti in Nouum?*

M. Poteſt ex antiquo nouum fieri, ſi renouetur inueſtitura eius, mutatis pactis, v. g. ſi ex Maſculino fit Fæmininum, *Zaſ.d.p.* 3.*nu.* 4. Quo tamen caſu agnatorum quoque conſenſus erit neceſſarius, *c. vn. tit.agnat. vel fil.defuncti.*Et idem *Zaſ.p.*12.*nu.* 45. Qua de re infra in *c.De pact.inueſtitura.*

15.D.*Poteſtnè,vice verſa, Feudum nouum concedi alicui iure feudi antiqui & paterni?*

M.Poteſt,ſecundum opinionem magis communem & veriorem,vt docet *Iul. Clar. d.quæſt.* 8. *num.* 2. & ante ipſum *Ferrarienſ. in form. lib. Quo agitur ad reuocat.feudi, prope fin.*vbi ait, ſe ſæpè vidiſſe hoc fieri: Item *Zaſius d. p.*12. *nu.* 44. Dominatur enim hîc tenor inueſtituræ, à qua ſicut ipſa conſtitutio, ita & natura atque conditio feudi tota dependet.Sed hæc etiam ad locum de Pactis Inueſtituræ referri poſſunt: de quibus infra dicam *cap.* XI.

16.D.*Quid ſi obſcurum ſit,an Feudum ſit antiquum,an Nouum,vtrum præſumetur?*

M.Plerumque hoc arbitrio Iudicis relinquitur; ſed tamen propter antiquitatem poſſeſſionis creditur potius eſſe paternum,vt ex auctor. *Alex. Bald. & Præpoſiti probat Zaſ.p.3.nu.8.Vid.& Rol.à Vall. conſil.*48.*num.*19.*& ſeqq.* Vnde cum præſumptio ſit feudũ antiquũ eſſe,probatio incumbet dicenti contrarium,*d. conſil.* 48. *nu.*20. *vol.*4.

17. D. *Si eſt aliquod feudum paternum, daturnè etiam quod ſit maternum?*

M.Datur:Et quidem Maternum Feudum ab aliquibus tanquam ſpecies ſubiicitur Feudo antiquo, & definitur,quod primò acquiſitum eſt à fæmina, quæ fuerit ex aſcendentibus & caput cognationis.Ita *Zaſ.p.3.n.3.& 4.* Eſt etiam alia conſideratione ſpecies quædam Feudi fæminini.

VI. 18.D.*Dic aliam diuiſionem?*

M. Afferam eam, quam nobis modò dicta ſuppeditant.Nam feudũ aliud eſt *Maſculinum*,aliud *Fæmininũ*; illud in quo mares tantum ſuccedunt, excluſis fæminis hoc, in quo etiam fæminæ ſuccedunt deficientibus maſculis, nempe ſi hoc dictum vel compræhenſum ſit in primâ eius inueſtiturâ,vt feudum etiam ad fæminas deuolueretur,*cap.vn.de Feud.fam.& cap.vn.§.videat.de ſucceſſ.Feud.*Regulariter enim,&vt plurimum feudum, ſicut & Militia & Tutela, eſt virile quiddam & munus maſculorum, vt *libr. 1.tit.1.de feud.* Qua de re plura dicemus infra cum de ſucceſſione feudi agetur. Ideoque rectè Zaſius Feudum fæmininum degenerantibus feudis annumerat,*d.part.12.num. 29.* Ex quo illud intelligi datur, in dubio præſumi feudum potius Maſculinum quàm fæmineum.Ideoq; ſi fæmina vel ex illa deſcendentes in feudo ſuccedere velint, ipſis incumbere probationem,quod ſit fæmineum,id eſt, cuius inueſtituræ tale pactum fuerit adiectum, vt etiam fæminæ ad ſucceſſionẽ admitterentur. Porrò feudo fœmineo vicinum eſt etiã *pignoratitium*, quod Germani vocant, Pfandtlehen.Nam in hoc quoq; fæmina ſuccedit, *Zaſ.d.p.12.num.24.*

VII. 19.D.*Dic aliam feudi diuiſionem?*

M. Illa quoq; apud Feudiſtas celeberrima eſt trimẽbris diuiſio in *Feudum hæreditarium*, Germanicè: Erblehen.Et *non hæreditarium*,quod vocant ex pacto & prouidentia; (quidam etiam *familiare*) & deniq; *Mixtum.*

20. D. *Quid vocas Feudum Hæreditarium?*

M.Quod conceſſum eſt alicui pro ſe & hæredib.quibuscunq;.In quo genere etiam extranei hæredes vaſallo ſuccedunt.

21. D. *Quid eſt feudum ex pacto & prouidentia ſeu Familiare?*

M.Quod

M. Quod vaſallus accepit pro ſe & filiis, vel pro ſe & liberis, vel deniq; pro ſe & hæredib. ex ſuo corpore natis, omiſſa mẽtione hæredum. In hoc feudo vt quis ſuccedat, ſatis eſt, eum eſſe filium vaſalli, vel vt deſcendat à primo acquirente, quamuis hæres non ſit: vnde etiã non hæreditarium hoc feudum dixerunt. Non quod in eo non ſuccedatur, ſed quod non ſit neceſſe, vt quis ſimul ſit hæres vaſalli etiam in allodialibus, qui in feudo vult ſuccedere.

22. D. *Quid deniq; eſt Feudum Mixtum?*

M. Quod de vtroq; priorum participat, nempe quãdo quis feudum accepit pro ſe & filiis & hæredib. in hoc feudi genere ſi quis velit ſuccedere, eum oportet ſimul & filium eſſe & hæredem vaſalli ſiue vltimi, ſiue mediatè primi acquirentis, neq; audiendus eſſet hoc caſu filius volens quidem amplecti feudum, ſed repudians hæreditatẽ, vtpote quæ fortè ſit damnoſa: quæ omnia latius explicantur *à Iul. Claro quæſt.* 9. & multis Doctorum auctoritatib. communiuntur; Latiſſimè verò ab *Hartm. Piſt. lib.* 2. *q. Iur. p. prior. quæſt.* 1. *Vide & Mynſing. cent.* 3. *obſ.* 67.

23. D. *Sed in dubio vtrum præſumendum eſt, hæreditariũ ne an ex pacto & prouidentia conceſſum feudum?*

M. Præſumemus potius conceſſum feudum ex pacto & prouidentia, quam hæreditarium, & ita in cameræ hanc quæſtionem, cum forte incidiſſet, deciſam eſſe teſtatur *Mynſ. cent.* 4. *obſ.* 2. allegans rationes decidendĩ & autoritatem *Matth. de Afflict.* cuius tamen contrariũ tenent alii, vt videre eſt apud *Borch. c.* 4.

24. D. *Quid ſi feudum ſimpliciter fuerit alicui cõceſſum, nulla nec filiorum, nec hæredum mentione facta, quod feudum informe vocant, vtri ſpeciei adgregandum erit?*

M. Cenſebitur hoc feudum ex pacto & prouidentia, quaſi quis pro ſe & filiis ſuis hoc accepiſſet. Ita *Iul. Clar. d. quæſt.* 9. *num.* 6. apud quem & plures ad hanc diuiſionem quæſtiones pertinentes videre poteris.

25. D. *Intelligo hanc diuiſionem Interpretum natam eſſe tantum ex verbis & formulis inueſtituræ, ſiue ex tenore conceſſionis Feudalis, nec in ipſa natura ſiue ſubſtantia feudi quidquam mutare aut nouare.*

M.Rectè accipis: æquè.n. eſt feudum, quod hæreditarium vocant atque illud, quod ex pacto & prouidentia conceſſum eſt.

26.D.*Num & aliæ ſunt diuiſiones Feudi?*

M. Faciunt etiam interpretes Feudum aliud *Francum*, aliud *non Francum*. Illud vocant, quando vaſallus non niſi ad ſeruitia, quæ in inueſtitura exprimuntur, obligatus eſt, ita *Iul. Clar. quæſt.* 12. ſed diſſentiunt alii, qui illud feudum potius appellant conditionatum, eique opponunt feudum ſimplex ſiue rectum, vt videre eſt apud *Borchold.d.c.4.num.*21.Alii igitur *Feudum Francum* vocant illud, pro quo vaſallus ad nullum prorſus obſequium nullamque operam, ſed tantum ad fidem ſeniori præſtandam obligatus eſt, cæteroque planè liber. *Francum* enim maiores noſtri *liberi* dixerunt. Alii denique etiam illud pro quo ne fidelitas quidem præſtanda ſit, item quando etiam ipſa proprietas, ſiue directum, vt vocant dominium alicui infeudatur, vt probat ex Baldo & Iacob. Addit.ad Iul.Clar.Et Zaſius quoque ita fatetur: feudum concedi poſſe cum omni directo & vtili dominio, *d.p.*12.*nu.*33.

27. D. *Hoc verò non tam feudum, quam mera donatio fuerit?*

M. Rectè ais, & ita ſentit *Andr.Tiraquellus ad l.ſi vnquam, in verb. donatione. C. de reuoc.don.* Vnde & vulgo Doctores hoc feudum *improprium* vocant, & Zaſ. Feudis degenerantibus annumerat *d.part.*12.*nu.*36.

X. 28. D.*Dic aliam, ſi qua reſtat, diuiſionem?*

M. Feudum aliud eſt *intra territorium & iurisdictionem domini*, (vulgò vocant *diſtrictum*) Aliud *extra territorium:* Ita accipit *Ant.Cont.* quod dicitur *in fin. tit.*5.*l.*1. *feud.* Feudum vel in *curte vel extra curtem domini haberi*; quamuis *Borcholt.d.c.*4.*nu.*31.Feudum in curte putat eſſe *Feudum Soldatæ*: ſed mihi magis arridet *Antonii Contii* expoſitio. Num igitur neceſſaria eſt hæc collectio ſi quis a feudo argumentari velit ad Iuriſdictionem, cum hæc ſeparata eſſe putentur? Non valet, inquam: Titius habet feudum eo in loco: Ergo habet Iuriſdictionem quoque ibidem, vel contra: Habet ibi Iuriſdictionem; Ergo etiam feudum. A ſeparatis enim nunquam rectè infertur,

inſertur, *argumento l. vlt. & ibi Bart. ff. de calumn. & l. neq; natales, C. de probat.*

29. D. *Suntne plures etiam diuiſiones?*

M. Eſt etiam feudum aliud *perſonale*, aliud *Reale*, ſiue quod fere idem eſt, aliud eſt *temporale*, aliud *perpetuum*. *Perſonale* eſt, quod cum perſona extinguitur vel accipientis ſolius, vel dantis pariter & accipientis. Huiuſmodi erant ab initio omnia feuda, & quidem adeò, vt etiam in poteſtate & arbitrio domini ſitum eſſet auferre feudum quando vellet: quale ius eſt in precario, vt eſt *text. in t. 1. lib. 1. §. & quia vidimus.* Hodie verò certa quædam duntaxat, vt: *Feudum habitationis, Feudum Soldatæ, Feudum de Camera & de Cauena:* Item *Feudum Aduocatiæ, Guardiæ & Caſtaldiæ*, quorum nonnulla etiã anno finiuntur. Cætera autem ad vitam vaſalli vel domini durant: de quibus *vid. Zaſ. d. p. 12. & Borch. cap. 4.* Hæ ferè ſunt nobiliores feudi diuiſiones. Alias ab aliis Interpretib. petere licebit.

CAPVT V.

De Feudi ADQVISITIONE: *& primò quidem de Perſonis, quæ Feudum dare poſſint.*

Nunc poſteaquam & origincẽ feudorum & Etymologiam & cognata, ſeu affinia & definitionem ac diuiſiones cognouiſti, tempeſtiuum eſt vt de cæteris capitibus, quæ de feudis ſcitu neceſſaria ſunt, me interroges.

1. D. *Ex illis, quæ ſupra propoſuiſti, illud nũc proximum caput eſſe recordor, quod ad feudi acquiſitionem pertinet. Ac primò quidem de perſonis, quæ vel infeudare vel infeudari poſſint.*

M. Probe meminiſti. Nam priuſquam vel de iure Feudi conſtituti agatur, vel de eius amiſſione, neceſſariò cognoſcẽdum eſt de acquiſitione eius: Exẽplo eius ordinis, qui in iure ciuili perpetuò obſeruatur, eſtque planè naturalis, v.g. in poteſtate, vel dominica vel patria, in nuptiis, in tutelis, in tractatu de dominio, de

ſeruitutibus, de peculio, de teſtamentis, de legatis, de obligationibus, de actionibus, de poſſeſſione, &c. At in libris Feudorum confusè de his omnibus ac velut per Satyram tractatur ὕστερον πρότερον. Prima autem hîc occurrit inſpectio de perſonis, vt ſit qui det. Non autem quiuis dare, ſicut nec quilibet accipere feudum poteſt, ſed is demum qui ius dandi habet & qui ius accipiendi ll. aut morib. ſibi attributum. Deinde nec temerè, vt fors tulit, ſed certis modis feuda debent conſtitui & adquiri: promiſcuè enim pro eiſdem vtimur his duobus verbis. Ex his apparet cum de acquiſitione feudi quæritur, hanc eſſe triplicem conſiderationem, 1. *De perſonis dantibus feuda.* 2. *De perſonis accipientib. ſeu Infeudatis.* 3. *De feudi conſtituendi ſeu acquirendi modis.*

2 D. *Qui nam igitur feuda dare poteſt?*

M. De perſonis, quę feudum dare poſſunt primò obſeruabis regulam deſumptam *ex t. per quos fiat Inueſt. li. 2. tit. 3.* Quicunque habet liberam ſuarum rerum adminiſtrationem, nec ſpecialiter prohibetur alienare, is rē ſuam alteri in feudum concedere poteſt. Eſt enim quilibet rerum ſuarum moderator & arbiter, *l. 21. C. mand. l. 2. ff. ſi à par. quis manum. l. nemo, C. de Iudæis. l. dudum. 14. C. de contr. empt.* Et ex contrario, qui qualibet ratione aliquid de ſuis rebus alienare prohibetur, is nec per feudum poterit inueſtituram facere. Eſt enim infeudatio ſiue in feudum cōceſſio ſpecies quędā alienationis, & cui totum genus denegatur; eidem & omnes eius generis ſpecies adimuntur. Nam, tametſi directum, vt vocant dominium remanet penes ſeniorem dantem: tamen vtile in accipientem vaſallum transfertur, vt ſupra in vulgata feudi definitione audiuiſti. Quib. autem permiſſa vel adempta ſit rerum ſuarum alienatio, meminiſti ex *Inſtitutionib. t. quib. alien. lic.* v. g. Pupillus ſine auctoritate Tutoris nullam rem alienare poteſt, §. *nunc admonendi, Inſt. d. tit.* Ergo nec in feudum prædia ſua dare poteſt. Idem dicendum de minore curatorem habente: nam & is pupillo comparatur, quo ad prohibitionem alienationis, *l. ſi curatorem, C. de in integ. reſt. min.* Hîc tamen adhibenda eſt diſtinctio inter *Feudum antiquum* & *nouum*. Nam vetus feudum, id eſt, quod etiam

Maiores

Maiores pupilli ſoliti ſunt concedere, ipſe quoque pupillus, dum modo aliquem habeat intellectum, rectè confert, etiam absq; tutoris auctoritate. Nouum vero ne quidem cum auctoritate tutoris, *d. t. per quos fiat inueſt. in princ.* Ratio differentiæ eſt. Quia nouum feudum pupillus verè alienaret, at vetus ipſe non alienat, ſed ab aliis antè alienatum inuenit, & confirmat factum maiorum ſuorum, cui quidem etiamſi vellet, contrauenire non poſſet, ſic recte *gloſſ. in verb. à Minore, d. t per quos fiat inueſt. vid. & Zaſ. part. 5. num. 36. cum ſeq. & Borch. cap. 5. num. 43.*

3. D. *Miror, quod dicebas; pupillum ne quidem cum autoritate tutoris poſſe de nouo aliquem de re ſua inueſtire, cum tamen interueniente tutoris auctoritate omnia rectè gerat pupillus & ex actu ſuo obligetur, quamuis deterior inde fiat ipſius conditio, vt eſt text. fin. tit. Inſt. de auct. tut. Item l. 5. & l. 9. ff. eod.*

M. Hoc ideò fit, quia tutor bona immobilia pupilli ſine decreto prætoris & ſine cauſæ cognitione, alienare prohibetur, *tot. tit. ff. de reb. eorum, qui ſub tut. &c. Et tit. C. de præd. & aliis reb. immob. ſine decreto non alien. Menochius lib 2. de arbitr. Iudic. quæſt. c.* 171. Feudum autem conſtituitur in prædiis ſeu rebus immobilibus, aut æquipollentibus, vt ſupra in definitione Feudi indicabatur, & latius explicabitur infra cum de rebus dicemus, quę in feudum dari poſſunt. Deinde multum intereſt inter alienationem & obligationem: quarum illa reſpicit bona, hæc verò perſonā obſtringit: Quanquam enim perſonam pupilli tutor autoritate ſua obligare poſſit, tamen bona ipſius immobilia ſine decreto alienare nequit.

4. D. *Miror etiam quod dicebas, in reuocatione Inueſtituræ de feudo antiquo à pupillo factâ non eſſe neceſſariam auctoritatem tutoris, & pupillum etiam absque ea obligari. Videtur enim hoc repugnare principiis Iuris in d. init. t. de auct. Tutorum traditis.*

M. Mirari deſines, vbi cogitaueris, hoc caſu pupillum facere conditionem ſuam non ſolum non deteriorem, ſed etiam meliorem, nempe dum vaſallus ab ipſo inueſtitus fidelitatem ipſi iurat, & ſanè pupillus nō

per tutorem demum obligatur, ſed iam antea obligatio in ipſum tranſiit à maioribus: Contrarium tamen ſentit *Zaſ. d.p.5. nu. 39.* videlicet, Pupillum & minorem qui curatorem habet, antiqua feuda concedendo ſine autoritate tutoris & curatoris non obligari.

5. D. *Quod de pupillo & minore curatorem habentem, idem & de Prodigo & furioſo & mente capto Iuris eſſe puto.*

Recte putas: Nam & hi bona ſua in feudum concedere nequeunt, quia ſcil. adminiſtratio eorũ ipſis quoque adempta eſt.

6. D. *Nunc præmiſſa generali regula eiusq; declaratione, velim paulo diſtinctius mihi recenſeas perſonas, quæ feudum dare poſſint.*

M. Faciam hoc, vbi prius in memoriam tibi redegero, quod ſupra dicebam de antiquiſſima illa hominũ, in *Clericos* ſeu *Eccleſiaſticos* & *Laicos* diuiſione, quæ etiã apud Tertullianum extat in *exhortat. ad Caſt.* Vani erimus, ſi putauerimus, quod ſacerdotibus non liceat Laicis licere; nonne & Laici ſacerdotes ſumus? Dicendum igitur primo de Clericis ſiue Eccleſiaſticis, quandoquidem hi primi omnium mortalium habentur; ex quo autem Eccleſia cœpit ſtudere patrimoniis & ditari facultatibus, & quærere prouentus pingues & vectigalia opima; Antiſtites quoq; eius feuda dare cœperunt: quod iure an ſecus fiat, non eſt noſtrum hìc diſputare. Quid fiat videmus. Inter Eccleſiaſticos autem quaſi familiam ducit *Papa Romanus*, huic proximi ſunt *Patriarchæ* ſeu *Primates, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus* & *Hieroſolymitanus*, & his proximi *Archiepiſcopi*, qui & *Metropolitani*, de quibus totum volumen hiſtoricum ſcripſit Albertus Crantzius; ſequuntur hos *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acoluti, Exorciſtæ, Lectores, Pſalmiſtæ, Oſtiarii, Canonici, Decani, Abbates*, ſiue *Archimandritæ*, ſeu *Cœnobiarchæ*, ſicut *Moniarum Antiſtites* vocantur *Abbatiſſæ*, de qua hierarchia Eccleſiaſtica videatur *Gratianus cap. 1. Cleros, diſtinct. 21. & tit. C. de Epiſc. & Cler.* Aliique *tt. lib. 1 C.* Item *Iſidorus lib. 7. Etymol.* Et quidam horum etiam nominantur à feudiſtis *lib. 1. tit. 1.* Sciendum eſt tamen,

men, hunc ordinem maxima ex parte ab inſtituto humano profectum, & quidem imitatione quadam Iudaiſmi. Sane de diſcrimine Epiſcopi & Preſbyteri teſtatur ipſe Hieronymus, id humanitus excogitatum in remedium ſchiſmatis, de quo videre licet *Phil. Mornæum de Eccleſia.* Hi igitur plerique omnes in feudum dare poſſunt, tam propria bona, quam Eccleſiæ; ſed hæc non aliter, quam ſi ab antiquo ſoliti ſint infeudari: maxima autem omnium & ferè Deo par poteſtas tribui ſolet Papæ Romano, vt videre licet in locis citatis ab *Hotom. in Bruto Fulm. & paſſim in diſp. feud.* Itemque apud *Guidonem Pap. deciſ.* 589. Qui quidem etiam potentiſſimos reges ſibi obnoxios & vaſallos fecit atque ad iusiurandum fidelitatis adegit, vt de regibus Siculis, Anglicis, Danicis, Gallicis & Germanicis probat ex hiſtoriis idem Hotom. Et conſtat grauiſſima ſæpe bella inde extitiſſe, ſi qui reges quaſi calcitrantes iura Maieſtatis, quæ Rom. Pont. imminutum ibat, ſibi adſerere ſtuduiſſent. Et quidem voluerunt Canoniſtæ Papam non ſolum Eccleſiæ Romanæ, ſed etiam cuiuslibet alterius bona in feudum concedere poſſe; quia ſcil. concurrat cum omni prælatura Eccleſiaſtica, de cuius tamen dicti veritate non immeritò dubitat optimus *Zaſ. p. 5. num.* 44. Quantumcunque verò tribuamus Papæ, certe inferiores ab eo Epiſcopi & prælati Eccleſiarum non poſſunt neque extra ſuam Epiſcopam, neque ſuæ Eccleſiæ res non ſolitas infeudari in feudum cōcedere, *c. 2. extra de feud. c. ad noſtram, extra de reb. Eccl. non alien. Zaſ. d. p. 5. nu.* 53. *Et Iul. Clar. q.* 13. Imò etiam ſolitis infeudari in renouatione Inueſtituræ non poſſunt nouas aliquas adiicere qualitates, quibus illa feuda alterentur aut mutentur, vt probat ex *Bart. Alex. & aliis Moz. in tract. de feud. t. de his qui feud. dare poſſunt. n. 9. & Zaſ. p. 5. n. 60.*

7. D *Sed vnde hæc æſtimabitur, an res ſit ſolita infeudari nec ne?*

M. Pleriq; requirunt binos actus & 40. annorum curriculum & inſuper bonam fidem in accipiente. Ita *Zaſ. d. part. 5. num. 52. & Clar. quæſt. 13. num. 4.*

8. D. *Cur autem non quaſuis res Eccleſiæ prælatus in feudum concedere poteſt?*

M. Quia alienatio rerum Eccleſiaſticarum eſt odioſa, & regulariter prohibita. Omnis autem infeudatio eſt quædam alienatio, vt & ſupra audiuiſti.

9. D. *Cogiturne in conceſſione rei quæ ſolebat infeudari, prælatus adhibere conſenſum Capituli?*

M. Non cogitur, vt ex Baldo, Felino & aliis probat *Zaſ. num.* 47.

10. D. *Poteſtne verò prælatus etiam conſanguineis ſuis concedere feuda Eccleſiæ antiqua, ad Eccleſiam reuerſa?*

M. Poteſt, dummodo fuit honeſtæ perſonæ & Eccleſię minimè oneroſa aut dedecori, *Zaſ. num.* 51. Qui hoc argumento nititur: Quia & Chriſtus conſanguineos ſuos viros honeſtos ad apoſtolatum aſſumſerat, cui & hoc addi poteſt, quia Paulus domeſticorum curam nobis præ cæteris commendat, quos & naturalis charitas maximè nobis conciliat. Hic tamen illud cauendum eſt diligenter, ne incidamus in ſuſpicionem Simoniæ, quod crimen frequentiſſimè committitur.

11. D. *Quid ſi prælatus Eccleſiæ fuit mortuus?*

M. Prælatura vacante ipſum capitulum quod interim repræſentat perſonam Prælati, infeudationem facere poterit, excepta tamen Eccleſia Cathedrali, vt docet *Zaſ. num.* 48 *p.* 5.

12. D. *Poteſtne Prælatus rem infeudari ſolitam ſi aperta ſit Eccleſiæ retinere pro ipſa, ita vt neminem amplius de ea inueſtiat?*

M. Poteſt: Imò verò etiam debet eam retinere, & Eccleſiæ bonis incorporare, ſiue, vt loquuntur, de menſa Eccleſiæ facere, ſi eam vrgeat aliqua neceſſitas & inopia, vt ex *Aluarotto, Præpoſito & aliis probat Zaſ. nu.* 59. aliàs verò extra caſum inopiæ & indigentiæ honeſtius fecerit, ſi rem Eccleſiæ apertam rurſus concedat alii, vt docet idem *Zaſ. num.* 49.

13. D. *Quid ſi prælatus Eccleſiæ de feudo nondum aperto, quod adhuc ab alio poſſidetur alium inueſtierit? & interim moriatur, tenebiturne eius ſucceſſor ſeu nouus Prælatus talem inueſtituram ratam habere?*

M. Sa-

M. Sæpè quidem hoc fit: idque moribus receptum teſtatur *feudiſta lib.2.tit.26.§. Moribus.* vt de viuentium ac ſuperſtitum feudis, maximè eorum qui ſine liberis & agnatis morituri ſperantur, alii impetrent inueſtituram ſibi & ſuis liberis: quem tamen morem grauiter repræhendit *Iul. Clar. quæſt.* 14. *& Hotom.* aliique cum inducat votum captandæ mortis alterius. Nam & Iure ciuili pacta dé futura ſucceſſione certæ perſonæ viuentis, de qua improbè aliquis ſolicitus eſſe dicitur rectiſſimè improbantur, *l. licet, & l. fin. vbi Doctores, C. de pact. l. pactum quod dotali. C. de collat. l. ex eos, C. de inut. ſtipul. l. qui ſuperſtitis, ff. de acquir. hæred.* Si tamen prælatus aliquem ita infeudauerit & feudo nondum vacante interim mortuus ſit ſucceſſor eius, non tenebitur eiuſmodi inueſtituram implere, vt eſt *text. in t.* 3. *lib.1. qui ſucceſſores. feud. dar. teneantur, & t.* 9. *qui ſucceſſ. ten. & titu.26. libr.2.§. moribus, Zaſ. d. part.* 5. *num.* 61. *& part.6. num.19. & ſeqq.* Niſi vel conſenſerit is, qui feudum tenet, & ſine ſucceſſore moriatur; vel niſi capitulum conſenſerit in hanc inueſtituram; quarum exceptionum prior habetur in *d. tit.*3. Alteram cautelam excogitarunt Doctores, vt videre eſt apud *Matth. de Afflict. deciſ.*101. *Et in tract. de feud. in d. titu. num. lib.*1. De vtraque videte *Borch. cap.7. num.20. &* 21.

14. D. *Poteſtne Clericus vel Prælatus etiam de bonis propriis aliquem infeudare de nouo?*

M. Poteſt. In his enim pari iure cenſetur cum quouis Laico; & certe non debet deterioris eſſe conditionis, ſicut etiam teſtari de iiſdem poteſt Clericus. De Inueſtitura eſt *tit. de cler. qui inueſt. fecit.*

15. D. *Satis dictum videtur de Eccleſiaſticis perſonis Feuda dantibus: nam de decimarum infeudatione ab Eccleſiaſticis facienda fortaſſe præmaturè hic quæſiuero, cum ea quæſtio ad locum, de rebus ſeu materia feudi potius pertineat. Nunc igitur cupio ex te audire etiam de Laicis qui feuda dare poſſint.*

M. Inter laicos meritò principe loco numeramus Imperatorem Romanum, de quo elegans extat teſtimonium Tertulliani in *libro ad Scapulam*: Impe-

ratorem, inquit, colimus vt hominem à Deo ſecũdum, & quidquid eſt à Deo conſecutum & ſolo Deo minorem. Sic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt. Quam Tertulliani antiquiſſimi & grauiſſimi ſcriptoris ſententiam meritò opponimus nugis illis bullatis quorundam, qui Imperatorem à Papa tanto interuallo ſuperari gloriantur, quanto Sol Lunam claritate vincit: *cap. 6. ſolicitæ, extra de maioritate & obedient. iunct. cap. 10. Duo ſunt Luminaria, & duobus ſeqq. diſtinct. 96.* Tertulliano & Chryſoſtomum addo, qui de Imperatore Theodoſio Magno, cuius ſtatuas per tumultum deiecerant Antiocheni, loquens, ſic ait *homil. 2. ad Pop. Antioch.* Læſus eſt, qui non habet parem vllum ſuper terram, ſummitas & caput omnium ſuper terram hominum. Imperatorem, quem ſæpè feudiſtæ *Regem* vocant, ordine ſequuntur: 1. *Rex Rom.* qui & *Caſar* dicitur, & *Duces* ſiue *Principes Imperii*; inter quos tamen etiam ipſos ſunt gradus quidam. Præcellunt enim alios hi, qui vocantur *Electores*, his dignitate proximi ſunt *Archiduces*, qui titulus in familia Auſtriaca primum cœpit. Hos ſequuntur qui abſolutè *duces* vocantur, Germanis Hertzogen ſiue Fürſten: Quamuis plærunque diſtinguant Hertzogen ab iis qui vocantur Fürſten / & maiorem dignitatem tribuant iis qui vocantur Hertzogen. *Ducibus* proximi ſunt *Marchiones* ſeu *Margrauii*, quaſi dicas, Comites limitanei: Item *Landgrauii*, quaſi Comites Prouinciales: Item *Comites Palatini*, ſeu Pfaltzgrauii, his gradu inferiores ſunt, qui abſolutè *Comites* vocantur; quibus in Germania ferè æquiparantur *Barones* vt & Zaſius teſtatur. Et hi dicuntur *Capitanei Regis*, ſeu *regni*. Sunt alii, qui ſimpliciter dicuntur *Capitanei*: Item *Valuaſores Maiores*, ſeu *Valuaſores regni* & *regis*. Hos excipiunt *Valuaſores minores*, & hos *Valuaſores minimi*, qui & *Valuaſini*. Omnes autem nomen accepiſſe videntur à valuis ſeu portis, ad quas apparere vel excubare coguntur. De his ordinum & dignitatum titulis videre licet *titu. 1. libr. 1. F. & titulũ 14. & libr. 2. tit. 10. Item Zaſ. Ant. Continuũ, Borcholdum, & alios Feudiſtas.*

Quin

Quin autē Impator poſſit feuda dare, de eo dubitare proximū eſſet ſacrilegio, cū Imperator ſit fons omniū dignitatū, quo & in quē omnes dignitates fluunt & refluunt, tanquā flumina de mari & in mare, vt elegāter loquitur *Bald. in c. vn. §. Iudices, de pac. iuram. firm. & Prepoſitus in c. vn. quæ ſint regalia*: Et cū Imper. ſit Dominus mundi, *l. Axioſis, ff. ad l. Rhod. de iact. & l. benè à Zenone, C. de quadrien. præſcript.* &c.

Poteſt autem Imperator non tantum maiora ſeu regalia, ſed minora feuda dare, ſiue poteſt non ſolum cum dignitate, ſed etiam ſine dignitate aliquem infeudare, *d. t. libr. 1. tit. 1. & lib. 2. t. 10.* Nam cui quod plus eſt licet, non debet quod minus eſt nō licere: Neque tātum ſecularia feuda Imperator conſtituere poteſt, verum etiam Eccleſiaſticas dignitates, vt: Epiſcopatus, Abbatias, & prælaturas alias ab ipſo petere & impetrare oportebat, priusquam Pontifices Romani iura Imperatoria, ita vt conſtat, diminuiſſent. Eius rei plurima extant documenta in Hiſtoriis rerum Germanicarum: nec rara etiam veſtigia in ipſo iure Canonico interlucent. Quæ diligenter annotauit *Hotom. in feudis & Giph.* ſed tamen & hodie ſi qua Epiſcopi habēt regalia, eorum inueſtituram ab Imperatore petere cogūtur, non minus quàm ſeculares Imperii proceres, *Vid. tit. 14. lib. 1. & t. 34. & 40. lib. 2. F.* eorumq; ratione etiā Imperatorem in expeditione comitari debent Epiſcopi, quod niſi faciant, Feudis ſuis priuari poſſunt. Quam ob rem ſcribit Guntherus Epiſcopum Bremenſem & Halberſtatenſem ſuis Epiſcopatibus exutos eſſe à Friderico 1. quod ipſo in Italiam proficiſcente domi remanſiſſent; qua de re infra vbi de cauſis amittendi feuda.

16. D. *Quid dicis de Cæſare ſeu rege Rom?*

M. Idem quod de Imperatore; nempe hunc quoq; feuda dare poſſe. Videte *Borch. c. 5. n. 26.*

17. D. *Quid de Rege Francorum?*

M. Et de rege Franciæ & de alio quouis non recognoſcente ſuperiorem, idem dicēdum eſt, videlicet eos omnis generis ac dignitatis feuda dare poſſe.

18. D. *Atqui Baldus & alii gloſſographi Franciæ regnum ſubiiciunt Imperio Romano?*

M. Fateor;ſed Gallici Iuriſconſulti aiunt, blandiendi cauſſa Imperatori hoc eos feciſſe, vide Ant.Contium: & prolixus atq; eruditus tractatus hac de re editus eſt à Io.Igneo ſub tit. *An Rex Fräciæ recognoſcat Imperatorē.* Gallorū argumentis reſpondet: *Fr. Zoannet. in Tract.DeRom.Imperio.* Ad hos remiſiſſe ſufficiat in præſentiarū. nam non noſtrum inter eos tantas cōponere lites,aut noſtras facere.

19. D. *Quid de aliis inferioribus principib. Iuris eſt, vt de Ducibus,Marchionibus,Comitibus,qui capitanei Regis vocantur?*

M. Hi in ſuis territoriis dicuntur eandem poteſtatem exercere poſſe quam Imperator in vniuerſo orbe Romano habet. vt ex *Paul. Caſtr. Alex. Grauatta, Rubino, Rolando à valle & Laurent.Kirchou.* receptum probat *Borch d. c. 5. n.* 37. ſed tamen magno errore hanc ſententiam receptam fatetur *Iacobinus de feud.* vt liceat hîc exclamare cum Vlp. *Vſurpatum hoc eſt, ſed nullo iure.* Nam multos imperitare malum eſt. Feuda tamen quin poſſint dare nemo dubitat.*per t.1.lib.1.*

20. D. *Quid dicis de cæteris, vt de Valuaſoribus regis ſeu regni & ſimpliciter Capitanei dicuntur? Item de Valuaſoribus minoribus, & deniq; de Valuaſorib. minimis, qui & Valuaſini.*

M. Hi quoque feuda dare poſſunt; excepto quod à minorib. Valuaſinis Valuaſoribus translatum nō cenſeatur Iure feud. de quo *Vid. t. 1. lib. 1. in §. notandum eſt, init. t. 7. & t. 16.*

21. D. *Quid de alioquouis Patreſa.plebeio homine, qui extra perſonas iam enumeratos habetur, iuris eſſe dicis?*

M. Communiter receptum eſt, poſſe quemlibet etiam plebeium atque ignobilem ſibi vaſallum aliquem conſtituere,allodio ſuo ſeu prædio libero ac patrimoniali in feudum ipſi conceſſo, vt probat *Zaſ. p. 5. num.* 31. *ex Baldo, Prepoſito & Innocentio: Et eſt ſententia Curtii in tract.feud. p. 2. q. 4. de feud. Laic.* Sed contrarium probabilius videtur *Franciſc. Duareno c. 6. in conſuet. feud.* tum quia text. in *t. 1. de feud.* loquatur de perſonis dignita-

dignitate præditis, non autem quouis indiſcriminatim velit feuda dari poſſe; tum quod ſenior in vaſallum exerceat Iuriſdictionem, vt eſt *Lib.* 1. *t.* 15. *lib.* 2. *t.* 46. & 55. Quod in plebeium & ignobilem cadere non poſſe conſtat. concedit tamen ſequendam eſſe hac in re cuiusque loci conſuetudinem.

22. D. *Sed nunquid etiam fœmina feudum dare poteſt?*

M. Poteſt, vt plerique conſentiunt. Fœmina etiam noui feudi inueſtituram facere, vt eſt *textus in* §. *fœminam, t. per quos fiat Inueſt. & probat Zaſ. d. p.* 5. *num.* 31. *cum duobus ſequent.* Qua in re duo ſunt ſingularia obſeruanda. Vnum, quod fœmina iure & more Longobardorum poſſit exercere Iuriſdictionem, quod a iure Romano abhorret, *l.* 2. *ff. de R. I. l.* 12. *cum prætor, ff. de Iudiciis.* Alterum eſt quod fœmina plus iuris videatur in alterum transferre, quam ipſa habeat, contra R. I. Cum fœmina regulariter non ſit capax feudi. Sed hoc eo minus tibi mirum videri debet, quod etiam I. ciuili poſſit quis interdum plus in alterum transferre, quàm ipſe habet, ſicut de vſufr. conſtituto ait *Paul. in l.* 63. *ff. de vſufr. & facit l.* 44. *ff. de acquir. rer. dom.* Deinde fœminam non perpetuo & ſimpliciter incapacem eſſe feudi, apparet ex eo, quod poſſit pacto inueſtituræ comprehendi atque effici, vt etiam fœminæ ſuccedant, quod feudum fœmininum dici ſupra audiiſti.

23. D. *Quid iuris eſt de rerum alienarum adminiſtratorib. vt: Tutorib. Curatorib. & procuratorib. num & hi feuda dare poſſunt.*

M. De procuratore quidem eſt *text. in iure Feud. libro ſecundo, titulo tertio, paragrap. ſed vtrum ipſe, & tit. vlt.* §. *item inueſtitura.* vbi dicitur: Inueſtituram poſſe & dari & accipi per procuratorem, ſiue nuncium. Sed nos hìc non tam quærimus an Inueſtitura conferri poſſit per alienarum rerum adminiſtratores, qua de re infra ſuo loco, quam illud, an hic perſonę feuda dare poſſint, inter quæ duo certè diſtinguẽdum eſt; inter Inueſtituram ſc. & Feudi dationem.

Si tamen ſpeciale mandatum procurator habeat, poterit bona domini ſeu principalis ſui in feudum dare. Tutor autem & curator antiqua pupillorum ſeu minorum ſuorum feuda renouare poteſt; noua autem concedere prohibentur, per rationem ſupra dictam. Quia ſine decreto prædia minorum alienare nequeunt. *Vid. Zaſ.p. 5. num. 40. & ſequent. Duaren. cap. 6. numero* 10.

24. D. *Poteſtne etiam vniuerſitas ſiue collegium aliquod dare feudum & vaſallum ſibi conſtituere?*

M. Poteſt. Et vaſallus vniuerſitatis alicuius nō tenetur ſeruire ſingulis de ea vniuerſitate; ſed ſatis eſt, ſi toti ſeruiat vniuerſitati, ſiue eius adminiſtratori, qui vniuerſitatem repræſentat; argumento eius quod in I. Ciuili dicitur de liberto municipii, eum non eſſe ſingulorum municipum, ſed totius municipii libertum. Vide *Hartm. Hartmanni lib. 2. pract. obſ. tit. de feud. obſ. 3. n. 4.*

25. D. *Poteſtne vaſallus alterum ſubinfeudare ſiue ſubvaſallum facere?*

M. Poteſt: Dummodo iisdem legibus, quibus ipſe accepit, vt docet idem *Hartman. obſ.* 38. *& ſequent. & Moz. c. 3. n. 26. auctoritate gl. in c. vnic. §. præterea, t. de cap. Conradi. Vid. & Andr. Knich. in Comment. de priuileg. Duc. Sax. c. 6.* Sed de hac re plura dicentur infra.

Capvt VI.

De his qui feudum accipere poſſint.

1. D. *Satis dictum videtur de perſonis Feuda dantibus. Nunc mihi velim exponas*, Qui feuda accipere poſſint?

M. De his primum obſeruabis regulam generalem, poſſe quemlibet feudum accipere, ſiue de eo inueſtiri qui non ſpecialiter prohibetur. Quæ ſumitur ex *d. tit. 3. lib. 2. §. perſonam vero.*

2. D. *Quinam ergo prohibentur?*

M. Feuda tenere non poſſunt clericus, mutus, ſurdus, cœcus, claudus vel aliter imperfectus, furioſus, item

tem fœmina feudum maſculinum, *tot. tit. 36. lib. 2. feud. An mutus vel aliàs imperfect. feud. retin.* &c. Ratio eſt: quia hi feudum deſeruire non poſſunt; vel ob ſtatum ac vitæ genus, vel ob vitium corporis, vel ob fragilitatem, & pudorem ſexus, vel ob mentis cæcitatem. Hic notabis, quod plerique Interpretes promiſcuè tractēt tum de iis qui primo feudum acquirere poſſint, vel non; tum de iis qui in feudum ſuccedere: Quæ tamen omnino diſtinguenda videntur: & de ſucceſſione infra peculiari cap. agendum.

3. D. *Ergone clericum negas Feudi capacem eſſe?*

M. Si ius ſpectemus & rationem, videtur omnino negādum; imò & per clericatum quis amittit feudum, cuius antea capax fuerat, *c. vn. in fin. de feud. fœm.* &c. *& c. qui clericus. Si de feud. controuerſia fuerit inter dominum & agnatos, & c. vn. d. t. 36.* Et ratio eſt, tum, quia portio clericorum eſt dominus, cui ſeruire debent, ſicut de Leuitis in vet. Teſtamento ſcriptum eſt, & egregiè explicat *Sulp. Seuer. in Hiſt. ſacra lib. 1. pag. 58. & ſeq.* Tum quia miles Chriſti non debet implicari negociis & militia huius ſeculi; quæ ſententia ex Apoſtolo Paulo deſumta etiam in l. Canonico refertur, *c. placuit 21. q. 3. Vid. §. qui clericus, lib. 2. feud. t. 36.* Sed ſi mores & communem opinionem ſequamur, quos etiam Ius Pontificium poſterius comprobauit, etiam clericus Feudum recipere, idque per ſubſtitutum ſeu vicariū deſeruire poterit, de quo *vid. Zaſ. p. 5. n. 71. & ſeq. Et Moz. c. 3. n. 19. & c. vlt. n. 12. & c. ex transmiſſa, ext. de foro compet.* Et quidem ſi clericus feudum obtineat à Laico eius ratione ipſi ſubiicietur; ita vt ad tribunalia Laicorum vocari poſſit. *c. Cæterum, ext. de Iudiciis, & ibi Cuiac.* Cum aliàs non poſſit clericus niſi coram Eccleſiaſtico iudice conueniri, nec renunciare fori præſcriptioni. *c. ſi diligenter, ext. de for. compet.* Vbi hac de re prolixè *Cuiac. in recit. et idem ad l. 38. ff. de pact. Vide Hartm. Hartmanni obſ. 4. t. de feud.*

4. D. *Quid ſi clericus feudum non ſolum perſonæ ſuæ, ſed Eccleſiæ datum, ſua culpa & Felonia perdat, nocebitne hoc delictum prælati Eccleſiæ?*

M. Hac de re dicetur commodius infra cum de a-

miſſione feudi agetur. Interim vide §. *item ſi clericus, tit. de cap. Conradi. Et Gunther. libro primo de geſtis Friderici.*

5. D. *De ſerui inueſtitura quid dicis? poteſtne etiã ſeruus feudum recipere?*

M. Seruus aut proprius inueſtitur aut alienus. Si proprius, valet inueſtitura, & per hoc ipſum ſeruus cenſetur manumiſſus, vt ſimul & feudum & libertatem conſequatur, *argumento* §. 1. *Inſt. de hered. inſtit.* Quia ſeruus militare non poteſt, *l. ſuper ſeruis, C. qui mil. non poſſunt.* Sin alienus, valet item inueſtitura, dummodò à ſciente facta, & acquiratur feudum domino eius. De quo *vid.* §. *perſonam, tit. per quos fiat inueſt. & Zaſ. p. 5. num. 62. cum ſeq. & Hartm. d. t. de feud. obſ. 1.*

6. D. *Quid ſi Monachus inueſtiatur?*

M. Sicut domino per ſeruum; ita monaſterio per monachum acquiretur feudum, dum tamen illud ſit eiuſmodi, cuius capax ſit monaſterium. *Zaſ. num. 64. & Nic. Eberh. in loco à ſeruo ad Monachum.*

7. D. *Quid de filiofam. ais?*

M. His quoque feudum acquirere poteſt: Quod erit peculium ipſius aduenticium, & quidem licet aliàs bonorum filii aduentitiorum pater habeat vſumfruct. quod ad *tit. Inſt. per quas perſon.* &c. audiuiſti ex *l. 6. Cod. de bon. quæ lib.* tamen feudi, quod filiusfamil. accipit vſusfruct. patri non acquiritur. *teſt. Zaſ. d. num. 64.* Et latius probat *Borch. c. 5. c. 48.* Vbi & ratio redditur: quia ſcilicet inter Dominum & Vaſallum ita conueniſſe videtur, vt vſusfruct. penes filium remaneret, nec patri acquireretur. Quod autem hîc de adoptiuo & naturali filio interpretes afferunt, id pertinet ad locum de ſucceſſ. Feudi. eoque merito præſeruatur.

8. D. *Quid de pupillo & minore Iuris eſſe dicis? poſſunt hi quoque de feudo inueſtiri?*

M. Poſſunt etiam quidem tàm in perſona propria, ſiue per ſe, quàm per Tutores & Curatores. Ita tamen, vt iuſiurandum fidelitatis vſque ad tempus perfectæ ætatis differatur, §. *ſi minori, t. ſi de feud. controuerſ. fuerit*

inter

inter dominum & agnatos, & §. ſi quis deceſſerit, lib. 2. F. t. 26. Zaſ. p. 5. n. 66. & Borch. c. 5. n. 46.

9. D. *Quid de fœmina?*

M. Dixi fœminam non eſſe capacem feudi maſculini: quale eſt regulariter omne feudum. Poteſt tamen pacto hoc effici, vt etiam fœmina feudi ſit capax, de quo vid. *tit. de feud. fœm. & §. filia, tit. de ſucceſſ. feud. & tit. de eo qui ſibi vel hæred. ſuis maſc. vel fœm. in-ueſt. accipit.*

10. D. *De Hermaphrodito, ſeu androgyno quid ais?*

M. Etiam Hermaphroditus inueſtiri de feudo poteſt, ſi in eo præualeat ſexus virilis, *argumento l. quæritur, ff. de ſtat. hom. Borcholt. d. cap. 5. num.* 45. *Aluarot. in c. vn. An mutus vel aliter imperfectus, numero* 8. *Bald. in cap. vn. de alienat. feudi paterni, & in cap. vnic. de alien. feud.*

11. D. *Quid de furioſo & demente dicis?*

M. Furioſus quoque tametſi in feudo ſuccedere non poſſit: tamen ab initio de eo inueſtiri poteſt: quia ſibi imputari debet, quia ſciens ipſi confert feudum. *Vid. Borchold. numero* 50. *d. cap.* 5. Quod tamen de manifeſtè furioſo putauerim intelligendum, non de eo, qui ſub obtentu inumbratæ quietis latet.

12. D. *Poteſtne etiam ruſticus inueſtiri?*

M. Poteſt. Et quidem ruſticus fit nobilis, ſi feudum acceperit, cuius conditio hoc exigit, & ſi ab eo, qui facultatem habeat nobilitandi, teſte *Zaſ. p. 5. numero* 68.

13. D. *Poteſtne etiam Maritus ab vxore feudum accipere in dotem?*

M. Poteſt mulier feudum habens marito id in dotem dare, ſed tamen ita, vt non adponatur pactum de lucranda dote. *Vid. Iul. Clar. quæſt.* 36. *& Zaſ. p.* 8. *numero* 70.

14. D. *Eſtne ſemper neceſſe, vt is, qui feudum accipit, inferior ſit per omnia eo, qui dat feudum?*

M. Hoc neceſſarium non eſt. Nam & papa & Imperator Feuda quædam etiam ab inferiori-

bus accipere poſſunt, teſte *Zaſ.p.5. n.* 73. ſed tũ per ſubſtitutas perſonas & fidelitatem iurabunt & ſeruient ei, à quo feudum acceperunt.

CAPVT VII.

De Rebus, in quibus feudum conſiſtere poſſit.

1. D. *Abſolutis perſonis dantibus & accipientibus feuda, proximum videtur, vt quæramus de rebus in quib. tanquam in materia feudum conſtitui & conſiſtere poſſit vel non. Quibusnam igitur in rebus feudum conſtitui poteſt?*

M. Eſt id quidem iam ſupra in definitione Feudi breuiter indicatum; ſed hoc loco nonnihil latius explicandum. Igitur primò hanc tenebis regulã: Feudum tantum in rebus ſoli ſeu immobilibus aut ſolo cohærentibus; aut iis, quæ inter immobilia connumerantur, conſiſtere poſſe, vt eſt *text. in lib. 2. t. 1. §. vlt.* Res ſoli ſiue immobiles quænam ſint, in *Inſt.* audiuiſti. Res ſolo cohærentes gl. quidem ad *d. §. vlt.* intelligit fructus pendentes; qui dicuntur pars eſſe feudi in *l. fructus pendentes, ff. de R.V.* Sed melius videtur, vt intelligamus ſuperficiem vel ædificia, *argumento l. 1. ff. de vi & vi armat. l. 10. ff. quod vi aut clam.* Denique res, quæ inter immobilia connumerantur ab Interpretib. vocãtur *æquipollentes*, vt ſunt, verbi gratia pẽſiones quædam de camera, vel de cauena (quod tamen feudis impropriis ac degenerantib. ſupra diximus annumerari) Item huiusmodi ſunt *panes*, qui vocantur *Ciuiles*, de quib. in *l. vlt. §. præterea, C. de iur. dot.* Item *teſſeræ frumentariæ, ſportulæ, annui reditus*, ſiue illi dentur de re immobili ſiue etiam de re mobili, dummodo ab aliqua negociatione vel loco commercii. Vide *Zaſ. d. p. 4. num. 9. Borch. c. 6. num. 15. Et Moz. n. 7. & 9.* Item Actiones pro reb. immobilib. competentes, vt ex *Ant. Gabr. & Andr. Gail. aliiſque probat Borcholt. n. 16.* Item huc pertinent ſeruitutes prædiorum. In his igitur omnibus feudum conſtitui poteſt. At contra in reb. mobilibus, quæ ne quidem æquipollent immobilib. conſtitui non

tui non poteſt. Vt admonet *gl. in c. vn. ſi vaſallus ab aliquo interpell.*&c.

2. D. *Quæ eſt huius rei ratio, cur, inquam, feuda nõ niſi in rebus immobilibus aut æquipollentibus conſtitui poſſint?*

M. Primum, quia feuda in perpetuum conceduntur, vt etiam ad vaſalli deſcendentes & agnatos pertineant, vt patuit ex definitione feudi, ſupra relata ex Oberto Orteſio. Atqui res mobiles non ſunt perpetuę, ſed fere vtendo conſumuntur, & ſunt commutabiles, ſicut Cic. in Paradox. cõmutabilia *pecuniæ membra* appellat. Altera ratio eſt, q̃a feuda ita debẽt dari, vt proprietas remaneat penes ſeniores, & in accipientem tantum ius quoddam transeat in rem, ſimile vſufructui. Quod idem ex definitione Hortenſii patet. Atqui hoc in rebus mobilibus, quæ vſu conſumuntur ac depereunt, fieri nequit, *argumento tit. ff. de vſufr. earum rer. quæ vſu conſum. & §. conſtituitur, Inſt. de vſufr.*

3. D. *Sed illarum rerum, quæ vſu conſumuntur poteſt conſtitui vſusfr. mediante cautione ex Senatusconſulto vt audiui ad d. §. conſtituitur: Poteſtne igitur feudum in illis conſtitui interueniente cautione, de æſtimatione earum reſtituenda?*

M. Quamuis nonnulli feudiſtæ hoc fieri poſſe exiſtimarint, vt *Iac. Ardizo, Blanchus, Matth. de Afflict.* quem & *Moz. ſequitur c. 4. num. 17. verſ. tertio fallit*: tamen verior eſt ſententia *Andreæ de Iſernia*, quam & *Zaſ. num. 21. & Borch. n. 34.* aliique putant non poſſe; quia contra naturam feudi ſit, vt in accipientẽ etiam proprietas rei in feudum datæ transeat. Deinde magna eſt differentia, inter vſumfruct. qui longe facilius amittitur, & feudum, & adeò quidẽ hæc feudi conceſſio nõ valebit, vt nec iuſiurandum fidelitatis de eiusmodi rebus interpoſitum valeat, aut iurãtem obliget, *argumento l. non dubium, C. de ll.* Et hæc fuit ſententia Iſerniæ, quam probat *Zaſ. p. 4. n. 22.* licet alii voluerint valere, ſi non tanquam feudum, ſaltem vt contractum innominatum.

4 D. *Ergone nullo vnquam caſu feudum in re mobili conſiſtere poteſt?*

M. Excipiunt quidam duos caſus. 1. Si mobilia dantur acceſſoriè cum immobilibus, vt ſi res mobiles, quæ in fundo ſunt, dantur cum ipſo fundo in feudum. 2. Si pecunia detur in locū feudi euicti, de quo vide apud *Moz. n.* 17. Reliquæ verò duæ exceptiones, quas ibidem affert, mihi non probantur.

5. D. *Sed Molendinum eſtne rebus mobilibus, an immobilibus annumerandum, vt ſcire poſſim, an in eo feudum poſſit conſtitui?*

M. Hîc diſtinguendum inter molendina ſolo cohærentia, vt quorum ſtipites in terra ſunt defoſſi, *argum. l. granaria, ff. de act. empti*: & inter ea quæ in aquis natant. Illa enim rebus immobilibus connumerantur; hæc pro mobilibus habentur, ſicut & naues. *Vide Borch. ſub n.* 11. *c.* 6. *& paulò aliter Moz. n.* 8.

6. D. *Dixiſti de penſionibus & prouentibus, ſiue reditibus eos in feudum dari poſſe. Poteruntne igitur promiſcuè omnes vndecunque etiam percepti?*

M. Imò ex quæſtu turpi obuenientes non poſſunt in feudum dari. argumento eorum, quæ de mādato rei turpis, item de ſocietate & ſtipulatione rei turpis in Inſt. audiuiſti, & facit *l. generaliter, ff. de V. obl.*

7. D. *Satisne ergo eſt, ſi res ſit immobilis ad hoc vt feudum in ea conſtituatur?*

M. Imò oportet hoc amplius etiā eſſe eam in commercio, ſiue cōmercialem, vt Zaſius loquitur. Nec alienari prohibitā vel per legem, vel per cōſuetudinem, vel per ſtatutum, vel per teſtatorē. Nam primò ſi commercio res ſit exempta, vt ſi ſit ſacra, ſi religioſa, ſi ſancta, ſi publica, quoniam alienari non poteſt, etiam in feudū concedi nequit, cum omnis in feudū datio ſpecies ſit alienationis, vt ſupra dixi. Et probatur in §. *ſed etiam res, t. per quos fiat inueſtitura.* De rebus autem illis commercio exemtis, quæ & cuiuſmodi ſit, in *Inſt. t. de rer. diuiſ.* audiuiſti, vt hîc repetere non ſit neceſſe. Porro de prohibitione alienationis facta vel per legē, vel per conſuetudinem, vel per ſtatutum, vel per teſtatorem, *vide Borch. n.* 10.

8. D. *Sed cum nonnullis caſibus liceat etiam res ſacras*

eras alienare, vt memini te ad Inſtitutiones annotare, poteruntne illis caſibus & in feudum dari?

M. Poterunt quidem, argumento à Maiore ducto: nam cũ poſſint vendi iis caſib. aut permutari, poterũt vtiq; multò facilius etiã in feudũ dari. Etenim venditio & permutatio continent omnimodam alienationem, per quam ipſa quoq; proprietas transfertur: Atqui feudi datio relinquit proprietatẽ penes dantem, ac tantum ius quoddam in rem transfert in accipientem. Atq; hæc prima ſit exceptio de rebus ſacris.

9. D. *Eſtne ergo & alia Exceptio?*

M. Eſt: ſi nimirum aliis rebus profanis in feudum datis acceſſerint vel ſacræ vel religioſæ; quo caſu in conſequentiam valet eorum infeudatio, *argumento, l. hanc, cum duabus ſeqq. ff. de contr. empt. & l. quoties, Cod. de iudiciis, & l. ſi quis nec cauſſam, ff. de reb. cred. Facit & cap. ex literis, extr. de iure patron. Vide Borch: c. 6. num: 9.*

10. D. *Quid de rebus Eccleſiaſticis dicis, ſuntne eodem iure cum ſacris conferendæ?*

M. Imò ab iis diſtinguendæ. Nam res Eccleſiæ & iure Pontificio & de conſuetudine poſſunt in feudum dari, idq; cum conſenſu capituli, ſi iam primum de nouo infeudentur, vel etiã à ſolo Prælato ſine capitulo, ſi res ſint ſolitę infeudari, & ſi viderit Eccleſiæ hoc expedire, vt ait *Pontifex c. 2. ext. de feud.* Qua de re paulo ante dictum eſt in loco de perſonis feuda dantibus.

11. D. *Quid de decimis iuris eſſe ais? Num hæ quoque Laicis in feudum dari poſſunt?*

M. Decimas, aiunt Canoniſtæ iuris eſſe diuini, cum Deus ipſe eas ordinârit, & ſacerdotibus attribuerit ad conſeruationem cultus diuini: ideoque Laicis negant eas competere. Cum autem peruerſa quædam conſuetudo inualuiſſet in contrarium, vt ſcilicet etiam Laici decimas detinerent, vel titulo feudi, vel etiam iure allodii, & aliis quoque rurſum eas iure feudi concederent, tandem concilium Lateranenſe Romæ habitum id prohibuit, cuius meminit *Innocentius III. in cap. cum Apoſtolica, extr. de his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli.* Confer *cap. 19.*

prohibemus, *ext.de decim.*itemq; *c.* 15. *&* 17. *eod. & Guidonem Papam deciſ.* 283. *Vide etiam Tib. Decian. Reſponſ.* 22. *num.* 31. *volum.* 1. Si quæ tamen ante illud concilium à Laicis poſſeſſæ fuerunt decimæ, ipſis relinquuntur,cum ſicut leges, ita & canones regulariter tantum futuris negociis formam dent; non autem in præteritum vel retrò ferantur.

11. D. *Quid ſi Decimæ à Laico ad Eccleſiã reuerſæ fuerint, poteruntne rurſus infeudari vel alteri concedi in feudum?*

M. Placet ſententia negantium; quam refert & ſequitur *Zaſ.p.*4.*n.*26.*itemq; Moz.c.*4.*n.*19.

12. D. *Quid autem in vniuerſum putas ſentiendum de iis,qui donatas & relictas Eccleſiæ liberalitate maiorũ poſſeſſiones decinent, & in rem ſuam vertunt?*

M. Odioſa hæc eſt quæſtio: de qua malim te cognoſcere aliorum iudicia grauiſs.virorum,& cum primis *Ioan.Riuii,lib.*2.*De conſcientia,pag.*43.*edit.Baſil.*

13. *Poteſtne etiam iurisdictio in feudum dari?*

M. Maximè,non minus certè, quàm ius venandi, ius piſcandi, ius lapides cædendi: de quo *vid. Zaſ.d.p.* 4. *n.* 19. *& ſeq.* Imò re immobili, puta caſtro aliquo in feudum conceſſo ſimul etiam iurisdictio illi cohęrens conceſſa videtur, *Zaſ.d.n.*20.*p.*4.*& Borch.c.*6.*n.vlt.Moz. n.*16.*c.*3.

14. D. *Quid ſi res aliena in feudum data ſit à non domino, valetne infeudatio?*

M. Sicut rei alienæ emtio, venditio valet, propter libertatem commerciorũ, & manet res penes emptorem donec euincatur, & emptori auferatur, vt audiuiſti ad *tit. Inſt. de empt. & vend. ex l.* 28. *ff. de contrah. empt.* (non enim cogitur venditor rem emtoris facere vt is,qui ſtipulanti ſpondit rem dare, *l.* 25. *ff. de contr. empt.* Quod pluribus demonſtrat *Giph. in diſp. de act. empti.*) Ita etiam res aliena in feudum dari poteſt, vt habetur expreſſum, *lib.*2.*feud. tit.* 8. *& tit.*25. Quòd ſi verus rei dominus vaſallo litem mouerit de proprietate,debet vaſallus auctorem ſuum laudare, ſiue vt Feudiſta loquitur,dominum vocare, id eſt,denunciare ſeniori ſuo atque ab eo petere vt liti ſubſiſtat, ſeque in

iudicio defendat: Quod planè concordat cum iure ciuili *l.* 29. §. *fin.* & *l.* 63. & *ibi Budæus in annot. ad ff^a. ff. de euict.* Quod ſi res fuerit euicta, & vaſallo per iudicium ablata, de euictione agere poterit contra ſeniorem, vt vel aliud reſtituat feudum, quod ſit eiuſdem æſtimationis, bonitatis & quantitatis, cuius fuit tempore rei iudicatæ illud, quod euictum eſt (quod *Cambium* feudi petere dixit Feudiſta *d. tit.* 25. eleganti vocabulo; *Cambium* enim idem eſt quod permutatio, *libro primo feud. t.* 4. & *tit.* 22. quæ etiam dicitur *Cambitas* in veteri gloſſario, *ἀντιμεταλλαγὴ, Cambitas, permutatio*. Et *Concambium*, teſte *Cuiac. in Recitation. Decretali*: & *Cambire* idẽ valet quod permutare, quod extat apud *Priſc. lib.* 10. & *in d. vet. gloſſario* non ſemel *ἀνταλλάσσω ſummuto*, (f. leg. *commuto*) *Cambio*. Et alibi: *ἐναλλάσσω, muto, immuto, commuto, cambi, campſi*: pro quo leg. *cambio, campſi.*) vel nummos in feudum dandos numerare cogitur, id eſt, præſtare litis æſtimationem, *d. t.* 8. & *t.* 25. *F.* 2. *vide Borch de feud. c.* 9.

15. D. *Quid ſi vaſallus auctorem laudare prætermiſerit, ſi non denunciauerit ipſi?*

M. Non habebit de euictione actionem, *argumento l. ſi feudo* 53. §. 1 *ff. de euict.* Et dominus cogitur ratum habere, quod vaſallus ſuo nomine egit, vt eſt *textus lib.* 2. *feudi t.* 26. §. 23. & *t.* 41. quam delirationem feudiſticã & quidem intolerabilem eſſe, ait *Hotom.* cum res inter alios acta, aliis non debeat nocere, & cum nemo niſi ſuum ius in iudicium deduxiſſe cenſeatur. Proprietas autem feudi non pertinet ad vaſallum, ſed manet ſenioris.

16. D. *Quid ſi vaſallus ſciuerit, rem, de qua inueſtiebatur, alienam eſſe?*

M. Hoc caſu de euictione agere non poterit, niſi pacto ſpeciali ſibi proſpexerit, vt ait *d. l.* 8. i. niſi a ſeniore ſtipulatus fuerit euictionem. In vaſallo igitur, vt de euictione agere poſſit, requiritur ignorantia rei alienæ; quod idem ex l. ciuili ſumptum eſſe rectè obſeruauit *Hotoman.* videlicet ex *l. ſi fundum, Cod. de euict.* At ſenior ſiue ſciuerit ſiue ignorauerit rem quam alteri in feudum dederit alienam eſſe, ea eui-

ctâ indiſtinctè tenetur, dummodo vaſallus ipſi denunciauerit, vt habetur dd. locis, & vid. *Zaſ. p. 6. num. 18. & latius Borch. c. 9.*

17. D. *Quid interim fiet, dum lis euictionis pendet, cogiturne vaſallus ſeruitia præſtare domino?*

M. Omninò. Quia cum interim percipiat cõmoda ex feudo, ſecundum naturam eſt vt etiam onera ferat, *argumento l. 10. ff. de R. I. & c. qui ſentit, de R. I. in 6.* Ita *Balb. & Aluarot. ad d. t. 8.*

18. D. *Atqui feudum eſt beneficium & donatio. Donatario autem de re donata euicta non competit actio euictionis aduerſus donatorem, niſi per ſtipulationem promiſſa fuerit euictio. E. neque vaſallus euicto feudo cum ſeniore agere poterit?*

M. Verum quidem, donatorem de euictione non teneri, *l. Ariſto. § fin. ff. de donat.* quia lucratiuæ rei poſſeſſor ab euictionis actione ipſa iuris ratione depellitur, vt ait *Paulus libr. 5. ſent. tit. 11. §. inuitus.* Cuius iuris ratio eſt, ne ex ſua liberalitate quis damnum ferat, quod eſſet iniquum, *Cuiacius ad d. loc. Pauli.* Excipitur primo, niſi donatarius à donatore ſtipulatus ſit euictionem, *l. 2. Cod. de donat. & Paulus, d. §. inuitus,* in illis verbis: *nec eo nomine, niſi promiſerit, oneratur.* Ita enim legendum, pro eo, quod vulgò: *Si promiſerit.* Sicut vice verſa in *l. 15. Poſt contractum, ff. de donat.* pro, *niſi*, reſtituendum puto, *Si.* Ratio huius primæ exceptionis eſt, quia hoc caſu donator ſuo iuri renunciauit, cum ſtipulanti promiſit euictionem, hoc autem vnicuique liberum eſt, ſuo iure non vti. *l. pen. Cod. de pact. Et Cicero pro Balb.* Altera exceptio eſt: niſi donator ſciens rem alienam donauerit ignoranti, & donatarius magnas impenſas in eam fecerit: quo caſu actione de dolo poterit conueniri, *d. l. 18. in fin. ff. de donat.* adiuuari enim nos, non decipi beneficio oportet, vt eleganter ait Paulus in *l. 17. §. ſicut, ff. Commodati.* Sic, inquam, res habet in donatione. Sed de feudo ſcire debes, quamuis ſæpiſſimè dicatur beneficium, (vt in *tit. an maritus ux. ſucced. in beneficio.* Item *tit. de beneficio fratris.* Item: *de capitaneo qui curiam vendidit*, an cenſeatur beneficium ven-

um vendidiſſe; Item *de controuerſia inter maſculum & & fœminam de beneficio*; Item, *de fratribus de nouo beneficio inueſtitis*. Item, *quæ fuit prima cauſſa beneficii amittendi*, & paſſim in ipſis textibus) tamen non eſſe donationibus, ſed potius contractibus annumerandum, propter mutuam, quæ inter ſeniorem & vaſallum eſt, obligationem, vt ſupra demonſtrauimus. Accedit, quod feudum non modò per donationem, ſed ſæpè per emptionem etiam conſtituitur.

19. D. *Audiui de re aliena in feudum data, quid autem de re communi iuris eſt?*

M. Poteſt vnus ex pluribus dominis eiuſdem rei facere inueſtituram de ſua parte. Quo caſu vaſallus inueſtitus, poteſt eum, cum quo rem communem habet, fortè nolentem diuidere cogere, per iudicem vt diuidat. Ita eſt text. in *t.* 58. *libro ſecundo*, §. *item ſciendum eſt*. Ratio: quia res communis pro indiuiſo poteſt quouis modo per ſocium alienari, etiam reliquis inconſultis, vt: poteſt donari, legari, vendi, &c. *l.* 12. *C. de donat. l.* 1. *& l.* 3. *Cod. de communium rerum alienatione, l.* 5. §. 1. *de leg.* 1. Sed poſtulata iam diuiſione, res communis amplius in feudum dari nequit, *argumento l.* 1. *Cod. communi diuid.* De diuiſione autem quod dixi, eius ratio eſt: quia nemo inuitus in communione tenetur, *l. vlt. Cod. commun. diuid. l.* 26. §. *ſi certum. ff. de cond. indeb.* vt eſt ad Inſt. audiuiſti, cum agerem de *q. contract.* Itemque *de action. communi diuid. & famil. erciſc.* Item ad *tit. de ſocietat.* Vnde poteſt quilibet ex ſociis, inter quos res communis eſt, ad diuiſionē prouocare cæteros.

20. D. *Quid ſi iniqua facta ſit diuiſio, quomodo ea corrigetur?*

M. Si vaſallus ſe læſum eſſe dicat, & petat adæquationem, ſiue vt diuiſio perperam facta in melius reformetur: quod ius ipſi competit ad 40. annos, teſte *Alex. ad* §. *item ſciendum, d. t.* 58. ſumpſerunt hoc Longobardi ex l. ciuili *l.* 17. *C. de collat. l.* 3. *C. communia vtri. iud.*

21. D. *Sed eſtne hoc caſu neceſſarium, vt læſio facta ſit ſupra dimidium iuſti precii.*

M. Ita quidem vulgò volunt, *argu. l.* 2. *& l.* 8. *C. de re-*

*ſcind.vend.*ſed malè,vt probat *Forner.cap. 9. de feud.*

22. D. *Quid autem de re adhuc ab alio poſſeſſa, ſiue de feudo nondum aperto,poteſtne dominus alterum inueſtire, priore vaſallo adhuc ſuperſtite?*

M. Ad hanc quæſtionem ſufficere tibi poſſunt,quę ſupra dixi cum de perſonis Eccleſiaſticis feudum dantibus, ageremus. *Vid. Iulium Clar. quæſt.* 14. *& Guil. Forn.d.cap.*9. Vbi referunt quidem primo vulgarem ſententiam, diſtinguentium inter purè factam inueſtituram & conditionalem; quarum hanc valere aiunt, illam non item, vt habetur in *t. 9. & t. 26. libro primo.* Sed tamen rectè admonet idem *Clarus in fin. d.quæſt.* melius facturum, qui ab eiuſmodi inueſtituris abſtinuerit, ne inducatur votum captandæ mortis, *argumento l. vlt. Cod. de pact.cum ſimilibus & Forn.* annotat hoc genus inueſtituræ velut inſidioſum, & nefaria cogitatione alienæque calamitatis expectatione plenum in ſacerdotiis eſſe ſublatum per Concilium Lateranenſe, de quo eſt in *capite ſecundo & tertio, extr. de conceſſ. præbend. vid & Zaſium, par. 6. numero* 21.

23. D. *Poteſtne res ab alio in feudum accepta, alteri in feudum concedi?*

M. Vulgo receptum eſt, fieri poſſe ſubinfeudationem (ſic enim vocant) & quidem etiam inuito ſeniore, dummodo ſine fraude ſeu bona fide faciat, & ſubinfeudatus ſiue ſubrogatus eiuſdem ſit conditionis & qualitatis, cum primo vaſallo, ſiue æquè ſit idoneus ac ſufficiens, & denique iiſdem quoque pactis & conditionibus, quibus quis feudum accepit. Hæc enim tria requiruntur. Vide *Iulium Clarum quæſtione triceſimaſecunda, n.*4. Sed *Hotom.* contra omnium ſententiā & interpretationem contendit, ius illud, quo vaſallis licuit feudum ſibi datum alteri in feudum concedere, per conſtitutionem Friderici abrogatum eſſe. Ita ille in *diſp. Feud. c.*37. *& in Comment. ad librū ſecundū feud. t.* 55. & in eandem ſententiam inclinans *Iulius Clarus d. quæſtio.*32. *numero primo,*ſcribit, ſe nondum potuiſſe apud doctores reperire bonam aliquam rationem, cur ſtante generali prohibitione

bitione alienationis feudi permittenda ſit ſubinfeudatio, cum nulla ſit idonea ratio exceptionis ſiue ſpecialitatis, vt loquitur. Accedit & hæc ratio, quia non debet cuiquam ſocius obtrudi inuito. Præterea cum dominus non poſſit feudum alienare, ſiue proprietatem ſuam in alium inuito vaſallo transferre, ne videl. cogatur quis habere ſeniorem, quem non vult, cur nõ eadem ſit & valeat æquitas, etiam in perſona vaſalli? Sed de ſubinfeudatione infra plurib. agemus.

CAPVT VIII.

De modis conſtituendi & acquirendi feudum: Et primò quidem de INVESTITVRA, *tam propria quàm Abuſiua, deque huius ſymbolis ac ritibus. Vbi digreſſio eſt in locum communem de Solemnibus.*

1. D. *Expoſito & de perſonis & de rebus, poſteaquam cognoui & quis & cui & quid in feudum concedere poſſit vel non poſſit, proximum iam eſſe videtur, vt quæramus quomodo feuda conſtituantur & acquirantur: Quot igitur ſunt modi conſtituendi ſeu acquirendi feudi?*

M. Primum illud velim te admonitum, ſicut *Paulus lib. 3. ſent. t. 6.* acute & ſubtiliter diſtinguit inter vſumfructum amiſſum & finitum. Quæ duo alii pro eodem ſumunt promiſcuè: ita etiam Giph. ſecutus *Ant. Cont. in meth. Feud. cap.* 7. ſubtiliter diſtinguit inter conſtitutionem feudi & acquiſitionem. Et conſtituendi quidem feudi modos facit quinque: 1. *Donationem.* 2. *In dotem dationem.* 3. *Emptionem.* 4. *Permutationem.* 5. *Præſcriptionem.* Acquiſitionis verò modum vnum, videl. *Succeſſionem* & *Inueſtituram* potius refert ad conſtitutionem, quam ad Acquiſitionem feudi: ſed certè quod conſtituitur, idem & acquiritur: ſicut quod finitur, idem & amittitur, & contrà. Vnde vulgo conſtitutionem feudi cum eiuſdem acquiſitione confundunt, vt & *Hotom. qui in diſp. feud. cap.* 17. *& in comment. ad t.* 1. *li.* 2. ſex facit modos quibus feudum acquiratur. 1. *Donationem.* 2. *Emptionem.* 3. *Permutationem.* 4. *Succeſſionem,*

5.*præſcriptionem.6. Inductionem in poſſeſſionem*, ſiue *traditionem.* Quam tamen etiam facit partem Inueſtituræ in *cap.26.Ant.Cont.*& hos ipſos modos affert & inſuper addit alios, vt per *vim bellicam.2.per legatum in teſtamento.3.per diuiſionem hæreditatis.* Sed non video, qua ratione hanc ſeparet à ſucceſſione, à qua certe tota dependet. *Obert.Hortenſ.lib.2.tit. 1.de feudi cognit.* duos tamen nominet modos, *Inueſtituram* & *ſucceſſionem.* Sciendum eſt, inquit, Feudum neminem poſſe acquirere, niſi inueſtitura aut ſucceſſione. Eoſdemque repetit in *princ. tit. 33. de conſuet. recti feudi.* Item in *princ.t. de ſucceſſ. frat.* Alibi tamen addit feudiſta tertium quoque modum acquirendi feudi, nempe præſcriptionem, ſiue poſſeſſionem 30.annorum vt in §.*ſi quis per triginta annos, li.2.tit. 26.*& hic modus indicatur etiam in *d.t.33.*illis verbis: *Si alius probauerit, ſe aliquid nomine feudi aliquo tempore tenuiſſe.* vbi vide gloſſ. Hinc vulgo tres acquirendi feudi modi eſſe perhibentur: *Inueſtitura, Succeſſio* & *præſcriptio,* de quib. nos quoq; eodem ordine dicemus: vbi & hoc priùs admonuerimus, etiam alium quendam modum acquirendi feudi poni à Ferrarieſi in forma libelli, quo agitur ad reuocationem feudi, & à *Nic. Moz. c.5. nu.32.* Nempe delictum vaſalli, ob quod feudum ipſi ablatum ad proximum agnatum transfertur, de quo dicemus, infra ſub capite: *Feudum amiſſum ad quem redeat.* Sciendum tamen, non tam hunc eſſe modũ acquirendi feudi quàm occaſionem aliquam, per quam feudum ab vno ad alium tranſeat: & poteſt hoc etiam quodammodo referri ad ſucceſſionem. Nam is cui feudum ademptum eſt ob delictum, pro eo habetur, ac ſi mortuus eſſet, ideoq; locum facit proximo agnato. Si tamen verum fateri volumus, ſola *Inueſtitura* videtur eſſe modus feudi acquirendi. Vnde & feudiſta ait: Feudum ſine Inueſtitura nullo modo conſtitui poſſe, *li.1.feud.t.25. & ibi Bart.* Reliqui verò potius ſunt tituli acquiſitionis, vt pro donato, pro Emptore, pro hærede, &c. Quorumq; autem nomine feudum aliquis quæſiuerit, ſemper Inueſtitura quoq; requiritur, ſine qua, vt iam dictum, nullo modo feudum conſtitui poteſt. In præſcriptione autem ſiue longiſſime temporis poſſeſſione continua præſumitur

etiam

etiam Inueſtitura interueniſſe ab initio, vt eſt *d.t.26.& t.33.lib.2.feud.*

2. D. *Primum igitur liceat mihi quærere de Inueſtitura, quid verbi ſit?*

M. Inueſtitura, quæ & *Inueſtitio* dicitur *li.1.feud.t.26. & t.28.* & *Veſtitura*, vt docet *Hotom. in Dictionario feudali*, ab *inueſtiendo* deriuatur. Sed an verbum *inueſtire* hoc ſignificatu ſit Latinæ originis, nec ne, ambigi video. Communis eſt ſententia (quæ & mihi probabilior videtur) non eſſe Latinum, ſed potius Germanicæ originis, à nomine Veſt/quod firmum ſignificat, vnde etiã in titulis poni ſolet Ehrnueſt, q. d. retinens & ſeruans honoris; hinc verbũ veſtigen & beveſtigen/id eſt, *firmare*: & ſic *Hotom. in diction.* Contius tamen, vt & Cuiacius, mauult Latinum aſſerere: quia ſc. etiã in veteri formula Emptionis ſic habeatur: *Tu venditor fuſte illum inueſtito. Tu emtor fuſte illum manu capito.* Quam formulam Cuiac. refert in *libr.2.feud. ad tit.* 3. & integram ponit *Barn. Briſſon. libr. 6. de form.* Sed non videtur ea formula eſſe valdè antiqua. Eſt igitur *inueſtire* propriè poſſeſſionem alicui tradere, ſiue poſſeſſionem alicui confirmare, ſeu ſtabilire: ſicut contra *deueſtire*, eſt poſſeſſionem alicui adimere ſeu auferre: quod etiã Feudiſtæ & Hiſtorici appellarunt *exfeſtucare*. Sic ait *Feudiſta li. 1. t. 7.* Principem non poſſe capitaneos ſuos ſine culpa deueſtire, quod alius tit. ſic effert: *De feudo ſine culpa non amittendo.* Sic *reueſtitus* dicitur, cui res aliqua eſt reſtituta.

3. D. *Quotuplex eſt Inueſtitura?*

M. Duplex: *Propria* & *Impropria*, ſiue *abuſiua*; quam & *q. Inueſtituram* vocare licet, vt *lib.2.feud. tit.2.* Quid ſit Inueſtitura *vid. Iul. Clar. quæſt.26. & Hartm. t. de feud. obſ. 7.* Zaſius hanc etiam *verbalem* nominat, quia ſcil. verborum expreſſio in ea ſit neceſſaria.

4. D. *Quid vocas* Propriam Inueſtituram?

M. Hæc nihil aliud eſt, quàm poſſeſſio, id eſt, inductio in poſſeſſionem, vel traditio poſſeſſionis; cum ſcil. dominus vaſallum ſuum corporaliter ſeu realiter (Wircklich vnnd Leiblich/) inducit in poſſeſſionem fundi feudalis.

5.D. *Quæ eſt abuſiua Inueſtitura?*

M. Hæc nihil aliud eſt, quam ficta traditio, cum videlicet dominus vaſallum nō inducit in poſſeſſionem realiter, ſed ſymbolum aliquod corporeū, v.g. haſtam, gladium, ſceptrum, annulum, vexillum, baculum, ſiue ſcipionem ipſi porrigens, non in re præſenti conſtitutus, inueſtituram ſe facere dicit, his additis verbis: *Vade in illum fundum.* Ex quo intelligis inueſtituram abuſiuam non tribuere alicui poſſeſſionem, ſed tantum titulum poſſidendi, per quem neq; dominium, neque poſſeſſio transfertur, *l.3.ff.de obl.& act.l.ſi ager.50.ff.de rei vind.* Et vt maximè hanc aliquis fuerit nactus, adhuc tamen ipſi opus eſt traditione ſiue apprehenſione poſſeſſionis, *§.ſi facta.t.ſi de feudo defuncti contentio ſit, §. fin. t. de noua forma fidelit. & titu.ſi de inueſtitura feudi controuerſ.fuerit.*

6. D. *Cur addidiſti*: Non in re præſenti conſtitutus?

M. Quia ſi in re præſenti fiat traditio ſeu porrectio talium ſymbolorum, tum verò ſimul etiam poſſeſſio tradita cenſetur: quemadmodum & Iure ciuili ſi claues apud horreum tradantur, *l.clauibus.74.ff. de contra. empt.* Aut res oculis ſubiecta demonſtretur, *l. 1.§.pen. & l.18.§.ſi venditorem,ff.de acquir.poſſ.* Qua de re aliquid diximus etiam ad *§. Item ſi quis merces. Inſt. de rer. diuiſ.*

7. D. *Sed num oportet neceſſariò & ſemper in feudis concurrere vtramque inueſtituram, & propriam & abuſiuam?*

M. Imò non ſemper. Nam ſi incipiatur à propria, hæc ſufficit, & fruſtra, atque ex ſuperuacuo adhuc requiſiueris abuſiuam (obtento enim fine, fruſtra de mediis ad conſequendum finem laborauerimus.) At ſi pręcedat abuſiua, adhuc neceſſaria eſt & propria, id eſt, tenetur dominus, qui vaſallum iam inueſtiuit, ſed abuſiue tantum, vlterius ipſum etiam in vacuam poſſeſſionem fundi feudalis immittere: vt docet *Iac. de Beluiſo.c. 1.d.tit.quid ſit Inueſtitura.*

8. D. *Licetne vaſallo abuſiuè inueſtito propria authoritate fundum ingredi & poſſeſſionem eius apprehendere?*

M.Licet,

M. Licet: hæc enim facultas ipſi per inueſtituram abuſiuam tributa videtur à domino: Ita *Baldus*, *Aluarot.* & *alii ad d.t.quid ſit Inueſtitura.* Et probat *Zaſ.p.6.n.7.* Itemque *Borchold. cap. 7. num.3.* Nec obſt. *l. 3. C. de pign.* Nam vaſallus in feudo longè plus iuris habet, quã creditor in pignore vel hypotheca. Vaſallus eſt quaſi dominus: Vnde & rei vindicatio vtilis ipſi datur: vt infra ſuo loco audies. Creditor autem non eſt dominus pignoris, quamuis id vendere poſſit, debitore non ſoluente, vt audiuiſti ad *t.Inſt.quib.alien. licet.* §.1.

9. D. *Quid ſi plures ſint fundi feudales, de quibus aliquis inueſtituram accepit, An vaſallus apprehendendæ poſſeſſionis gratia omnes eos ingredi & perambulare cogitur, An verò ſufficit vnius ingreſſus ad poſſeſſionem omnium acquirendam?*

M. Si omnes illi fundi tanquam partes contineantur ſub illo, quem Vaſallus ingreſſus eſt, velut ſub toto, ſufficit vnum ingredi, *argumento l.3.§.1. ff. de acquir.poſſ.* Alioquin ſi fundi ad feudum pertinentes ſint ſeparati & ſeiuncti, vt ad nullum totum reſpiciant, tunc neceſſe eſt, omnes & ſingulos ingredi. Ita diſtinguit *Zaſ.part.6. num.29.* & *conſ.10.num. 6. lib. 1. poſt Iſerniam* & *Matth. de Afflict.* Eamque diſtinctionem probat & *Mynſ. Zaſii auditor cent.3.obſ.39.*

10. D. *Quid ſibi volunt illa, quæ dicebas interuenire in abuſiuâ Inueſtiturâ, vexillum, haſta, gladius, baculus, annulus?*

M. Scias, hæc eſſe ſymbola rem repræſentantia, & admonitiones de rebus neceſſariis, inſinuantia hominum animis, quibus traditis res ipſa repręſentata quodammodo tradita videtur, ſicut rei donatæ inſtrumento tradita ipſa res tradita cenſetur, *l. 1. C. de donat.* In qua adhibitione iſtorum ſymbolorum & rituum, videntur Longobardi ſeu primi inuentores feudorum imitari voluiſſe veteres Romanos, quorum quanta fuerit diligentia, ne dicam ſuperſtitio in ſolemnibus & formulis ac ritibus ad omnes ferè actus legitimos adhibendis, non ignoras, quæ *dicis cauſa* facta vocamus. Græci *ἀφοσιώσεως χάριν, νόμου χάριν, λόγου χάριν.* Sic in manumiſſione pileus ſeruo dabatur velut inſigne liber-

tatis: Vnde apud Liuium aliosq; *ſerui ad pileum vocati*. Et ſeruus inter manumittendum alapa ſeu rhapiſmate percuſſus & raſus, vertigine quadam circumagebatur, & apud Prætorem feſtuca, ſeu virga ei imponebatur. De quibus rhapiſmatis manumiſſionum plura in Sacris lectionib. noſtris reperies ex antiquitate prolata. Cui mori non eſt abſimile, quod hodie quoque Epiſcopus vel eius ſuffraganeus confirmationem pueris baptizatis conferens, alapam dat: credo, quò diutius meminerint illius ſacri ritus: quamuis alias huius rei cauſas afferat *Io. Stephanus Durantus lib. 1. cap. 20. de ritib. Eccleſiæ Cathol.* ſic ſponſæ, itemque hæredi & ſucceſſori deſignato annulus dabatur. Sic in matrimoniis nouæ nuptæ in domum mariti deducebantur, adhibitis aqua & igni, velut principiis & elementis vitæ humanæ; & vxor domum mariti ingrediens poſtes ædium inungebat oleo, quo lanam imbuerat: vnde & nomen vxoris deductum. Sic claues à marito dabantur nouæ nuptæ domum ductæ: ſic in diuortio claues rurſus adimebantur, vel etiam vltrò remittebantur. Sic anteſtantes auriculam infimam apprehendebãt, & quidem ter vellebant, cum his verbis: *Licet anteſtari?* Quod vel ex Horatio conſtat *lib. 1. Serm. Satyr. 9. extrema*, eiuſque Scholiaſte Acrone: qui addit hæc quoque ſolitum dicere anteſtantem: Memento quod tu mihi in illa cauſa teſtis eris, vide & *Barn. Briſſonium initio libri 5. De formulis P.R.* Atque hic mos auriculam teſtium vellicandi etiam inter Germanos vſitatus fuit, diuque in vſu apud maiores noſtros manſit: vt videre eſt cùm apud alios rerum Germanicarũ ſcriptores, tùm apud *Io. Auentinum in Annalib. Schirenſib.* Interfuêre, inquit, huic donationi Amelbertus quidam nobilis, & alii X. teſtes, quorum aures vellicatæ more veterum. Et alibi eorundem Annalium: Teſtes qui aurib. tracti ſunt. Et rurſum inferius in alia donatione: Teſtes auribus tracti. Sic militiæ inſigne erat *cingulum*, quod ignominiâ notatis adimi ſolebat, vt diſcincti incederent aut foderent. Sic Germani veteres in militiam cooptantes aliquem iuuenem ſcuto & framea ornabant quaſi togam virilem ipſi darent, de quo vide *Tacit. in lib. de morib. Germa.* Sic

in man-

in mancipatione, quæ erat ſolemnis quędam alienatio interueniebat libripens cum ære, ſiue raudusculo & libra, quæ percutienda erat illo ære iniecto, certis quibuſdam & conceptis verbis prolatis. Sic in vſurpationibus, id eſt, interruptione vſucapionis furculum vel tamum ex arbore deſtringebant. Sic in vindiciis manum conſerebant imaginarium quoddam prælium miſcentes. Sic qui hæredem ſibi aliquem deligebat ac deſignabat, ſæpè annulum ei tradebat: vt exemplis aliquot probat *Guil. Forner. lib. 1. Select. cap. 3.* ex Val. Max. & Iuſtino. Quib. adde quæ ex Suetonio, Dione & Egeſippo refert *Briſſonius lib. 3. De Formul.* Sic iurantes lapidem ſilicē manu tenebant ac deinde certis conceptisq; verbis additis proiiciebant, quod dicebant: *Iouem lapidem iurare.* Sic & iurantes ad aram accedebant, eamquē manu tangebant: vt ex Plauto aliisque auctorib. conſtat. Pro quo ritu inter Chriſtianos receptum eſt, vt tangerentur ſacræ ſcripturæ: vnde ſæpè *tactis ſacroſanctis Euangeliis iurari dicitur:* de quo infra *in formula iuriſiurandi fidelitatis.* Sic in operis noui nuntiatione lapilli iactu adhibebant, qui mos etiam hodie durat. Sic in aditione hæreditatis interueniebant ſolemnia cretionum vt ex fragm. Vlpiani conſtat, & docet *Duarenus in diſp. Anniuerſ. ex Cic. de orat.* Quarum cretionum nimiam ſcrupuloſitatem ſuſtulerunt Impp. in *l. 17. C. de iur. delib.* Sic à legatis caducei & herbæ quędam præferri ſolebant, quæ *Sagma* dicebantur teſte Martiano in *l. 8. §. 1. ff. de diuiſ. rer.* Sic hodieque ſolemne eſt, vt rerum capitalium iudex cum ſententia capitis in reum aliquē pronuntiata eſt, bacillum confringat, quaſi qui hoc ipſo ritu ſignificaret, eodem modo vitam hominis illi*, quo de agitur, iam deſtructum iri & animam è corporis latebris per mortem violentam extrahendam eſſe: qui mos approbatur à *Carolo V. Imp. laudatiſſ. in Conſti. crimin. cap. 96. & 97.* Alicubi hoc amplius receptum eſt ab antiquo, vt capitali ſententia recitata, Adſeſſores pariter & Iudex ſellas ſuas omnes euertant, terribili quadam ſpecie. Huc pertinent Inſignia Magiſtratuum, de quib. & Seneca meminit *De benefic.* vt ſceptra & diademata & coronæ regum vt faſces & ſecures tum

conſulum tum Prætorum, quæ ipſis præferebantur per lictores plebem ſubmouentes. Item ſellæ curules eburneæ, quæ omnia diligenter ex antiquitate collegit & auctorum veterum teſtimonio comprobauit *Hotom. in diſp. feud. c. 22. Vide & Accurſ. ad princ. t. de V. obl. in verb. firmum, & Iſidorum lib. 5. Etym. c. 34. & Cuiacium ad initium tit. De verb. obligat.* Romanorum igitur veterum, imò & aliarum gentium imitatione & exemplo, Feudiſtæ quoq; in vaſallorum creatione certos quoſdam ritus & ceremonias adhibendas cenſuerunt: & quidem pro diuerſitate Feudorum varias atque diuerſas. Nam in alio vexilli traditionem requirunt, in alio haſtam, in alio gladium: v.g. in Regnorum & Ducatuum, aliorumque maiorum feudorum inueſtituris: *Baculum, annulum, &c.* in minoribus feudis. Sic apud *Guntherum lib. 1.* Inueſtituram de Ducatu legimus a Friderico I. factam per vexillum, & de regno per gladium: de Epiſcopatu, per ſceptrum eburneum: de quo vide etiam *Ott. Friſing. lib. 2. cap. 5. & Petr. Gregor. Syntagm. Iur. lib. 6. cap. 14. num. 7. & ſeqq.* Sic apud *D. Bernhardum in Serm. de Cæn. Domini* obſeruaui locum memoratu dignum, qui valdè ad rem facit: *Sicut*, inquit, *in exterioribus diuerſa ſunt ſigna & variæ ſunt inueſtituræ, ſecundum ea de quibus inueſtimur.* (v.g. inueſtitur Canonicus, per librum; Abbas, per baculum; Epiſcopus, per baculum & annulum ſimul.) *Sicut*, inquam, *in huiuſmodi rebus eſt: ſic & diuiſiones gratiarum diuerſis ſunt traditæ ſacramentis. Quæ eſt gratia* * *vnde per Baptiſmum inueſtimur? vtiq; purgatio delictorum.* Hactenus Bernhardus, alludens (vt exiſtimo) ad illam Auguſtini definitionem: *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum.* Quod autem de Epiſcopo ait, idem confirmat & *Cuiac. ad tit. 3. li. 2. feud.* Epiſcopatus, inquit, imò & omnia feuda, antiquo more Gallico per annulum & virgam tradebantur. Eoque baculo ſiue pedo paſtorali officii ſui admonentur Epiſcopi, quod gregem dominicum paſcere debeant: ſicut annulo admonentur, quod deſponſata ſit ipſis Eccleſia, cui fidelem curam impendere debent. Pontifices Romani his ceremoniis non contenti, & pallium Archiepiſcopale adinuenerunt, vt eſſet aucupium pecu-niæ,

* *Vnde*, id eſt, de qua.

...iepiſc...

niæ, maximo enim precio redimendum eſt illud ex lana & lino confectum dignitatis inſigne, de quo extat proprius tit. in *Decretal. de vſu & autoritate pallii*, &c. Eiusque deſcriptionem videre potes apud *Sleidan. lib. 4. & lib. 13. Item apud Polyd. Virgil. lib. 4. de rer. inuentor. c. 12.* Apud AlbertumKrantziũ legimus etiã chirothecis adhibitis factam inueſtituram Epiſcopatus, *lib. 4. Metrop.* Et idem ſæpè ferulam paſtoralem ſeu pontificalem appellat, quem alii frequentius baculum, vt *lib. 2. & 3. Metrop.* vbi hanc vocat *inueſtituram* & *ſignum infeudationis.* Porrò in inueſtitura ducatus ſæpe plura adhibebantur vexilla, ſicut apud *Othon. Friſingenſ. lib. 2. c. vlt.* legimus, reſignationem ducatus Bauariæ per ſeptem vexilla factam ab Henrico, quod per ſeptem ſigna ritè reſignatum ducatum dicit *Guntherus lib. 5.* Ex quo colligimus, totidem etiam vexilla interueniſſe in eius ducatus inueſtitura, quot in reſignatione ſeu deueſtitura adhibita fuerunt, *argumento l. 35. nihil tàm naturale, ff. l. reg. iur.* Quomodo etiam in degradatione ſacerdotali eadem adimuntur degradato, quæ fuerant collata inaugurato; vt videre licet apud *Sleidan. lib. 4. & in c. degradatio, de pœnis, lib. 6.* Sic & hodiè in noui Imperatoris aut Papæ inauguratione multa adhibentur ſolemnia: vt videre licet tum apud Hiſtoricos, tum in *lib. de cerem. pontificis. Item apud Io. Steph. Durant. li. 2. de ritib. Eccleſiæ Cathol. maximè cap. 9.* vbi etiam de pallio illo archiepiſcopali multa habet, & rationem reddit, quare Papa Romanus nullo vtatur baculo, ſicut alii Epiſcopi. Sic inueſtituræ quidem ſpecies fuit, quando præfecto vrbi tradebatur gladius: quod & Traianum feciſſe conſtat ex Dione & aliis. Hic enim optimus Princeps cum gladium de more tradidiſſet Præfecto Vrbi, his eum verbis allocutus eſſe dicitur: *Cape hunc gladium eoq́; pro me, ſi benè imperauero, ſin ſecus, aduerſum me vtitor.* vid. *Buchan. lib. vlt. Hiſt. Scot. & Petr. Fabr. lib. 1. Semeſtr. cap. 3.* Sic notiſſimæ illæ ceremoniæ, quæ hodie adhibentur in collatione dignitatum Academicarum, in creatione, inquam, Magiſtrorum & Doctorum & qui inter hos medii ſunt Licentiatorum: Item in Rectoris inauguratione: hæc, inquam, omnia, nihil aliud ſunt, quàm ſym-

bola, quàm notæ & inſignia cuiusdam Inueſtituræ, qua illæ dignitates conferuntur, vt traditio librorum, annulorum, faces ardentes, oſculum, catenæ, gladii, ſceptra, &c. Sic in illo ioculari, vt videtur ritu initiationis ſtudioſorum, quam *Depoſitionem* Academici vocant, velut ſymbola adhibentur: *Sal* & *vinum*. Sic in creatione Notarii Comes Palatinus nomine Cæſaris adhibet pennam & calamarium, quibus ipſum inueſtit de Notariatu. Sic in ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ fit manuum impoſitio ex antiquiſſimo ritu Apoſtolico, de quo nobile eſt illud interdictum S. Pauli: *Manus nemini citò impoſueris.* Et in ſumma, in plerisque omnibus actibus legitimis omnium fere gentium receptum eſt, vt ſolemnia quædam & ſymbola & ritus ac ceremoniæ adhibeantur, tum ne leuiter & perfunctoriè res magni momenti acta videatur, tum vt admonitiones vtiles & neceſſariæ de officio animis hominum per ea ſigna inſinuentur, tantòque firmius imprimantur: quæ admonitiones cum negliguntur & tantum in externis illis ritibus atque ceremoniis inhæretur, (vt ſæpe numero fit) tum verò paleas & quiſquilias relictis granis & putamina neglecto nucleo aliquis videbitur conſectari.

CAPVT IX.

De illis quæ circa Inueſtituram conſiderari ſolent: vt ſcriptura, teſtibus, tempore, loco, conditione, &c.

1. D. *Mihi verò periucunda fuit hæc tua ἐκτροπὴ ſiue digreſſio Philologica & hiſtorica, ex qua non pauca partim noua didici, partim antea lecta & cognita in memoriam mihi reuocaui. Nunc porrò liceat mihi quærere de iis, quæ ad inueſtituram pertinent. Igitur ad eius formam & modum hoc quoque arbitror neceſſarium, vt quæram:* 1, *An neceſſariò hic requiratur ſcri-*

ptura.

ptura. 2, *An & quinam teſtes in ea adhibendi.* 3, *An poſſit dari & accipi per procuratorem. De quibus ſingulis cupio ſcire quid ſentiendum.*

M. De *ſcriptura*, quæ à Feudiſtis etiam *breue teſtatum* dici ſolet, vt *libr.* 1. 2. 3. & 4. & *libr.* 2. *titu.* 32. & alibi, ſic ſentio: Eam adhiberi quidem poſſe, ſed non adeò neceſſariam eſſe, vt ad ſubſtantiam huius actus pertineat, aut ea omiſſa hic actus non valeat, *text. apertus eſt libr.* 2. *titu.* 2. *in verbis*: *Si inſtrumentum defecerit, vel quia factum non fuerit, vel quia amiſſum ſit, &c.* Faciunt huc in argumentum ea, quæ Iure ciuili tradita ſunt de pactis & contractibus, in illis non neceſſario requiri ſcripturam, vel inſtrumentum, cum potuerit aliter quoque probari, *l.* 1. & *l. inſtrumentis, C. de fid. inſtr. l.* 17. *C. de pact. l. indicia, C. de rei vindic.* Et de empt. vend. audiuiſti in Inſt. ad eam non eſſe neceſſariam ſcripturam, niſi inter contrahentes placuerit, eam in ſcriptis fieri. Vid. *l. Contractus, C. de fid. inſtr.* Hoc tamen fateor, perutilem eſſe Scripturam, vt ſcilicet eo facilior ſit probatio inueſtituræ; & quia ſemper ad primam inueſtituram eiusque tenorem recurri ſolet, velut ad originem & radicem, ex eaque deinceps de toto feudo iudicari vt lites amputentur. Homines enim ſunt mortales & diarii, quibus defunctis poſſet oriri inopia & difficultas probationis, cum præſertim feuda non tam citò extinguantur; ſcriptura verò immortalis eſt, & ſemper loquitur; vnde etiam de iniuria ſcripto facta perpetuò agi poſſe receptum eſt, vt videre eſt apud *Mynſing. cent.* 1. *obſ.* 84. & *Andr. Gail.* 2. *obſ.* 104. De Emphyteuſi autem, an ad eam neceſſario requiratur ſcriptura, iam ſupra dictum meminiſti.

2. D. *Intellexi de ſcriptura. De Teſtibus inueſtituræ adhibendis quid ais?*

M. Inueſtitura teſtato fieri debet, id eſt, adhibitis teſtibus, minimum duobus, *argumento l. vbi numerus, ff. de teſtib. & cap. cum eſſes, extra de teſtamentis.* Et quidem teſtes debent eſſe pares curiæ, id eſt, alii conuaſalli eiuſdem Senioris, ſi is plures habeat. Cæterũ, id eſt, ſi

nullos alios habeat, vel ſi obſint, quos habet, ſufficiunt quilibet extranei, dummodo ſint idonei, id eſt, non prohibiti dicere teſtimonium, non improbi, nec inteſtabiles: neque fœminæ, neque ſerui, vid. *lib. 1. feud. t. 26. & lib. 2. t. 2. & 32. cum t. ſeq. & t. 58.* Idcircò autem pares curiæ præferuntur extraneis, ſi haberi poſſunt; quia carēt omni ſuſpicione falſitatis, vt qui arctiore vinculo fidei obſtricti ſint, quam extranei, à quibus metuendum ne quid falſitatis excogitetur, *d. t. 58. & §. idcircò, & ibi Cuiac.* Hæc de noui feudi inueſtitura intelligere debes. Nouam autem inueſtituram dico; quando feudum primò quæritur: Quod ſi de veteri beneficio inueſtitura fiat, quæ potius eſt renouatio quædam, etiam extranei teſtes recipiuntur, ſiue dominus habeat alios vaſallos, ſiue non habeat, *d. t. 32. lib. 2.* Ratio differentiæ, quia in renouatione Inueſtituræ, non tanta ſolemnitate opus eſſe viſum fuit, neque tam facilè falſitatis ſuſpicio locum inuenit; Sic & aliàs facilius admittitur inueſtitura de veteri beneficio, quã de nouo, vt eſt *lib. 2. tit. 3. & d. tit. ſupra de perſonis feudum dantib.* Sic etiam tempore differunt vetus & noua inueſtitura, vt mox intelliges. Hìc obſeruabis neque fæminas neque ſeruos inueſtituræ feudali teſtes adhiberi poſſe. De fæminis *text. eſt in d. t. 32. lib. 2.* De ſeruis, *tit. 58.* in verbis: *adhibeat quos meliores poterit, liberos tamen.* Et ratio prohibitionis hìc eadem eſt, quæ in teſtamento: cui etiam fæmina & ſeruus teſtis non rectè accedit, vt meminiſſe potes ex *§. teſtes autem, Inſt. de teſt. ord.* Eſt enim inueſtitura quoque actus ſolemnis & legitimus, non minus quam teſtamenti ordinatio. A qualib. actib. fæminæ arcentur. Poſſunt, inquit Cuiacius, teſtes eſſe, ſuperſtites non poſſunt. Intelligit, *ſuperſtites eos teſtes*, qui actibus ſolemnib. adhibentur. *Vid. Cuiac. lib. 4. feud. tit. 35.* Vnde mihi valdè probatur admonitio *D. Giphanii*, exiſtimantis, debuiſſe Feudiſtas in re tanti momenti & actu tàm ſolemni plures quàm duos exigere teſtes, *argumento l. vlt. verſ. cum enim res, C. de fideicommiſ.* Placet etiam ſententia *Iac. de Beluiſ. Balbi & Oldradi*, qui contra Accurſium probant teſtes pertinere ad ſubſtantiam & ſolemnitatem feudi, non tantũ ad probationem, vt voluit

Accurſ.

Accurſ. ad tit. qui teſtes ſint neceſſarii, & Anton. Contius.

3. D. *Idemne eſt de Clerico, quod de Laico inueſtituram facient?*

M. Imò in feudis Clericorum pariter accipiuntur pares curiæ, & extranei, vt ait Feudiſta *lib.1.tit.26.* Quæ verba non rectè quidam accepiſſe videntur, *quaſi permittant clericis, quoscunq; teſtes adhibere*; cum hæc potius velint: Clericos inueſtiturã faciẽtes debere pariter, id eſt, coniunctim & permixtim ſimul adhibere & pares & extraneos, nullo autem modo excludere ſuos confratres; cuius exceptionis rationem tanquam abſurdam & ridiculam exagitat *Hotom. in diſp. feud. cap. 25.* Sed ſimilem confeſſionem propriæ turpitudinis alias quoque notaui ex *cap.1.§. quamuis, de iuram. calumn. lib. 6. Decret.*

4. D. *Quid ſi teſtes inueſtituræ non interuenerint, & tamen volente iubente domino, aliquis poſſeſſionem rei nomine feudi nactus tenuerit?*

M. Hoc caſu is quidem qui ſic poſſeſſionem adeptus eſt, poterit rem quaſi feudi nomine retinere. Cæterum ad hæredes nihil iuris tranſmittit, vt eſt *textus notab. lib.1.tit. 25.*

5. D. *Sed poteſtne hic interuenire procurator in collatione inueſtituræ?*

M. Poteſt inueſtitura & dari & accipi per procuratorem, ſiue per nuncium. Nihil enim intereſt vtrum ipſe per te, an alius pro te inueſtituram faciat vel ſuſcipiat, vt ſcribit *Feudiſta lib.2.t.3. & t.58.§. Item inueſtitura. Ferrar. in form. libelli, quo agitur ad reuocationem feudi, argumento cap. qui facit per alium, 72. de R. I. in 6.* Sic & per negociorum geſtorem inueſtitura feudi accipi poteſt, v.g. Maritus per vxore inueſtiri poteſt, *vide t. 85. lib. 4. feud. & ibi Cuiac.* Huc pertinet quod Elector Palatinus ad Rhenum vacante Imperio, tanquam vicarius Imperatoris, de feudis Imperialibus inueſtituram conferre poteſt, ex Aurea Bulla, Car.4. exceptis illis quæ per vexillum dantur, & Germanis dicuntur Fahnlehen. *Vid. Cuiac. lib. 2. t. 4.* Sed quoniam cum inueſtitura coniuncta eſt, vel ſtatim eam ſequitur *Iuſiurandum fidelitatis*, peri-

culoſum certè & mali exempli res eſſe videtur, alium pro alio iurare, propter anceps periculum periurii, *l. pen §. his ita, C. de reb. cred. l. Marcellus, §. 2. ff. rer. amot. l. 39. §. 1. ff. de procurat.* vt taceam, quod Iure ciuili in actibus ſolemnibus & legitimis non interueniat procurator, *l. 123. ff. de R. I. l. 25. ff. de adopt.* Quod item Emphyteuſis per alium conferri prohibetur, *l. 3. §. pen. C. de iur. emphyt.* Putarem tamen, ſi ſenior deſideret præſentiam vaſalli verius & æquius eſſe, vt non cogatur inuitus admittere procuratorem, ſed vaſallus ipſe ei ſe ſiſtere & homagium præſtare debeat. Quod quidem pleriſque FrancoGalliæ moribus receptum teſtatur *Cuiac. d. titu. 4. libr. 2. & Hotom. in diſp. de feud. cap.* 10. *de inueſtit. ſolemn.* In ſumma, tunc demum per procuratorem accipi poteſt inueſtitura, ſi dominus conſentiat: quomodo ante octo annos in Comit. Ratisbon. inueſtituram accepit Elector Palatinus per nuncium, videl. Baronem Donanum. Ita fit, vt quis vaſallum ſæpe habeat, quẽ nunquã viderit. Sic & Iure ciuili poteſt quẽuis etiam ignotum, quem oculis nunquam vſurpauit, tutorem dare liberis ſuis, & hæredem inſtituere, vt audiuiſti ad *§. ſi propter inimicitias, verſ. Non eſſe autem. Inſt. de excuſ. tut. & §. vlt. Inſt. de hared. inſt. iuncta l. 15. §. qui dixerit, ff. de excuſ. & l. 11. C. de hæred. inſt.* Præſtat tamen modis omnibus, vt vaſallus coram adſit, quo magis ſciat ſenior, qualem ſit habiturus defenſorem; maximè cũ iurãda eſt fidelitas. Nam & in teſtibus alia eſt autoritas præſentium teſtium, alia teſtimoniorum, quæ recitari ſolent, vt prudenter reſcripſit *D. Hadrianus in l. 3. §. Gabinio, ff. de teſtibus.*

6. D. *Poteſtne inueſtituræ etiam adiici conditio.*

M. Sicut heredis inſtitutio, Tutoris datio, ſtipulatio, item Emptio aliiq; contractus poſſunt fieri non ſolum purè, ſed etiam ſub conditione, *§. ad certum tempus, Inſt. de hær. inſtit. §. omnis ſtipulatio, Inſt. de verb. obl. §. empta tam ſub condit. Inſt. de empt. & vend.* Ita & inueſtitura ſeu infeudatio poteſt fieri tàm ſub conditione quam purè. Excipitur inueſtitura feudum nondum aperti, de qua traditum eſt, eam fieri purè inutiliter, vt *ſupra d. ex t. 9. & t. 27. §. vlt. li. 1. feud. & ex t. 26. §. moribus, li. 2.* Quib. adiunge *And. Gail. 2. obſer. 155.* 7. D. *Atq*

7. D. *Atqui putabam conditionem nunquam recte adiici propter* l.77. ff.de R.I. *Qui conditionem, vbi actus legitimi conditionem recipere negantur.*

M. Nihil te moueat iſta Iuris ciuilis regula; Nam in feudis mores prædominantur, & vt Plautus ait, *legem pertraxerunt in poteſtatem ſuam.*

8. D. *De loco inueſtituræ quid dicis?*

M. Inueſtitura plerunque ad domum ſenioris peti & fidelitas offerri ſolet, teſte *Cuiac.lib.2.titu.4.* Quod intelligendum, ſi vaſallo tutus, & honeſtus ad eam ſit acceſſus, *Zaſ. part. 6. num. 39.* argumento eius quod de loco iudicii traditum eſt *l pen.ff. de iuſt. & iure. l. 21.§.ſi arbiter, ff.de recept.arbit.l.59.ſi locus, in fin.ff.de iudiciis.c.ex parte 47.extra de appellat.c. cũ olim 34. extra de teſtib. cum ſimilib.* Hic obſeruabis poſſe de loco aliquid definiri vel pactionibus, vel etiam priuilegiis; cuiusmodi eſt priuilegium domus Auſtriacæ, vt non cogantur inueſtituram vllam accipere extra fines ſuæ ditionis; quod priuilegium Archiducibus Auſtriæ conceſſit Fridericus II. *Vid. Ioh. Cuſpin. in Auſt. & Cuiac lib.2.tit.4.*

9. D. *Quid ais de tempore, quando & quoties petenda eſt inueſtitura?*

M. Diſtinguendum eſt inter nouam inueſtituram & veteris renouationem. Noua nullum certum terminum præfixum habet, ſed eius tempus eſt arbitrarium; debet tamen vaſallus futurus ad primam citationem domini comparere; quod ſi facere contempſerit, dominus poſtea eum amplius inueſtire non cogetur. Nam quid boni ſperes de futuro obſequio eius, qui ſtatim ab initio cõtumaciter abfuerit, veteris autẽ inueſtituræ renouatio impetrari debet intra annũ & diem à morte vel anteceſſoris vaſalli, vel domini feudi, in ſingulis inquã, etiã vaſalli & patroni hæred. inueſtitura eſt renouanda, *libr. 2. feud. tit. 24. quæ fuit 1. cauſa beneſ. amitt. & titu. 40. & tit. 55. §. præterea Hartm. de feud. obſ. 8.* Eſt autem tempus illud computandum à ſciẽtia mortis, & lex illa de renouanda inueſtitura hac ſanctione munita eſt, vt vaſallus intra prædictũ tẽpus inueſtiturã petere negligens, feudo multetur, vt infra dicemꝰ inter cauſas amit. feud. vbi etiã de excep. videbimꝰ. De tẽpore

autem illo, numerando ex quo quis reſciuit, aut reſciſcere potuit mortem ſenioris, vel anteceſſoris ſui vaſalli, quod diximus, id congruit cum I. ciuili, *l.2. ff. quis ordo. l.2. C. qui admitti.*

10. D. *Sed obſtare videtur, quod legiſſe recordor de anno & menſe in t.22. libr. 1. quo tempore miles inueſtituram petere debeat.*

M. Alii cum Accurſio reſpondent; eum textum (qui videtur alicuius Imperatoris eſſe conſtitutio, cum aliquoties repetatur verbum *Sancimus*,) correctum eſſe per poſteriorum Imperatorum Conradi & Friderici ſanctiones, quibus pro *menſe, dies* ſit conſtitutus: Solēt autem poſteriores conſtitutiones derogare prioribus, *l. vlt. C. de conſtit. princ.* Alii, vt Aluarott. putant tit. 22. intelligendum eſſe de vaſallo milite, cui largius tempus indulgeatur, videlicet annus & menſis; reliqua loca de vaſallo non milite loqui. Sed hoc abſurdum eſt, cum vaſalli plerique ſint milites, & feuda ipſa militare inſtitutum contineant. Quare aut prior ſolutio amplectenda eſt, aut cum Hotom. & Cuiacio dicendum: *Menſem* in d.t.22. perperam legi, pro *diem*, quod verum eſt. vide etiam *Borch. c.7. n.31. & ſequēt.* Accedit & Guntheri auctoritas lib. 8. cuius verſus, infra inter cauſas amittendi feudi recitabo, quibus indiſtinctè tantùm annum & diem nominat.

11. D. *Quid opus eſt toties renouare inueſtituram, an non ſufficit ſemel eſſe factam?*

M. Omninò vtilis & neceſſaria eſt hæc renouatio, tum vt vaſallus eam petens debitam ſeniori eiusve heredi exhibeat reuerentiam: vnde & *Zaſius p. 7. num. 13.* rectè ait: Vaſallum cum præfatione honoris inueſtituram petere debere. Tum ne longinquitate tēporis ius domini forte obſcuretur, & dubiū fiat; tū deniq; quia fidelitatis iuramentum tanquā perſonale extinguitur cum perſona; ideoq; ſemper in perſona ſucceſſoris renouādum eſt; alioquin nullum eſſet vinculum, quo vaſallus ſeniori obſtringeretur. *Vide & Borch. c.7. n.3.*

12. D. *Sed cur diem anno adiecerunt?*

M. Vt tollerent controuerſiam an dies termini in ipſo termino cōputetur, de qua *Mynſ. cent. 5. obſ. 15.* Sic etiam

etiam Saxones in dilationib. concedendis ſolent ſingulis ſeptimanis adiicere vnum diem, vt ita dilatio Saxonica conſtet ſex ſeptimanis & triduo. Sic & in aliis; vt in vſucapionib. ac prǽſcriptionib. &c. vid. *Iac. Cuiac. ad tit. Decretal. De eo qui mit. in poſſeſſ. rei ſeru. cauſ.*

13. D. *Poteſtne dominus vaſallum cogere, vt citius accipiat inueſtituram?*

M. Non poteſt dominus hoc tēpus coarctare; quia in fauorem vaſalli conſtitutum eſt. Sed cōtra protelare poteſt, *argumento l. 4. §. ſi quis cōdemnatus, ff. de re iud.* Ita *Andr. de Iſern. Aluarot. Præpoſitus & alii citati à Borcholt. c. 7. n. 36.*

14. D. *Quid ſi plures ſint ab vno de eadem re inueſtiti, quis præferetur, & in iure feudi potior erit?*

M. Si pluribus eadem res in feudum conceſſa ſit, is reliquis præferatur, cui priori res fuerit tradita. Vide *Mynſ. cent. 4. obſ. 61.* Pari ratione qua & in I. ciuili in detinendo dominio rei pluribus venditæ vel donatæ, ſicut & in publiciana Actione potior eſt, cui priori facta eſt traditio, *l. 15. Cod. de rei vind.* Cui ſimile extat reſcriptum eorumdem Impp. in *leg. 4. t. 2. lib. 3. C. Grego. iuncta l. 31. §. vlt. ff. de act. empt. l. 6. Cod. de hæred. vel act. vend. l. 3. Cod. de his, qui à non domino, l. 9. §. ſi duobus, ff. de Public. in rem act. l. 6. in princ. ff. de diuerſ. temp. præſcript. Paulus in Sent. lib. 5. t. 11. §. cum vnius rei.*

15. D. *Sed, Nonne committit crimen Stellionatus, qui ita duobus vel pluribus eandem rem in feudum concedit?*

M. Iure quidem ciuili conſtitutum eſt, vt qui pluribus eandem rem vendidit, vel permutauit, vel in ſolutum dedit, vel oppignorauit priore obligatione diſſimulata, is crimen committat, *l. 3. ff. de falſ. l. 36. §. 1. ff. de pign. act.* Sed iure feud. non item. Tantum pro non facto habendum eſſe dicitur, *t. 22. libr. 1. §. ſi quis fecerit. Vid. Ioh. Oldend. in tab. Actio. t. feudum, n. 15.*

16. D. *Sed quæ ratio eſt, quare præferatur is, cui traditio facta eſt, licèt poſterius alteri, qui titulum habet vel inueſtituram antiquiorem?*

M. Quia pactis & cōtractibus, qualis eſt etiam inueſtitura, nō transfertur dominium ſeu ius in rem, ſed

tãtum perſona obligatur, *l.20.traditionib. C. de pact.l. 45.ff.eod.l.3.ff.de ob.& act.*facit huc *l.3.C.vt in poſſ. legat. & l.1.ff.de acquir.poſſ.* Vbi dominium rerum ex naturali poſſeſſione cœpiſsè dicitur. Hoc tamen ius limitatur, vt per traditionẽ ſecundo factã non præiudicetur primo, ſi ſub hac lege tradita fuerit res ſecundo, vt traditio habeatur pro nõ facta, ſi primus feudũ petierit, eoq; caſu ad primũ reuertatur, *vid. Zaſ.p.6.n.*14. Deinde notabis aliquot exceptiones ſuperioris regulæ. Primo. n. excipitur res vendita ciuitati & Eccleſiæ; in hac. n. illud eſt proprium, quod dominiũ tranſit ſine poſſeſſione, ſine traditione, *l.fin.C.de SS. Eccleſ.* 2. Excipitur conceſſio à principe aliquibus facta ob merita. Hæc enim dominium rei etiã ſine traditione facit illius, cui primò facta eſt conceſſio, licèt res alteri prius tradita fuerit. Prima, inquam conceſſio, præualet omnib. poſteriorib. *l.vlt.C.de loc.præd.ciu.lib.*11.*vid. And. Gail.lib.2.obſ.*55. 3. Excipitur cõceſſio beneficiorum Eccleſiaſticorum. Prima. n. ſecundæ præfertur, etiamſi traditio facta eſſet ſecundo, *c.17.de præbendis, lib.6.& c. 12.de reſcript.lib.6.* Diuerſum eſt ius in pignore. Hic enim potior eſt is, cui priori conſtitutum eſt pignus, etiamſi traditio alteri ſit facta. *l.12.§.fin.ff. qui pot.in pign.*

17. D. *Quid ſi non ſatis appareat duobus facta traditione, vtri priori tradita ſit poſſeſſio, vter præferendus erit in feudo?*

M. Is, qui antiquiorem habet titulum, de quo *vid. Zaſ.p.6.n.*15.

18. D. *An ergò impunè ludificatus fuerit ſenior eum, quem priorem inueſtiuit, nec tamen rem tradidit?*

M. Iure cogetur ei prꝑſtare, quãti ipſius intereſt habere feudum: quamuis quidã voluerint, aliud feudum eiusdem bonitatis prꝑſtandum eſſe: Sed verior eſt ſententia Accurſii, *ad §.ſi facta.lib.2.feud.t.26.Zaſ.p.6.n.12. argumento l.6.C.de hæred. vel act. vend. & l.* 114. *Si fundum, ff.de V.obl.*

19. D. *Quid ſi dominus in traditione poſteriore facta, addat proteſtationem huiusmodi:* Saluo iure prioris, *ſiue, præiudicio prioris?*

M. Huiusmodi proteſtatio nullius eſt momẽti; &

vt Za-

vt Zaſius ait, parum vel nihil operatur. *p. 6.n.13.& rurſum, n.25.& ſequet.* Quia prior ille nullum ius in re habet, & pinde nihil ei reſeruari poteſt, *arg.l.1.C. cō. præd.*

20. D. *Quid ſi dominū facta iam inueſtitura abuſiua ante ſubſecutam traditionē pœniteat, liberabiturne præſtatione eius quod intereſt, an verò præcisè cogetur ad traditionem vaſallo faciendam?*

M. Non liberatur dominus præſtando id quod intereſt; ſed omnimodo cogitur inueſtiturā adimplere, & abuſiuè inueſtitū in poſſeſſionem feudi immittere, ſiue compellendus eſt tradere poſſeſſionem feudi; de quo inueſtiturā fecit, text. ſunt aperti *lib. 2.feud.t.4.& t.7.§.Inueſtitura,& §. ſi pacta.t.26.Zaſ.p. 6.n.12.* Nec aſſentior *D.Hoto. in diſp.feud. c. 26.& in cōment. ad d.§.ſi pacta*, exiſtimanti, de hac quęſtione pugnantia reſpōdiſſe Feudiſtas. Imò verò maximè ſibi conſentiētia reſponderunt. Nihil mouet, quod in *d.t.7. in fin.* dicitur, *de omni vtilitate præſtanda:* quæ verba ſic accipit Hoto. q. dominus liberetur præſtatione eius quod intereſt; nō rectè poteſt .n. quis cogi ad omnē vtilitatē ex mora præſtandā, & tamen ea præſtatione nō liberari, quin adhuc ad rē ipſam tradendā, omnimodò, vt ibi ait textus cogatur. Non debemus igitur nobis fingere repugnantiā vbi nulla eſt; ſed potius aſſentiri Accurſio in *verbo præſtabit*, ſic veriſſimè ſcribenti: *Nec liberabitur dominus volens ei ſoluere intereſſe.* Hic notabis veterē illā controuerſiā gloſſatorū de venditore, *An is præcisè cogi poſſit ab emptore, vt rē cuius copiā tradendæ habet, ipſi tradat, an verò ab illa neceſſitate liberetur, ſi offerat id quod intereſt:* quorū illud voluit Martinus, eūq; ſecuti *Bartol. Cynus, Caſtrenſis, Fulg. Cuiac. ad lib.1.ſent. Paul.t.13. Et ad t.1.lib.1.de feud.§.Si verò Archi Epiſcopus, Item Hoto.* Hoc vero placuit *Bulgaro, Ioanni, Azoni, Alciato & aliis.* Accurſius in hac quæſtione verius eſt. Rationes pro ſententia Martini diligenter examinat *D. Giphan. in disput. Ingolſt. de act. empt.* Idem tamen Giphan. poſtea in *tractatu de feudis* candem ſententiam q. retractans, putat dominum non poſſe præciſe cogi ad tradendum, ſed liberari præſtando id, quod intereſt.

21. D. *Quid ſi domin⁹ nō ſolēni promiſſione. ſed tātū ver-*

bis honoris, & vt loquimur, verbis aulicis, promiſerit rem feudalem non accedente inueſtitura, an & hoc caſu præciſè promiſſa implere & rem tradere cogitur? an verò liberatur præſtando id, quod intereſt?

M. Reſpondet Zaſ. ex *Aluarotto & Iacobino de S. Georgio*: Hunc liberari præſtando id, quod intereſt, *p. 6. n.* 11. Ego valdè dubito an talis promiſſor vllatenus ſit obligatus, & an poſſit conueniri de eo, quod intereſt, nam & I. ciuili multum refert, an quis promittat ſe vẽditurum, an vendat: donet quis, an promittat ſe donaturum. *l. 58. ab emptione, D. de pact. l. ſi quis pactus, §. vlt. D. de ver. obl. Alex. in l. 7. pr. D. de pact. Alciat. ad l. 14. ſi pacto quo pœnam, C. de pact.* Itẽ intereſt multũ, renuntiet quis, an promittat ſe renuntiaturũ. *Couarru. in c. quãuis 3. relect. n. 4. De pact. in 6. Tiraquell. De retract. lib. 2. in fin. num. 52. Hart. in pract. for. ſub finem, in Miſcellan. iur. ciuil. cap. 1. obſ. 2.*

22. D. *Quod ſi Dominus, qui inueſtiturã fecit, moriatur, ante traditionem, cogeturne hæres eam adimplere?*

M. Cogetur, & quidẽ ipſe quoq; omnimodò compelletur vt ait *text. lib. 1. feud. t. 3. in fin. iuncto tit. 35. lib. 2.* Hæres enim cogitur præſtare factum defuncti, nec poteſt ei contrauenire. *l. ex qua perſona, ff. de R. I. l. cũ à matre, C. de R. vind. l. ex contract. ib. ff. de O. & A. l. 3. C. de reb. alien. non al. cum ſimilib.*

23. D. *Quid ſi is, qui inueſtiturã de aliqua re accepit, iã antea illam habeat ex alia cauſa, vt pignoris, cuſtodia,* &c. *An adhuc opus erit traditione?*

M. Hoc caſu ſufficiet nuda voluntas Domini ad rẽ tranferendam, *argumento §. interdum. Inſt. de R. diuiſ. l. 9. §. 5. ff. de acquir. rer. dom. l. 62. ff. de euict. l. 21. §. 1. ff de acquir. rer. do.* Neq;. n. tum videtur quis ipſe ſibi cauſam poſſeſſionis mutare, cũ à domino potius volẽte id fiat, *l. 3. §. Sed ſi is, ff. de acquir. poſſ.* Sic poteſt aliquis de fundo prius ſibi pignorato poſtea inueſtiri, vt habetur *t. 11. & t. 28. lib. 1. feud.*

24. D. *Quid ſi duo ſint qui de caſtri iure inter ſe cõtendant, vtri iurabit qui feudum eius caſtri habet?*

M. Hoc caſu vaſallus homagium præſtare debet ei qui poſſidet, quantumuis fortè in petitorio eius caſtri

ius

ius non habeat. *Guid. Papæ conſ. 92. n. 2. v. ideo dicūt Dd.*

25. D. *Quid iuris eſt in petēda renouatione inueſtituræ, ſi plures ſint vnius ſenioris aut vaſalli heredes, coguntúrne omnes & ſinguli itē〈q〉 omnib. & ſingulis fidelitatē iurare?*

M. Si vaſallus plures reliquerit hæredes, & feudū in diuiſione hereditatis vni obuenerit, is ſolus iurabit & ſeniori ſeruiet, *argumento l. 5. in princ. ff. communi diuid.* Cæteri.n. iam non amplius ſunt vaſalli. Sin autē Feudū reliquerint indiuiſum (qui *fratres conſortes* à ICtis dici ſolent) aut omnes ac ſinguli inueſtiturā petere & iurare debēt, aut aliquē è ſuo numero, qui cōmuni omniū nomine inueſtiturā accipiat & iuret; quē vulgò vocamus den Lehentrager: & eſt plerunque maximus natu inter fratres aut agnatos. vid. §. *omnes filii, & ibi Accurſ. lib. 2. feud. t. 26. iuncto §. firmiter, lib. 2. t. 55.* Quod ſi plures fuerint heredes vnius ſenioris, cōmunis eſt ſententia, à qua difficile eſt recedere, vaſallū omnib. iurare debere: vt eſt notab. *gl. in l. ſi vſus fructus. verbo, oportere, D. de vſufr.* vbi ait Accurſ. argumentū eſſe, quod ſingulis heredib. domini faciendū eſt ſacramentū fidelitatis. nam cū ſit quaſi indiuidua ſeruitus ſacramentū fidelitatis, & fidelitas ipſa, inſolidū debetur. Adducit *l. ſtipulatio. §. quæſitū, D. de ope. no. nunti. l. ſi vſuſfr. §. fin. D. vſufr. quemadmod. caue. l. 2. §. pen. D. de verb. obl.* Exceptionē addūt, niſi heredes illi vnū elegerint, à quo inueſtitura petatur & cui omniū nomine iuretur. *Zaſ. p. 7. n.* 10. Vbi tamen cōtra hanc communē opinionē tentat, ſufficere ſi vni iuretur & ſeruiatur. Quicquid ſit, illud certū eſt, vaſallū pluribus illis heredib. non teneri plura præſtare ſeruitia, quàm ſolebat vni ipſorum anteceſſori. Nō.n. debet durior fieri ipſius conditio quàm fuit ab initio cū contraheret, *argumento l. 2. ff. de exercit. act. l. 5. §. pen. ff. iudicat. ſolui:* Vel etiā poſſet alternis annis ipſis ſeruire, *argumento l. 35. ff. de vſufr.* Nec debet vaſallus cōpelli pro vno feudo plures habere dominos. §. *præterea ducatus, lib. 2. feud. t. 55.*

26. D. *Atqui poteſt quis pluriū dominorū eſſe vaſallus ratione eiuſdē rei, vt colligitur ex t. 38. lib. 2. feud. in verbis:* Contra vnū dominorū, quorū cōmunis vaſallus erat?

M. Locus ille intelligendus eſt de nouo feudo, cu-

ius reſpectu poteſt quis eſſe vaſallus plurium, vt rectè *Hotom.*ibidem conciliat.

27. D. *Quid ſi quis copulatiuè iuraſſet fidelitatem domino & hæredibus eius.*

M. Hoc caſu volunt non poſſe cogi vaſallū iterū iurare per *c.veritatis,*14.*extr.de iureiur.* Ita & *Fornerius de feud.c.* 16. quod equidem non improbo, ſed ex alia ratione, nimirū,ne iuſiurandum abſq; neceſſitate ſępius iteretur,quod nō niſi in caſu neceſſitatis adhibendum eſt.Iuramentis.n.parcè vtendū tanquam pharmacis,c. autē illud impertinenter ad hāc rē allegari puto, cum cōtineat priuilegiū papale,conceſſum a ſede Romana regi Siciliæ Guiliel.eiuſq; ſucceſſorib. vt nō cogantur ſępius iurare de illo regno quod feudū eſt Eccleſię Romanę. Quo modo Cuiac.quoq; rectè accepit in *recit. decret.*Ius autē ſingulare, quod contra rationē iuris receptum eſt,non eſt producendū ad cōſequentias, *l.* 14. *ff.de ll.* Vnde nec rectè arbitror ei c.hoc ſummariū appoſitum:*Vaſallus qui iurauit Prælato, ſucceſſorib. eius iurare nō cogitur.* Quod ita generaliter poſitū falſum eſt. Imò cogitur,excepto Rege Sicilię,cui ſingulari quadā indulgētia,vt loquitur *Cuiāc.*hoc remiſſum eſt.

28. D. *Dixiſti ſupra ex inueſtitura abuſiua nō trāsferri poſſeſſionē rei feudalis, An autē in filiū ſuum heredem patri in feudum ſuccedentem transfertur & continuatur poſſeſſio ipſo iure ſine noua apprehenſione?*

M. Ita quidē Aluarot. Baldus & alii vulgò putāt; ſed malè,abuſi *l.* 11.*ff.de lib.& poſthum.& contra l.cum heredes,*23.*ff.de acquir.poſſ.* Quæ lex indiſtinctè loquitur de omnib.hæredib.vide *Zaſ.p.6.n.*40.*& aliquot ſequēt. vbi n.*42.diſtinguit ex mente Baldi inter poſſeſſionē actualē &habitualem:vt illa non ſit in ſuis heredib.ante apprehenſionē corporalem;hoc verò ſit ipſo iure.Eandēque diſtinctionem etiam vſurpauit *Ioan. Oldend. de act. beneficiarius.Claſſ.*5.*act.ſub c. quid de hered.ſit.* Sed ita veteres ICti loqui nō ſolent,& meo iudicio,tota illa diſtinctio nugatoria eſt, quod pace tantorū virorū dixerim. Hîc notandū eſt, quod mores Gallorū a I. ciuili hac in re diſcrepant;poſſeſſionem.n. ęque ac dominiū rerum hæreditariarū ipſo iure transferunt à defuncto

in he-

in heredē, vt præter alios teſtatur *Ant. Cōt. in Meth. de feud. c. 7. & Cuiac. ad d. l. cum heredes, ff. de acquir. poſſ.* Nati ſunt illi mores ex male intellectis textib. I. ciuilis vt *l. cum miles. ff. ex quib. cauſſis maiores*, partim *ex gl. ad d. l. in ſuis, de lib. & poſth. vide* Gail. 1. obſ. 152.

29. D. *Expectaui iam pridem dum faceres mentionem inueſtituræ ſimultaneæ; hanc enim aliquoties à feudiſtis nominari audiui, nec ſatis capio vim huius verbi quæve ei ſubiecta ſit notio. Hanc igitur nunc velim explices.*

M. Simultaneā inueſtituram eadem forma dixerūt, qua & *Simultaneū proceſſum*, non à ſimultate ſeu occulto odio aliquo, vt videri fortaſſe poſſit; ſed à particula *ſimul*, formato nomine. Eadēq; figura dici forte poſſet etiā *teſtamentū ſimultaneū*, quando ſc. plures iiſdem tabulis teſtantur ſimul, vt ſæpè fit, maximè à marito & vxore, de quo tractatū ſcripſit *Petr. Peck. de teſt. coniugū.* Eſt igitur ea ſimultanea inueſtitura apud Feud. quæ ſimul duob. vel plurib. vaſallis facta eſt, ſiue qua plures ſimul cōprehenduntur, ſiue deniq;, quādo feudum cōmuniter acceptū eſt à pluribus, quod Germani vocant: geſampter handbelehung. Exemplū ei⁹ habes *lib. 1. feud. t. 1. & t. 8. in fin. & §. ſi duo fratres t. 14. & lib. 2. feud. t. 18.* Effectus autē huiuſmodi inueſtituræ potiſſimum cernitur in ſucceſſione feud. de qua infra. Interim vide *Hart. Piſt. lib. 1. p. 2. quæſt. iur. quæſt.* 20. 21. 22. *&* 24. *Vide etiam conſilia Modeſtini Piſt.* 8. 23. *&* 33. *volum. 1.*

CAPVT X.

De Iureiurando fidelitatis, quod cum inueſtiturâ coniunctum eſſe ſolet. Eius formulæ, & ſingulorum capitum explicatio.

1. D. *Dixiſti paulò ante de iureiurando fidelitatis, id cum inueſtitura coniunctum eſſe. Nunc igitur quæro, vtrum debeat præcedere inueſtitura, an fidelitas?*

M. Hac de re ſic ait feudiſta: *lib. 2 t. 4.* ſæpe reſpōſum eſt inueſtiturā debere præcedere fidelitatē; quę oratio nō min⁹ videtur ambigua & flexiloqua, quā illa veteris oraculi: *Aio te Æacida Rom vincere poſſe*; ſed ita intelligēda: Inueſtiturā pcedere, hāc ſubſeq iuſiurādū fideli-

tatis,vt ſatis apparet ex *t.7.lib.2.feud.* Igitur hic ſeruabitur ordo,vt initiũ fiat ab inueſtitura abuſiua, ſequatur fidelitatis præſtatio,& hanc immiſſio ſeu inductio in poſſeſſionẽ,quæ iã eſt inueſtitura propria, *Zaſ.p.6.n.16.& p.7.n.14.* Ratio eſt:quia obligatio vaſalli ſeu fidelitas naſcitur & pendet ex beneficio patroni; igitur hoc natura prius eſſe oportet. *Hotom. in comment. ad t. 4.lib.2.Zaſius* verò hanc reddit rationem;quia actus agentiũ in ſubiecto prædiſpoſito operatur:quæ veriſſima quidẽ nimis remota & penè metaphyſica eſt ratio.

2. D. *Quid ſi hic ordo inuertatur, vitiaturne & ipſo Iure,nullum eſt id,quod agitur?*

M. Imò nihil nocet,etiamſi ordo iſte nõ exactè obſeruaretur.Sufficeret. n. ordo intellectus, vt rectè admonet *Zaſ.dd.loc. arg.l.2.§.ſi quis ita, ff. de vulg.& pup. iũcto §.ante.Inſt.de leg.* Dum tamẽ illud meminerimus, quod & ſupra monui; ſi incipiatur ab inueſtitura propria fruſtra adhuc requiri abuſiuã. Quãuis Papa Ioannes videatur etiã ſic illã requirere in *c.1. 16.quæſt. 2.* Cũ ſic ſcribit:*Diuinæ ll.habent & ſeculares,vt cuius eſt poſſeſſio,eius fiat & Inſtitutio*, id eſt, inueſtitura. Et ſi in dãdo quod maius eſt, fuit charitas, fit facilior in concedendo,quod minus eſt, ſancta largitas. Maius enim fuit poſſeſſionẽ dare, quam ſic inueſtiturã concedere; ſed hanc ſententiã nõ immeritò reprehendit *Hotom.*

3. D. *De iureiurando fidelitatis quid dicis?*

M. Primum de vocabulo hoc ſcire debes, *fidelitatem* ſæpiſſimè in iure feudali vſurpari pro ipſo iureiurãdo, quod vaſallus præſtat ſeniori, vt *lib. 2.t.4.tit.6.& tit.7.* Vnde fidelitatẽ facere eſt iuſiurandũ pręſtare, *lib.2.t.3. & t.26.& paſſim apud Hiſtoricos.* Vocatur etiã *hominiũ* & *hominatus.* Sicut *dominiũ* & *dominatus* promiſcuè dicitur teſtę *Cuiac.ad c.14.ext. de iurei.* Vulgò poſteriores dixerũt *Homagiũ*; ſed antiquus & verius eſſe *hominiũ* ſignificat etiã *Alb.Krãtz.in ſua Vãdalia lib.3.c.36.& Cuiac. quoq; init.feud.ait:* vocẽ *Hominii* eſſe cõcinniorẽ quàm *Homagii.* Vtrumq; verbũ fidelitatis, inquã, & hominii, cõiungit *Otto Friſing.lib. 2. de reb.geſt.Frid.c.5.Petrus verò rex Daniæ accepto ab ipſius manu regno fidelitate & hominio ei obligaretur*, &c. Et ipſe Fridericus in

Epiſtola

Epiſtolâ ad Patruum ſuum, qua ſumma rerum capita ab ſe geſtarum, tanquam materiam ſcribendæ hiſtoriæ ſubminiſtrat, ſic inter cætera ait: *Vbi rex Danorum Petrus ad curiam noſtram vocatus venit, & hominio ac fidelitate nobis facta coronam regni de manu noſtra ſuſcepit.* Vbi obſeruabis, quod ad hiſtoriam pertinet, Olim Regem Daniæ fuiſſe vaſallum Imperatoris: ſicut & Rex Poloniæ, (qui olim dux tantum fuit) non ante admiſſus fuit in conſpectum Friderici I. licèt multa munera ei adferret, quam homagium ipſi feciſſet de Pomeranis & Rugis, ſubiectionemque perpetuam ſacramento confirmaſſet: teſte eodem *Ottone lib. 7. Chronic. cap.* 19. Ex quo priſcam illam maieſtatem & amplitudinem Imperii Romani æſtimare cuiuis in promptu eſt. *Hominium* autem ab homine deductum eſſe manifeſtum eſt. Nam *hominem alicuius fieri,* idem eſt, quod *ſubiici ei tanquam vaſallum*: vnde & *Leutes* ſiue *Leotes* dicuntur Germanicè: Eines ſeines Leüte / vel plenius & vſitatius, Lehnleut: quomodo etiam in Iure ciuili *Homines* noſtri dicuntur ſerui, & qui ſeruorum ferè loco ſunt mercenarii coloni, &c. *Exempla vide apud Cuiac. in prolego. Feud.* Etſi enim vaſalli non ſunt propriè ſerui (imò ſerui feuda non magis accipere poſſunt quam militare) (vt ſupra dictum) tamen ſunt quaſi ſerui, & (vt Cuiacius eleganter vocat) ἀνδρόδουλοι. Et hæc de verbis, quibus hoc ius iuſiurandum feudiſticum denotari ſolet: quibus & hoc addendum; Interdum diſcerni fidelitatem ab hominio, & illam ſine hoc præſtari: quo caſu Hominium eſt ſubiectio perſonarum, v. g. cum in capitulis Concordiæ inter Papam Hadrianum & Fridericum 2. continetur, vt *Epiſcopi Italiæ ſolum Sacramentum fidelitatis ſine hominii faciant Imperatori.* Quemadmodum autem Iure ciuili iuſiurandum non tantum ad controuerſias decidendas adhiberi ſolet, quod vocant *Litis deciſorium*: ſed ſæpè etiam obligationis firmioris cauſa præſtatur vel ab iis qui magiſtratum aliquem aut munus publicum ſuſcipiunt, item à Iudicibus, ab Aduocatis, ab ipſis litigatoribus, vel à contrahentibus, vt prolixè docet *Borcholt. in tractatu de iureiur.* Quemadmodum item libertus inter manumittendum iurabat

patrono, ſe præſtiturum ei donum, munus & operas *l. 7. & l. 8. in fin. ff. de operis libert. l. vlt. ff. de liberali cauſa, l. 13. in princip. ff. de acceptilat. l. 6. §. ſi quis abſente, ff. de confeſſis, Caius libr. 2. Inſtitut. titu. 9. de oblig.* Sic feudorum quoque autoribus viſum eſt iureiurando vaſallum obſtringere ſeniori ad fidem & obſequia præſtanda. Aiunt quidem Theologi; Deum non facere diſcrimen inter nudum ſermonem & iuſiurandum: *Sit*, inquit Euangelion, *Sermo veſter: Eſt eſt, Non non:* Matth. 5. Ad quē locum memorabiliter in hoc verbo commentatus eſt *Chromatius*; (vulgò malè tribuitur Chryſoſtomo) *c. 12. iuramenti. 22. q. 5. Dominus*, inquit, *inter iuramentum & loquelam noſtram nullam vult eſſe diſtantiam. Quia ſicut in Iuramento nullam cōuenit eſſe perfidiam, ita quoque in verbis noſtris nullum decet eſſe mendacium: Quia vtrumque & periurium & mendacium, diuina iudicii pœna damnatur, dicente ſcriptura:* Os quod mentitur occidit animam. *Quiſquis ergò verum loquitur iurat.* Quam in ſententiam præclarè quoq; ſcribit Athanaſius in Paſſionem & Crucem Domini. Vnde etiam Euagoras Rex laudatur ab Iſocrate quòd non minus ſeruaret nuda promiſſa, quam iuratas conuentiones, *Cuiac lib. 22. obſ. cap.* 7. Et fidem quamuis iniuratam fallere graue, naturæque hominum inconueniens eſſe dicitur, *l. 1. ff. de pact. & l. 1. ff. de conſtituta pecunia.* Sed tamen omnium gentium opinione & inſtituto maior vis tribui ſolet iuratæ promiſſioni, quam ſimplici ac nudæ, proinde etiam iuratam fidem frangens, grauius delinquere exiſtimatur & durioribus pœnis afficitur, *l. ſi quis maior 41. C. de tranſact. l. 1. & Anth. Sacramenta puberum, C. ſi aduerſus vendit. vid. Iul. Clar. in §. periurium.*

4. D. *Quid igitur iurat vaſallus domino?*

M. Se toto vitæ ſuæ tempore fidelem ipſi fore (vnde ſępè per excellentiam *fidelis* pro *vaſallo* nuncupatur, Exēpla annotauit *Hotomannus in Lexic. Feudiſtico, quibus adde tit. 7. lib. 2.*) ſiue, vt ait Feudiſta, Iuſiurandum fidelitatis in ſe continet integram & perfectam fidelitatem, *lib. 2. feud. tit.* 7. Vbi obſeruabis obiter *verbum*, eleganter ſumi pro integra oratione, quemadmodum cum Latini dicunt: *vetus verbum*, pro, *antiquo dicterio*,

ſeu

ſeu *prouerbio*. Quia verò generaliter dicta ferè ſunt obſcura & confuſa, nec ſatis ab omnib. intelliguntur: imò etiam ſæpè neglecta videntur: (vnde & Ariſtot. inquit: Qui vniuersè aliquid dicunt, nihil dicunt, & ſe ipſos decipiunt, & eruditè *Zaſ. p. 7. n. 15.* Simplices, inquit, nõ niſi per indiuidua ducũtur.) Idcircò interpretationis & explicationis clarioris gratia exprimuntur certa quędã capita huius iuriſiurandi, vt eò rectius & plenius etiam à rudioribus intelligi poſſit, quid hoc ſit, fidelem alicui eſſe, vt quæ ſint iſtius fidei vaſallitiæ partes & munia intelligatur, omniſque ignorantiæ excuſatio præcidatur; ea capita petere potes ex aliquot formulis deſcriptis *libr. 2 titu. 5.* cum duobus ſeqq. Maximè vero accurata & enucleata eſt ea, quæ poſtremo loco adfertur, quam & feudiſta ait in omnibus ferè curiis hodiè obtinere & frequentari: Hotom. tamen in *diſp. de feud. c. 24.* eam formulam exagitans, ita ſtolidè & barbaricè à feudiſtis conceptam eſſe dicit, vt eius lectores pudeat. *Cuiac. quoq; lib. 2. feud.* teſtatur formulas fidelitatis quæ ponuntur ſub *tit. 6. & 7.* à melioribus libris abeſſe, (ſicut iam olim Accurſ. ad eos tit. annotauit. Quidam non habent hunc tit. ſed addit: *male*) ac putat, a neſcio quibus inſertas eſſe temerè libro Oberti. Titulus quidẽ 6. totidem verbis extat in Iure canonico 22. *q. 5. c. 18.* Eſt autem ex Epiſtola Epiſcopi Carnutenſis Philiberti (vel vt in Decreto appellatur, *Fulberti:*) ad Guil. Aquitaniæ ducem. Sed cum iam tot ſeculis receptæ fuerint iſtę formulæ, & maximè poſtrema; Nos quoq; eas retinere poſſumus, licèt barbaricè ſcriptas. Nã elegantia ſermonis Latini non eſt à feudiſtis petenda. Illud tamen non inuitus fateor; cum feudorum non omnium ſit eadem conditio, vix poſſe vnam & generalem formulam omnibus ſatis commodè aptari: quare conſiliariis principum, vel etiam ipſis ſenioribus videtur permittenda conceptio formulæ, quæ ad cuiusque feudi qualitatẽ ſit accõmodata: qua in re ſequęnda etiã eſt cuiusq; regionis conſuetudo. In Germania paſſim generalis & breuis huiuſmodi formula eſt recepta: *Ego ꝓmitto & iuro, me vtilitatẽ Dñi mei adiuturũ & promoturũ, dãn a verò pro virili auerſurum ac propulſaturũ ex fide bona abſq; dolo*

malo? Jch gelobe vnnd ſchwere / daß ich meines Herren Nutz vnd Fromen getreulich/meines beſten vermögens fördern vnnd ſeinen Schaden hindern vnnd abwenden wölle. Alles getreülich / ohne Argeliſt vnnd Geferde. Quæ poſtrema clauſula omnibus ferè Inſtrumentis cõtractuũ hodiè ad finem apponi ſolet, exemplo Græcorum qui eadem vtebantur, vt ex Herod. aliiſque didicimus: ἄνευ δόλου καὶ ἀπάτης: & Romanorum, qui addebant: *ex fide bona, & inter bonos benè agier.* Alias formulas Germanicas Iuramenti fidelitatis vide apud *Andr. Perneder in tra. feud. pag.* 12. *& ſeq. & pag.* 16. Sed priuſquã ad alia pergamus, ex illa formula t. 7. præſcripta delibabimus pauca quædam, & quid ſibi velint, ponderabimus, vbi & hoc prius monuero: Non tàm ouum ouo ſimile eſſe, quàm eſt huic formulæ illa, qua ſibi Pontifex Rom. adſtringit Epiſcopos. Ea deſcribitur *in c.* 4. *ex. De iureiur.* Ait Feudiſta: *Super hæc ſancta Dei Euangelia.* Quod in t. ſupra ſic habetur: *Iuro ad hæc ſancta Dei Euangelia,* id eſt, vt paſſim in iure Iuſtiniani habetur: *tactis SS. Euangeliis.* Fuit enim antiquitus hoc receptum, vt homines maiore cum religione & veneratione ac pio quodam horrore ad iurandum accederent, in medio collocare codicem in quo deſcripta eſſent 4. Euangelia, quem Codicem iurans tangeret, vel tota dextra vel duobus primoribus digitis impoſitis. In fine quoque iuriſiurandi addebant: *Sic me Deus adiuuet & hæc ſancta quatuor Euangelia*: vt extat etiam apud *Radeuic. lib.* 2. *c.* 19. vide & *Antonin. Teſſaurum Deciſ.* 47. Quo tamen tactu ſac. ſcript. non erat opus ſi iuraret clericus, in quo ſatis eſſe iudicarunt veteres, ſi ſaltem in conſpectu eas haberet poſitas in medio. Interdum etiam reliquias Sanctorum alicui capſulæ incluſas in conſpectu proponebant à iurante tangendas: Quo modo hodiè ſæpe qui iurant, primoribus digitis ſceptrum ſibi porrectum contingunt. Quæ ſolemnitates fortaſſe non mererentur reprehenſionem, ſi homines hac occaſione non prolaberentur in impiam ſuperſtitionem (quod ſanè in procliui eſt,) & contra interdictum Chriſti, per creaturas ęquè ac per creatorem ſe iurare exiſtimarent. Bono quidem ſtudio ac fine eas ceremonias in-

uentas & inſtitutas eſſe ab antiquitate, nemo negauerit: Sed ſolent etiam optima inſtituta ſępè degenerare, neq; ſincere ad poſteritatem tranſmitti, vt etiā doctiſſimus Virgilii interpres Seruius alicubi conqueritur: quæ cauſa fuit, cur magiſtratus Reformatarum Eccleſiarum hunc morem ac ritum ita iurandi per SS. Euangelia, vel per reliquias Sanctorum ſuſtulerit: Omiſerint etiam illam clauſulam: *Sic me adiuuent hæc quatuor ſancta Euangelia*; relictâ tantùm illâ: *Sic me Deus iuuet*: Das helff mir der Allmechtig GOtt / vt etiam habetur in Reform. Norica. *l.* 4. *titu.* 7. Et quidem hoc melius eſt, quàm per Deum & omnes Sanctos iurare, vt vulgò quoque dicitur: Einen Aydſchweren zu GOtt vnnd allen Heyligen. Iusiurandum enim ſpecies eſt cultus diuini, qui vtriq; non eſt dandus creaturæ, ſed ſoli creatori, per ſolum, inquam, Deum iurandum eſt, quia ſoli Deo honor & gloria, vt præclarè *Cuiac. ad cap. etſi Chriſtus, extra de iureiur.* Obſeruabis hîc obiter veteres, Romanos ſæpè etiam per ſuorum parentum & maiorum oſſa ac cineres iurare conſueuiſſe, vt *Propert. lib.* 2. *Eleg.* 20.

Oſſa tibi iuro per matris & oſſa parentis.
Si fallo cinis heu ſit mihi vterque grauis. Et libr. 4. Eleg vlt. *Teſtor maiorum cineres tibi Roma colendos, &c.* Sic *Seneca libr.* 7. *Controuerſ. in proœm.* iurat per patris cineres, iurat per patris memoriam, &c. Sic etiam per præceptoris manes aliquanto iurabant teſte eod. *Sen. libr.* 9. *Controu. cap.* 3. Sequitur in formula: *Ab hac hora in antea*: Pro quo in *tit.* 5. *item apud Radeuic. d. cap.* 19. eſt, *à modo in antea.* *In antea*, idem valet iſtis ſemibarbaris, quod Latinis: *deinceps, in poſterum, poſthac*; Sequitur: *Vſque ad vltimum diem vitæ meæ*: quæ verba tacitam hanc conditionem in ſe complectantur ſi nimirum & quatenus & quandiu vaſallus retinebit feudum, nec domino id refutauerit ſeu reſignauerit: Id quod facere poteſt etiam inuito domino, vt infra audies, quanquam autem poſt reuocationem ſeu reſignationem non amplius cogatur vaſallus domino præſtare ſeruitia; tamen offendere ipſum non debet, ob memoriam priſtinæ neceſſitudinis, vt habetur expreſſum

Google

in fine *tit.38.lib.2.* Addit Feudiſta; *Contra omnem hominem.* Intellige niſi alius ſit antiquior dominus, à quo antea feudum tenebat; hunc enim vaſallus pręferre debet, omnibus poſterioribus, §. *vlt.t.* 28. *li.*2. Quia prior tempore potior iure hic quoque eſſe debet. *Accurſ.d. loco in verb. dominum antiquiorem.* Sequitur porrò: *Excepto Imperatore vel rege.* Regem & Imperatorem, feudiſtæ promiſcuè vſurpant teſte *Hotom. in Lexico feud. in verb. Regem*: quanquam Romani nomen regium non ſolum inuiſum habebant, ſed etiam planè intolerandum ob damnatam memoriam Tarquinii Superbi, quē propter tyrannidem Brutus expulit, ciuitate in libertatem vindicata. Quod autem in omni Sacramēto fidelitatis nominatim excipi debeat Imperator, habes in *§.fi. t.55.li.2.* Solus enim Imperator aut alius non recognoſcens ſuperiorem, poteſt habere vaſallū ligium vt ſupra audiuiſti *in diuiſ. feud.* Excipiunt quoq; Papam Romanum per *c.19. extra de iureiur.* Item patriam cuiusq; *Aluarot. in d.§.fi.t.28. argumento l. veluti, ff. de iuſt. & iur.* Itē, perſonam ipſius vaſalli. Quod deinceps ait formula: *Ero fidelis.* Id generale eſt in omni feudo, & quidem ſubſtantiale feudi, à quo etiam nomen accepit ſecundum quoſdam, §. *vlt.t.3.lib.*2. Nam inter dominum & vaſallum nulla fraus, nec vllum malum ingenium debet interuenire, §. *fin. titu.* 52. *libr.*2. Non poteſt igitur fidelitas ſeu fides vaſallo remitti à domino, quia pacta contra ſubſtantiam contractus appoſita, nullius ſunt momenti; Et quia iſta remiſſio inuitaret ad delinquendū, ſicut etiam iure ciuili nullā pactione effici poteſt ne dolus præſtetur: eſt enim contra bonam fidem & contra bonos mores, *l.*27. *§. illud. ff. de pact. l.*17. *in princip. ff. commod. l.*1. *§. illud, ff. depoſiti. l.* 23. *ff. de R. I.* Sed iurisiurandi gratiam dominus vaſallo facere poteſt, vt habetur in fin. *titu.* 3. *libr.*2. *in verb. niſi eo pacto acquiſitum ſit ei feudum, vt ſine Iuramento fidelitatis habeatur. Item in §. eſt & alia, t.24. in verbis, ſunt enim quædam feuda ita data, vt pro his fidelitas non ſit præſtanda.* Vbi obſerua: Fidelitatem poni, pro iuramento fidelitatis.

§. D. *Sed nunc ſicut Iuſiurandum remitti poteſt, ita*

& omne

& omne ſeruitium: ſiue, valetne pactum de non præſtando vllo ſeruitio, neque reali neque perſonali?

M. Valet; Poteſtq́; feudum ea lege conſtitui, vt nullum pro eo præſtetur ſeruitium; non enim vt fidelitas, ita & ſeruitium eſt de ſubſtantia feudi, *Andr. de Iſern. in §. fin. tit. in quib. cauſis feud. amit.* niſi ſeruitium conſideres, quatenus ipſi fidelitati ineſt, vt voluit *Bartol. in cap. Imperialem, de prohib. feud. alien. per Frider.*

6. D. *Nunc velim pergas in explicatione formulæ iuriſiurandi?*

M. Capita eius ſingula totidem continent officia vaſalli, quæ ſeniori ſuo præſtare debet: Quæ cuiusmodi ſint, infra accuratius examinabimus loco proximo, poſt expoſitos acquirendi feudi modos. Interim hoc memineris; Omnia illa officia ad hæc duo reuocari, quæ ſunt vtilitates domini in eius corpore ac vita, in honore & rebus promouere atq; adiuuare, & damna, incommoda, pericula eiuſdem præcauere, propulſare & auertere, ſiue abſtinere à malo & facere quod bonũ eſt, vt dicitur in *Epiſtola Philiberti*, ex ſacris literis deſumtum *Pſ. 34. verſ. 13. Eſa. 1. verſ. 15. & ſeq. & 1. Petr. c. 3. verſ. 11.* Ex qua eadem Epiſtola obſeruentur illa ſex capita quæ vaſallus ſemper in memoria habere iubetur: *1. Incolume. 2. Tutum. 3. Honeſtum. 4. Vtile. 5. facile & 6. poſſibile*, quæ etiam eodem ordine refert ex illa Philiberti epiſtola Ioannes Sarisberienſis lib. 6. Policratici, cap. 25. Quod autem in formula additur: *pro poſſe meo*, & mox: *prout potuero* Item: *Sicut potero* (in *Clem. 1. de iure iur. Secundum ſcire & poſſe meum*) id elegantius dici potuiſſet, *pro mea virili*, vel *pro viribus*, vel. *ex ſummis opibus*, vt Plautus & Symmachus loquuntur, vel vt Saluſt. *ſumma ope.* German. Nach meinem beſten vermögen. Obſeruetur autem hic, ad impoſſibilia neminem obligari; quæ eſt regula vtriusq; Iuris. Notabis etiam in formula quod dicitur: *inde requiſitus.* Vbi rectè annotat *Accurſ. ex titu. 21. libr. 1. & tit. 37. lib. 2. §. vlt. & ex tit. 26. §. etſi, & §. licet vaſallus, & ex tit. 26. §. etſi, & §. licet vaſallus, & ex titu. 28. §. ad hoc vaſallum non teneri offerre domino officium, ſatis eſt, ſi domino petenti & requirenti ſeruire paratus ſit, ſi non deneget operam ſuam.*

7. D. *Sed obſtare videtur quod præceſſit: vbi iurat vaſallus, ſe impediturum aut ſaltem nunciaturum domino, ſi quid alii contra ipſum machinentur: Ergo vltrò etiam non requiſitus vaſallus domino ſe offerre cogitur?*

M. Dicitur quidem; Vaſallus ſi reſcierit aliquas molitiones contra dominum, debent eum ſuper hos quãtotius certiorare, quod ni faciat, beneficio cariturus eſt, *§. præterea ſi vaſallus, t.24. lib.2. & d.§. ad hoc. t.28.* Sed hoc intelligendum eſt de caſibus domino ignotis, ſiue de molitionibus & inſidiis occultis atq; clandeſtinis: Has vltrò non requiſitus debet domino patefacere, cum fruſtra hoc caſu requiſitionem ſiue interpellationem domini expectemus, qui periurus eſſet niſi à vaſallo de cauendis inſidiis admoneretur. Aliud eſt in caſib. domino non ignotis, in quibus ſi non requiſiuerit opem ſui vaſalli, ſibi hoc imputet. Nam vt eſt regula Iuris: Eum qui certus eſt, certiorari amplius non oportet, *t.31. de R.I. in 6.*

8. D. *Quid eſt, quod ait:* Si ſciuero te velle iuſtè aliquem offendere?

M. Vt intelligamus vaſallum non cogi aſſiſtentiam facere vel auxilio ſuo adeſſe domino iniuſtam fouenti cauſam, ſiue iniuſtè alteri guerram facienti, vt loquitur Feudiſta §. 1 *tit.28. lib.2.* Sed hæc latius explicabuntur infra ſuo loco, cum de officio vaſalli erga ſeniorem agemus. Interim quod de ſecreto ſiue arcano domini per vaſallum non manifeſtando in omnibus tribus formulis, continetur *libr. 2. feud. tit.5.6. & 7.* Ad id velim te obſeruare primò quidem illud Horatii præceptum, iubentis: *Caueri eum tanquam nigrum commiſſa tacere qui nequit.* Deinde notabis inſignem locum *Senec. libr.5. de benefic. cap. 21. Multa legem non habent, nec actionem. Atque conſuetudo vitæ humanæ lege omni valentior dat aditum. Nulla lex iubet amicorum ſecreta non eloqui. Querar tamen cum eo, qui arcanum ſermonẽ non continuerit & fidem datam, nec ſeruatam indignabor.* Hactenus Seneca. Iure tamen feudiſtico non tantum primus conqueri cum tali, ſed etiam actionem aduerſus ipſum inſtituere, nẽpe ad priuationem feudi propter Feloniam, vt aliàs audies. Tandem

addit

addit Feudiſta: *ſi conſilium mihi.* (pro, *à me*) *ſuper aliquo facto poſtulaueris*, &c. rectè ait: *poſtulaueris*; alludens ſc. ad illud vetus præceptum: *Ad conſilium niſi vocatus, ne acceſſeris.* Eſt enim conſilium res ſacra, quod elegãter explicat Eraſmus Chiliad. *Illud tibi dabo conſiliũ, quod mihi magis videbitur expedire*, intellige: *tibi*; & ſimul obſeruabis hîc verſum Theogn. vſurpatum & *Cuiacio in Procem. conſult.* quem ſic Latinum facere poſſis: *Noſtro ſit capiti, ſi quid male conſulam amico.* Sic & erga dominum vaſallus animatus eſſe debet, vt non minus rectè ipſi in eius cauſa cõſultum eſſe velit, quam ſibi in propria. Occaſione eius quod in formula promittit vaſallus, nunquam ſe futurum invllo conſilio contra dominũ. Quęri poſſe video: Si dominus factus ſit furioſus, vel prodigus, vel tyrannus; an poſſit vaſallus eius conſilii particeps eſſe, in quo agatur de ipſo vel capiendo & ligando, vel compeſcendo caſtigandoque. Probo ſententiam *Iſerniæ*, *Præpoſiti* & *Zaſii* exiſtimãtium, poſſe vaſallum huiusmodi conſiliorum tractationi ſine fraude intereſſe. non tam enim hoc pertinebit ad iniuriam & cõtumeliam aut damnum domini, quam ad ipſius pariter & totius regionis vtilitatem ac ſalutem. *Vid. Zaſ. p. 7. n. 15.*

9. D. *Semperne eâdem formulâ vtendum eſt? in renouatione inueſtituræ qua in prima inueſtitura iuratum eſt, an verò poterit eam dominus inuito vaſallo mutare aut innouare?*

M. Imò ſi dominus vaſallo noua quædam & inſolita capitula iuriſiurandi poſterius obtrudere velit, non cogitur vaſallus ea recipere, ſed recuſare poteſt, & petere, vt dominus velit eſſe contentus antiqua formula; ita rectè *Hartm. de feud. obſ. 13. n. 7.* allegans ad hoc *Aluarot.* & *Specul.* Hoc tamen ſcias; ſi vaſallus dicat: Pacta quæ dominus inueſtituræ apponere vult, eſſe noua & inſolita apponi, domino negante vel contrà, ſemper ei qui ait, non qui negat incumbere probationem, *l. 2. cum ſimilib. ibid. per Gotofr. allegatis, ff. de probat. Iul. Clar. §. feudum, quæſt. 20.* Vbi notabiliter admonet, vaſallum cautum eſſe debere, vt ſemper accipiat renouationem iuxta formam primæ inueſtituræ.

10. D. *Eſtne illud iuſiurandum, quod præſtant ſubditi ſuo principi quam Germ. vocamus* die huldigung oder Erbhuldigung, *idem cum iuramento fidelitatis, quod præſtat vaſallus?*

M. Sunt quidem hęc inter ſe ſimilia, ſed tamẽ multum differunt. vid. *Zaſ. p. 7. n. 16.* & huiuſmodi iuramẽta ſubiectionis ſunt illa, quæ Carolus Magnus & Frid. 1. Imperatores ſuis ſubditis præſcripſerunt, vt videre licet *lib. 4. legis Franc. t. 46. & apud Radeuic. lib. 1. c. 19.* Et memorabile eſt diſcrimen quod inter hæc duo genera annotauit *Zaſ. p. 7. n. 21.* Ciuem vel ſubditũ hoc iuſiurandum ſubiectionis ipſum per ſe, non per procuratorem vt vaſallus poteſt, præſtare debere, ſicut etiã ius ciuitatis ipſe per ſe reſignare debet, *argumento l. 35. ff. de R. I.* Deinde etiam diligenter ab hoc feudiſtico diſcernere debes iuſiurandum ſiue ſacramentum militare. Cuius formulas diligenter hinc inde ex hiſtoricis collegit *Iuſt. Lipſ. lib. 1. de milit. Rom. Dial. 6. vide & Veget. de re mil. lib. 1. c. 5. & Commentar. Stewechii, itemq; Hotom. diſputat. Feud. cap. 24.*

11. D. *Quid tibi videtur de iureiurando illo, quod Imperator Romanus in ſua coronatione præſtare ſolet Papæ, cuius formula extat in c. 33. tibi domino. diſtinct. 63.*

M. Nobilis eſt hæc quæſtio vt & Hotom. ait, rectè multorũ exercituum ſanguine cruenta. Et Imperator quidem Henricus 7. Qui cùm Roberto Siciliæ rege inimicitias exerceret, Papâ Siculi partibus contra Imperatorem adhęrente, negabat eam eſſe formulam fidelitatis. Neq; enim imperium tanquam beneficium ſeu feudũ aliquod ſibi à Papa recognoſcendum exiſtimabat, quod etiã ante ipſum Frid. 1. ſtrenuè negauerat Adriano Pontifici. Sed Clemens Quintus, qui ſedem Pontificiã Roma tranſtulit Auenionẽ in cõcilio, quod Viennæ in Gallia habuit, defuncto iã Imperatore Hẽrico, ita eam declarauit, vt omninò iuſiurandum fidelitatis cõplectatur: Cuiacio potius aſſenſerim, *ad t. 7. lib. 2. feud.* qui negat Ottonem Magnũ Ioanni 12. Papæ fidelitatem iuraſſe, cum potius vice verſa, Papa tunc Imperatori iurare ſolitus ſit, qui etiam creandi pontificis ius poteſtatéq; ea ætate habebat, vt patet ex multis lo-

tis locis maximéque ex *c.9.22.& 25.diſt.63.* ſed tantum Ottoñem Ioanni tanquam dominum, non tanquã vaſallum Papę operam ſuam pollicitum fuiſſe ac fidelem defenſionem aduerſus Berengarium, qui tunc in Italia pro Imperatore ſe gerens Pontificem opprimebat. Alioquin non negauerim ſuperiorem etiam ab inferiore feudum accipientem poſſe ipſi reſpectu eius feudi fidelitatem iurare, vt docet *Zaſ.p.7.n.19.*

12. D. *Satis iam multa de iureiurando vaſalli dixiſſe videris: Nunc ſcire velim, an etiam dominus ſiue ſenior vaſallo iurare teneatur?*

M. Dicitur quidem dominus fideli ſuo in omnibus vicem reddere debere, quod ſi non fecerit, malefidus cenſeatur *lib.2.Feud.t.6.§. vlt.* Et quoniam, vt ait *Seneca libr.6.de benef.prope fin.* beneficium commune vinculum eſt, & inter ſe duos alligat: Eſt inter nos eius fides reciproca, ſiue, dominus & vaſallus ſunt inter ſe coniuges, id eſt, communi vinculo fidei coniuncti. *libr.2.F. t. vlt.* vt recte exponit *Cuiac. ad t. libro ſecundo Feud.* Et confert locum Pauli Apoſtoli, vbi Timotheũ, familiarem ſuum ac diſcipulum, vocat σύζυγον γνήσιον, id eſt, *germanum coniugem.* Huc pertinet Prouerbium noſtrate: Trewer Herr/Trewer Knecht. Vnde etiam ex quacunq; Felonia vaſallus feudo priuaretur ex eadem & dominus proprietatẽ amittere dicitur. §. *domino cõmittẽte, lib.2.Feud.t.26.& t.47.* vt hîc quoq; valeat illud æquiſſimũ Prętoris edictum, quę eſt vox naturę ipſius: *Quod quisq; iuris in aliũ*, &c. Quod ad ſimilẽ caſum accõmodat Feudiſta §. *in quib. etiã cauſſis, libr. 2.Feud.t.35.* Nã quod Lotharius Imperator ait in *t.55.* inter dominum & vaſallũ nullam fraudẽ, nullum malũ ingenium interuenire debere, id non minus ad domini quàm ad vaſalli perſonã referendũ eſt. Vnde & Lex 12. Tab. quã ſupra retuli ex Seruio: *Patronus*, inquit, *ſi clienti fraudẽ fecerit, ſacer eſto.* ſed nusquã lectum eſt, dominũ vaſallo quoq; iurare debere; idq; cõmuniter negant omnes interpretes ad *d §. vlt.t. 6. Zaſius p. 7. n. 57. Iulius Clarus quaeſt. 70.* Ita, inquit, ſeruat totus mundus. Et meritò. nam neque patronus iure ciuili compellitur liberto ſuo iurare de calumnia, *l.13.§. penult. ff. de iureiur.*

l.7.§.3.ff.de obſequiis. Debet quidem Patronus vaſallo vicem reddere, debet fidem mutuam, ſed debet iniuratus. *Cuiac.ad d.tit.7.* Debet dominus vaſallum defendere ſicut vaſallus dominum, vt ait *Iulius Clarus, quæſt.27.* De calumnia autem in cauſis feudalibus neque dominus iurare cogitur neq; vaſallus, *d.§.in quibus,lib.2.tit.33.* De quo latius infra cum de Iudiciis feudalibus dicetur.

13. D. *Quid ſi vaſallus domino fidelitatem iurare nolit?*

M. Pœnam hanc patitur vt dominus non cogatur inueſtituram ipſi facere.§.*nulla autem, t.3. lib.2.* Rationem hanc reddunt Accurſ. & alii ex regula vtriusque iuris;quia,Frangenti fidem ipſi quoque fides frangi poſſit,*l.cum proponas,C.de Pact.c.fruſtra 75.de R.iur. in 6.cum ſimilibus,Cuiac.ad cap.3. & cap.29. extr. de iureiur.*

14. D. *Quid ſi dominus vaſallum iurare paratum inueſtire nolit?*

M. Eius pœna hæc eſt: vt proprietate ſua priuetur. Accurſ.quamuis hæſitanter(vtitur enim particula *fortè*)ad *d.§.nulla.* Idque licet textu deſtituamur; tamen ex natura relatiuorum æquum videtur etiam *Anton. Contio.c.7.method. Feud.* Accurſium etiam ſequuntur *Iſern.Aluarot.Præpoſitus & alii. Vide Hartm.obſ.8.n.6.* Sed contraria ſententia verior videtur *Nicolao Mozio c.5.de feud.n.65.*

15. D. *Eſtne pro inueſtitura eiusq; renouatione aliquid dandum ſeniori à vaſallo,an vero gratis præſtanda?*

M. Dubitationem facit, quod feudum ex amore & honore domini originem habere dicitur; nec ſub prætextu pecuniæ acquiri oportere.*lib.1.feud.t.27.*& quod in definitione beneficii dicitur, *beneuola actio ad id, quod facit ſponte ſua prona & parata*; & in altera definitione ſimiliter dicitur:*ex beneuolentia dari. t. 23. F. 2. in fin.* Vnde videbatur dicendum: gratuita feuda eſſe debere. Si gratuita: E. nihil pro iis pecuniæ dandum. Contrarium enim eſt officio merces,vt ait *Paulus l.1.§. fin.ff.mand.* Sed quamuis gratuitum dicamus feudũ, nihil tamen vetat quo minus aliquid velut remunerationis

tionis loco reddatur ei qui conceſſit. Nam & mandatum,& commodatum,& precarium & depoſitum gratuiti ſunt contractus,& originem trahunt ex amicitia: Veruntamen in iis interuenire poteſt aliquod honorarium ſiue ſalarium, & remuneratio quædam, dummodo ne tanquam merces aut precium pecunia detur;tunc enim negociū migrabit in alium cōtractum, & fiet vel locatio conductio, vel emptio venditio, *l.6. & l.ſalarium,ff.mand.l.2.§. & generaliter, ff. vi bon.rapt. l.1.ff.ſi menſ.falſ.mod.dix.* Vide quæ dicta ſunt ad *t. Inſt. quib.mod.re.vide etiam Vincent. in ſpec.doctrinali,libr.7. c.145.* Quem allegat *Cuiacius ad t.1.libr.1.feud.* Atque ita paſſim in Germania receptum eſt, vt tam in prima inueſtitura,quam in renouatione eiusdomino aliquid pecuniæ numeretur, quaſi pro introitu, quod noſtri vocant: Handlohn/vel Lehengeld. De Galliæ moribus ſimiliter teſtatur *Cuiac.ad t.1.& t.5. libr.1.* Feudum redimi ſolere vel reditu vnius anni, vel pecunia certa ac arbitraria. Ad Emptitium feudum quod attinet, in quo non modicum quippiam, ſed verum & iuſtū precium prædii feudalis domino datur à vaſallo,ſcire debes,id non eſſe proprium feudum, ſed degenerans ſeu feudaſtrum, vt videre eſt apud *Zaſ.p. vlt.num. 19. cum tribus ſequent.*

CAPVT XI.

De pactis variis, quæ in Inueſtitura adiici & interuenire conſueuerunt, eorumque iure, virib. & interpretatione.

1\. D. *Quoniam in Inueſtitura feudali pacta plerumque adiici ſolent, cupio ex te cognoſcere, quid de eorum viribus ſtatuendum ſit?*

M. Rectè mones, & videtur hoc loco oportunè de illis quæri & explicari, priuſquam ad alios acquirendi feudi modos tranſeamus. Primùm igitur illud & Iure ciuili ponendum eſt, pacta legem dare contractib. eosque vnà cum actionibus inde deſcendentibus in-

non ad teſtamentarios; & ne ad legitimos quidem omnes, ſed ad deſcendentes; non ad aſcendentes, non etiam ad collaterales; ſi feudum ſit nouum (nam in antiquis ſuccedunt collaterales, nec tamen cognati, ſed ſoli adgnati) vt feudum non poſſit alienari, neque à vaſallo, neque à domino, inuito altero: vt poſſit refutari ſeu reſignari domino etiam inuito: Vt vaſallus non habeat facultatem teſtandi de feudo: Cum igitur inciderit quæſtio: *Quanam pacta in feudali inueſtitura appoſita valeant, vel non*, attendendum eſt, ſintne contra naturam, & ſubſtantiam ipſam feudi, eamque immutent, vel aboleant, an vero tantùm de accidentibus, quas *ſecundarias feudi notas* quidam appellant. Nam prioris generis pacta, quæ ſunt contra ſubſtantiam feudi, non valent, *argumento leg. 12. ff. de precario.* Poſterioris generis pacta valent: verbi gratia, non valet pactio, ne fides præſtetur: Valet autem ne iuſiurandum fidelitatis ſeu iurata fides præſtetur. Iuſiurandum fidei remitti poteſt; fides ipſa non poteſt. Rationem differentiæ ſupra audiuiſti, & *vide Zaſium par. vlt. num. trigeſimo quarto, & ſeq.* Illud autem conueniri poteſt, vt vaſallus primus duntaxat iuret fidelitatem, eius liberi & poſteri non teneantur eo iureiurando. Exemplum ex Hiſtoriâ Danicâ Alberti Crantzii adfert *Hotomannus in diſputatio. de feud. capite quadrageſimo.* Rurſum non valet pactio, vt quis feudum pleno iure dominii poſſideat, & actiones tam directas quam vtiles pro eo exerceat; non enim amplius erit feudum, ſed aliud negotium (verbi gratia, contractus innominatus) vt voluit *Oldradus conſil. 169.* Quamuis hoc feudum alii (vt Zaſius quoque *part. vltim. numero 33.*) Voluit eſſe quidem feudum, ſed improprium. Sic poteſt etiam inter contrahentes conuenire, vt in vaſallum tranſeat non plena poſſeſſio, ſed tantum vſus & fructus. Quo caſu erit etiam feudum improprium, teſte *Zaſ. d. loco.* Sic valet pactio, vt nullum ſeruitium pro feudo præſtetur, vt & ſup. docui ex Iſernia: Et vide *Nicol. Mozzi. c. 7. de feud. numero 32.* valet quoque illa conuentio vt certum ac determinatum aliquod

ſeruitium præſtetur: Vnde & in definitione feudi additur: *ſiue ſeruitium illud nominatim, quale eſſe debeat, ſit expreſſum*, &c. *lib.* 2. *feud. t.* 23. *in fin.* Et vterque feudiſta ait, poſſe feudum dari ad certum ſeruitium, §. *vlt. l.* 51. *libr.* 5. Quod *feudum conditionale* vocat *Cuiac. ad t.* 67. *lib.* 4. Alii vocant *conditionatum.* Huiuſmodi certa ſeruitia ſunt: deducere vxore ſenioris ad Eccleſiam dieb. dominicis vel aliis feſtis. §. *preterea, t.* 2. *libr.* 2. *de feud.* Item, apparere & miniſtrare domino ad menſam certis diebus: item, quotannis equum domino magni pretii dare. Item, auxilia certa ipſi mittere, tempore belli, puta 100. milites ad 40. dies, vt exemplũ ex Chronico Sigberti adfert *Hotom. d. c.* 40. Sic certi ſeruitii genus eſt ſtrepam tenere conſcendenti equum, quod legimus aliquandò etiam Imperatores Germanos exhibuiſſe Papæ Romano. Sic quæſitum ſcio, An valeat pactum, vt vaſallus canat fidibus ad menſam domini? Et reſpondent, valere, dum tamen fiat ob honeſtam & iuſtam cauſam. *Mozzi. c.* 7. *n. vlt.* Hìc notabis, ſi certum ac determinatum ſeruitium pacto fuerit promiſſum, non poſſe vaſallum cogi ad alia præſtanda. Nam incluſio vnius eſt alterius excluſio, *argumento l.* 12. *ff. de iudic. & l. vlt. C. de pact. conuent. l. maritus.* 21. *C. de Procurat. cum ſimilib.*

2. D. *Quid ſi in inueſtitura non fuerit facta mentio vllorum ſeruitiorum, neque in genere, neque indefinitè, neque in ſpecie.*

M. Quamuis Iſernia voluerit, vaſallum nulla debere, tamen verior eſt aliorum, vt Præpoſiti, Matthæi de Afflict. & Laudenſis ſententia, nihilominus ſeruitia aliqua etiam tunc præſtanda eſſe. Nam quæ inſunt naturaliter contractibus, ea licèt non exprimantur, tamen tacite veniunt & in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum eſt, *l.* 3. *ff. de reb. credit.* Et quę ſunt conſuetudinis, ea maximè in bonæ fidei contractibus, etiam omiſſa pro adiectis tamen habentur, *l.* 4. *cum duab. ſeq. ff. In quibus cauſſis pignus, l. quòd ſi nolit. §. quia aſſidua ff. de adilit. edicto.*

3. D. *Perge quæſo enumerare exempla pactorum inueſtitura validorum & vtilium.*

M. Va-

M. Valet quoq; pactum, vt feudũ ſucceſſione perueniat ad aſcendentes: *de quo infra in c. de ſucceſ. feud.* Itẽ vt frater fratri in feudo nouo ſuccedat, *§. vlt. t. 8. lib. 1. & t. 14. § ſi duo fratres.* Vbi ait textus: Per pactũ frater fratri ſuccedit: & *§. ſi quis miles, t. 19. & lib. 2. feud. t. 4. & t. 18.* Itẽ valet pactum vt frater non ſuccedat; ne quidẽ in feudo paterno, *§. vlt. t. 26. lib. 6.* Sic valet pactũ, vt liberi ex ſecundo matrimonio nati, nõ ſuccedant in feudũ, contenti donatione propter nuptias, quod dicitur matrimonium ad Morganaticã cõtractum, vt eſt *lib. 2. feud. t. 29. vide etiã §. mulier & §. filii, t. 26.* Morganatica verbũ eſt feudiſticum, ex Germanico Morgengab deprauatum, quaſi dicas, *donũ matutinũ*, videl. quod maritus vxori dat pro prima nocte in vicem donationis propter nuptias, quartã videlicet partẽ vel tertiã bonorũ ſuorum. vide *Cuiac. ad t. 9. lib. 2. & Hoto. in dict. feudi. verbo* Morganatica. Cõtra quoq; valebit hęc cõuentio, per quã à ſucceſſione feudi excluduntur filii primi matrimonii, teſt. *Bald. ad d. §. filii, t. 26. lib. 2. vide & Moz. c. 7. n. 14.* Sic cõueniri etiã poſſet, vt naturales liberi legitimati in feudo ſuccederent. Sic valet pactũ, vt in feudo ſuccedant etiã fœminę. *§. quia etiã, t. 6. lib. 1. §. filia v. t. 8. de ſucceſſ. feud. & §. vlt. t. 14. & t. 24.* Quemadmodũ feudum ad filiam pertinet, *& §. ad filias, lib. 2. t. 11. & 50. & ſequen. § ſimiliter ſi quis.* Quod feudum fœmineum ſeu muliebre dici ſupra audiuiſti in diuiſionibus, & plura de eo dicemus infra cum *de ſucceſſ. feudi agemus.* Sic valet conuentio, vt vaſallus habeat facultatem alienandi feudum & transferendi in quemcunq; velit, ſiue cuicunque dederit, *§. ſi v. t. 13. lib. 1. §. penult. lib. 2. t. 26. & t. 48.* Item vt poſſit de eo teſtari: de quo itẽ plura dicemus infra. Sic valet conuentio, vt vaſallus ſuis ſumptibus ſeruitia prę́ſtet, vt latè probat *Borch. c. 1. de feud. n. 25. vbi etiã duob. ſeqq. n.* docet, quid iuris ſit de ſumptb ſi nihil conuenerit. Non probo autem quod *Hoto.* ait *c. 40. in diſput. feud.* contra naturã feudi fore, ſi ita conuenerit, vt vaſallus ſuo ſumptu operas daret. Vtitur quidem ille *§. 33. ff. de oper. libert.* Sed ea lex ſic intelligenda eſt, ſi videlicet libertus inops, non habeat vnde ſe alat, neque tantum temporis vacuum ipſi conceda-

datur extra operas, vt quæſtum facere, vt alimenta ſibi comparare poſſit. Ita conciliabis eam *l.33.cum l.18. & trib.ll.ſequent.Itemque,cum l.pen.ff.eod.tit.* Vel certè hanc ex illis ita explicabis. Sic valet pactio, vt liceat feudum diuidere,vel ne diuidatur. Nam eſſe diuiduum vel indiuiduum,accidit feudo vt ſupra dictum in diuiſion.feud. Sic valet pactio, vt vaſallus propter denegata domino ſeruitia, aut alienationem feudi irrequiſito domino factam aliasve cauſas non priuetur feudo, ſed ad pœnam aliquam pecuniariam teneatur, vt ex *Aluarott. Ioan. Andrea & Iacobino probat Mozzi.c. 7. de feud. num.* 43. Sed illa conuentio non valeret,vt ad nullam prorſus pœnam vaſallus ob ingratitudinem teneatur. *argumento l. 5. ff. de pact. dotalib.* Inuitaret enim ad delinquendum, cum maxima peccandi illecebra ſit impunitas, teſte Demoſth. & Cicerone. Sic non valeret pactio ne iurata quidem, quia vaſallus ſe obſtringeret ad auxilia domino contra Imperatorem ferenda. Eſſet enim hoc contra ius & bonos mores,ideoq; non obligatorium.*l.5.nō dubium.C. de legib.cum ſimilib.§.vlt.2.F.55.cum ibi not.Ferrarienſ.in form.lib.quo ag.ad reuoc.feud. in gl. verb. Contra debitum fidel.iur.* Non etiam valeret illa pactio,vt pater feudo priuetur ob delictum filii, vt voluerūt *Bald. & Iacobin.* allegati à *Mozz.n.46.d.c.7.*Quia ſc. quisque ſui admiſſi pœnam ſuſtinere & nemo alieno odio prægrauari debeat,*l.ſancim⁹ 22.C.de pœn.cū ſimil.*de qua tamē doctrina Baldi vt dubitem, facit primo, quod in feudi amiſſione etiā filio nocet crimen paternū, vt infra audies. Secundo me mouēt quæ ſcribit *Gunther.lib.8. hiſt.Friderici.* vbi pater ob delictū filii in ſeniorē cōmiſſum ex cōſtit.Friderici I.priuatur feudo, niſi feſtinauerit placare & conciliare ſibi dominū.Cū igitur hoc potuerit fieri lege, poterit vtiq; etiā pacto idē cōſtitui. Proindeq; cōtra quàm Bald.volebat,valere videtur talis pactio,qua pater ſe obſtringit pro filio delinquente. Sic valet pactio illa,vt feudū, quod iam primùm de nouo datur,ſit iure antiqui feudi ſeu paterni. Tum etiā iſta, vt feudū antiquum vel paternū iure noui cenſeatur, dum tamen hoc poſteriore caſu accedat conſenſus ad-

gnato-

gnatorum, quib. inſciis vel inuitis hęc pactio non poteſt pręiudicare. Qua de re vide quæ *ſupra dixi in diuiſ. feud.& adde Nic.Moz.c.7.n.38. cũ ſeq.& And. Tiraq. De Retract. conſang.§.32.gl.1.n.31.cũ ſequẽt. vſq; ad n.43.*

4. D. *Quid autem cenſes de pacto l. commiſſoriæ?*

M. Primùm de verbo hoc te ſcire velim: Quãuis veteres crebrius & vſitatius dixerint *l. cõmiſſoriã*, pro *pacto cõmiſſorio*, nõ malè tamẽ etiã Interpretes vſurpant pactũ *l. cõmiſſoriæ*. Nã & *pignoris Hypothecã* dicimus, & *legẽ pacti*, & *pactũ pacis*, & *actionẽ condictionis*. Cur nõ igitur rectè quoq; dicamus *pactũ legis*; vt ait *Cuiac. libr.4. feud.t.66.* Cuius inſcriptio vetus eſt *de pact.l. cõmiſſoriæ*. Eſt aũt lex cõmiſſoria pactũ huiusmodi, quo inter cõtrahẽtes cõuenit, vt pecuniâ ad certũ diẽ nõſolutâ, res ſiue dominiũ rei, de qua agitur, alicui cõmiſſum ſit ipſo iure & penes eũ remaneat in perpetuũ; Talis porrò lex ſiue tale pactũ apponitur vel emptioni & venditioni, & tunc fundus dicitur venditus *l. Cõmiſſoriâ*, quandò cauet venditor, vt niſi intra certum diẽ exolutũ fuerit pretiũ, fundus ſit ineptus, *l.1.2. 4.5. & tot. tit. ff. de commiſſ.* vel adiicitur pignoris dationi, hoc modo, Niſi debitor ad certũ diẽ ſoluat, vt dominium rei oppignoratæ perpetuò maneat penes creditorẽ, vtpote ei cõmiſſæ: **Daß es alßdan im ſol verſtandẽ ſeyn/oder heimgefallen:** & olim quidẽ huiusmodi pactum pignoratitium valebat. Sed Conſtantinus M. id ſuſtulit per *l.vlt. C.de pact.pig.& de l.cõmiſ.in pignor.repr.* Ratio quare Imp. omnẽ eius pacti memoriã in pignorib. abolitã voluerit, hæc eſt; quia inſit ei nimia captio, cũ ſæpè debitores, ꝑ parua pecuniâ, quã fortè agẽtes mutuã acceperũt, pretioſis pignorib. defraudẽtur. Nam quiduis, quamlibet iniquũ, paciſcũtur qui egẽt, dummodò impetrẽt nummos, quib. pręſentẽ ſuã inopiã ſubleuent, ſeq; ex difficultatib. explicẽt, aut etiã vt carcerem euadãt ſecuri de futuro. Iudęis tamẽ hoc genꝰ pacta etiã hodie vſitatiſſima ſunt: imò vix cuique dant mutuum, niſi & ſub vſuris grauiſſimis, atque vt Seneca loquitur, ſanguinolentis; & hac lege commiſſoria, vt pignorum proprietas ipſis cedat ſiue committatur, ſi non intra definitum tempus fiat ſolutio. Illa vero pactio neutiquam

improbatur, ſi inter debitorem & creditorem conuenerit, vt pecuniâ ad ſtatutum tempus non ſolutâ, creditor pignus inſolutum accipiat vel retineat, aut etiam, vt ei ſit empta, iuſto precio. *l.* 1. *C. de diſtract. pignor. l.*16.§. *vlt. ff. de pignor. l. Titius, ff. de pignor. act. l. quamuis, ff. de ſoluti.* Hoc enim caſu ſalua eſt debitori petitio hyperochæ, id eſt, eius, quanto plus valet pignus, quam eſt ſumma debiti. Sunt qui putant, (& inter illos *Cuiacius ad tit.* 29. *libro primo feud.*) hanc legem ſiue pactionem commiſſoriam eandem eſſe cum fiducia. Et ſanè pro illis facere videtur, quod *Paulus ſent. libro ſecundo, tit.* 13. *de lege Commiſſoria tractat etiam de fiducia.* Definitur autem Fiducia ſpecies pignoris, cum res aliqua ſumendæ pecuniæ gratia vel mancipatur, vel in Iure ceditur, teſte *Iſidoro libro quinto Etymol. capite vigeſimo quinto*, & in eadem ſententia fuit aliquando *Hotomanus.* Sed eam correxit atque retractauit ad *tit.* 27. *libro primo feud.* Vbi quatuor adfert differentias inter l. Commiſſoriam & Fiduciam, quas apud ipſum videre poteris. Eiusque rei hoc vel firmiſſimum argumentum eſſe puto: Quod contractus Fiduciæ, etiam temporibus Impp. qui Conſtantinum ſecuti ſunt, in vſu remanſerit, vt conſtat non ſolùm ex *l.* 4. *C. Theodo. de infirm.* his quæ ſub Tyrannis vel Barbaris geſta ſunt: In his verbis: *Pignoris atque fiduciæ obligatio perſeuerent, quæ eſt conſtitutio Arcadii & Honorii.* Sed etiam ex ſcriptis D. Ambroſii. Ac mihi quidem hanc Hotoman. retractationem ſententiæ prioris legenti in mentem venit, eius quod *Cornel. Celſus lib.* 8. *cap.* 4. Hippocratē laudans, ſcribit: Magnis ingeniis familiarem eſſe, ingenuam erroris confeſſionem, id quod etiā *Quintil. lib.* 3. *c.* 6. *de eod.* Hippocrate ait, eum honeſtiſſime feciſſe, cum quosdā ſuos errores confeſſus eſt, ne eius autoritate decepti poſteri ſimiliter errarent. Et generaliter in quolibet homine ſententię mutatio in melius nō niſi laudi adſcribi debet, vt notat *Cuiac. ad c.* 1. *ext. vt lite pendente nihil innouetur.* Notum quoq; eſt de S. Auguſtino, Quod eodē cōſilio ſcripſerit libros Retractationū. Nūc ad propoſitum reuertamur. Puto.n. te hoc ex me quæſiuiſſe: An in feu-

in feudis locum habeat iſta l. Commiſſoria, id eſt, an valeat huiuſmodi conuentio, ſi ad certum ſiue ſtatutum tempus pecunia creditori non ſoluatur, fundum oppignoratū creditor habeat pro feudo. De hac quæſtione contrariæ fuerunt opiniones *Gerhardi & Oberti.* Qui duo velut ſigniferi feudiſtarum paſſim in his duobus libris laudantur. Nam Gerhardus negabat valere, Obertus contrà aiebat. *vide libro primo feud. tit. 27. & lib. 2. t. 51. §. pen.* pro ſententia Negatiua Gerhardi videtur facere *d. l. vlt. C. de pact. pigno.* quæ in quolibet pignore tale pactum reprobauit. Ergo etiam in hoc caſu. Deinde & altera ratio quæ allegatur *libr. 1. feud. t. pen. 27.* Quia feudum hoc caſu ſub prætextu pecuniæ acquiretur, cum potius amore & honore domini ſit acquirendum. Pro Oberto facit primū: Quod debitor hoc modo non totum ius, quod in eo fundo habet, à ſe abdicat, ſed retinet dominium, vt vulgò vocant, directum. Deinde, quia hoc iure receptum eſt, vt feudum poſſit emi præſenti pecunia. Quid ni igitur etiā l. Cōmiſſoria conſtitui poſſit? Accedit tertio, quod etiam poſſit creditor pignus antea ſibi traditum poſterius titulo feudi incipere poſſidere, ex conſenſu & volūtate domini ſiue debitoris, vt etiā ſupra monui. His rationibus motus Hotom. putauit Oberti ſententiam eſſe veriorem. Gerhardi tamē *d. t. pen.* præferri, videtur abſurdum eſſe. *Zaſ. tamen p. 12. nu. 23. & Rudolph. Schrad. p. 5. de feud. c. 1. num. 4. & 5.* diſtinctione quadam adhibita haſce ſententias in concordiam adducunt, vt apud eos videre poteris.

5. D. *Quid ſi pacta inutilia, impoſſibilia, aut probroſa fuerint adiecta, vitiabiturne id quod actum eſt, an verò pacta ipſa pro non adiectis habebuntur?*

M. Imo inueſtitura per huiuſmodi pacta vitiabitur, vt non valeat, *argumento §. ſi impoſſibilis. Inſt. de inutilibus ſtipulat.*

6. D. *Quid ſi pacta inueſtituræ ſint obſcura, cōtra quem facienda erit interpretatio?*

M. Contra vaſallum, vtpote qui potuit declarationem petere obſcuritatis, quod cum nō fecerit, ſibi debet imputare, *argumento l. 39. veterib. ff. de pact. & l. 21.*

ff.de contrahend.empt. Atque ita conſuluerunt *Bald. Alexand. & Cy. Decius, quos allegat Hieronymus Garſonius in tractat.de fœminis, ad feuda recipiendis, num.* 50. *& ſequent.*

7. D. *Intellexi ſatis quæ pacta in feudis ſint vtilia & valida, quæ irrita & nulla. Quid vero ſi pacta non fuerint interpoſita?*

M. Si inueſtituræ nulla adiiciantur pacta, tunc vero ea ſeruabuntur, quæ fert communis natura feudorum. Sicut fit etiam in contractu emptionis, & aliis. Nam quod *Cuiac. in parat. C.de pact. inter empt. & vendit.compoſitis* negare videtur, Iure ciuili ſuam cuiq; cõtractui formam, ſtatum, naturam eſſe conſtitutam & attributam, id rectè refellit *Giphanius in diſp. de Act. empt.n.*200. *& in diſp.de pact.n.*169.

Capvt XII.

De Svccessione *feudi: vbi primùm remouetur Teſtamentaria: Deinde Aſcendentium in linea recta.*

1. D. *Poſteaquam dictum eſt, de primo acquirẽdi feudi modo, videlicet inueſtitura, & iis reb. quæ cum ea coniuncta eſſe ſolent, vt de ſolennib.inueſtituræ, de iureiurando, de Traditione poſſeſſionis, & de pactis deniq;. Nunc tempus videtur de ſucceſſione diſſerere, quẽ alterum modum adquirendi ſuperius conſtituiſti. De hoc igitur cupio ex te audire quid iuris ſit?*

M. Primùm illud admonendus es, ab initio nullam fuiſſe prorſus in feudis receptam ſucceſſionem, cum ſc. feuda eſſent beneficia quædam perſonalia, imò etiam penderent à ſolo nutu concedentis, qui ea quandocunq; vellet, auferre poterat, perindeq; vt in precario non eſt æquum, vt tu re mea diutius vtare, quam ego velim: Sicut de primis feudorum incunabulis, & ſatis imbecilli origine *ſupra dixi ex §. Et quia vidimus, lib.* 1. *feud.t.*1. Tandem eò paulatim progreſſum eſt, vt feuda Iure ſucceſſionis ad filios & ad nepotes, cæteraſque deſcen-

deſcendentes ex filio peruenirent: itemque ad agnatos, non ſolum ad 7. gradum, ſed etiam in infinitum, *d. §. & vidimus.* Deinde, ab hoc modo acquirendi per ſucceſſionem hodie quoque nonnulla feuda remanent excluſa: verbi gratia, feuda Guardiæ & Caſtaldiç. Item feuda Soldatæ: quæ ne quidem in perſona primi acquirentis durant ad tempus vitæ eius; ſed moriuntur antequam ipſe, *vide t. 2. lib. 1. & t. 10. libri ſecundi, in §. ſoldata autem.* Cuiusmodi ſunt etiam alia quædam feuda, vel potius feudaſtra, de quibus *Zaſ. explicat p. vlt. de feud.* Præterea feuda Marchiæ, Ducatus, Comitatus, vel alius cuiuſpiam Regalis dignitatis, non recipiunt ſucceſſionem, ſed ea tantum ille habet, qui de his inueſtitus eſt. Heres autem non ſuccedit vllo modo, niſi ab Imperat. per inueſtiturã acquiſierit, *t. 14. lib. 1. feud.* Et hic *rationabilis vſus* a feudiſta dicitur in *§. vlt. tit.* 18. Ideo ſcilicet rationabilis: quia beneficia principum ſunt perſonalia, & morte perſonæ extinguuntur, *leg. 3. ff. de cenſibus, l. 191. ff. de Reg. Iur. § ſed & quod Principi. verſ. planè. Inſtitut. de iure Nat. Gent. & Ciuil.* Tribuuntur enim vt plurimum, ob amicitiam, virtutem & induſtriam, quæ omnia ſunt perſonalia. Eſt autem longa inter homines differentia morum, induſtriæ ac virtutis, *argumento leg. 31. ff. de ſolut.* Ac licèt conſentaneum ſit fortes creari fortibus & bonis, ſecundum Horatium, & natis inſit virtus Patrum, ſitque obtabile & deceat liberos, non modò facultatum, ſed etiam virtutum patriarum hereditatem cernere: ſæpe tamen etiam illud verum eſt: Herovm Filii noxae. Permultum igitur intereſt Principis, quales habeat militiæ, & muneribus ſuis præfectos, vtrum natos, an electos. In naſcendo ſors dominatur; in eligendo iudicium verſatur. Erant autem olim omnes Ducatus, & Marchiæ, & Comitatus, nihil aliud, quam præfecturæ quædam perſonales & temporales (quod benè obſeruandum eſt) ex mero nutu Imperatoris pendentes, non hæreditariæ, non perpetuæ: Quarum adminiſtrationis ratio ærario Principis erat inferenda. Dicitur tamen hodie hoc

vſurpatum eſſe, vt etiam in feudis illis dignitatum, obtineat ſucceſſio, in §. *vlt. t.* 19. *lib.* 1. Quem §. aberraſſe à conueniente ſuo loco & ad *tit.* 14. referendum eſſe rectè admonuerunt *Cuiac. & Hotom.* Nihil enim pertinet ad alienationem feudi de qua *t.* 13. agit; ſed potius ad *ſucceſſionem*, id eſt, ad tit. ſequentem. Obſeruabis hîc igitur conſuetudinem *vnam* per alteram abrogatam: Sicut etiam lex vna per alteram abrogari poteſt: prior per poſteriorem, *l. vlt. ff. de conſtit. Principis* §. *pen. Inſt. de l. Natural.* Non debet quidem facilè ius per vſurpationem quæri aut conſtitui, & rectè ait *Hotoman. ad t.* 14. hoc periculoſum eſſe, *argumento l.* 13. *vlt. ff. de feriis.* vbi ait Vlp. vſurpatum hoc eſt, ſed nullo Iure. Non debet etiam temerè recipi conſuetudo, niſi quæ ſit rationabilis, *l.* 39. *ff. de legibus, cap. mala conſuetudo, cum* 5. *ſequentib. diſtinct.* 8. Sed quoties poſterior conſuetudo vel æquè vel magis etiam rationabilis eſt, quã fuit prior, omninò præualere debet poſterior. Iam vero hic poſterioris conſuetudinis, nempè vt feuda illa dignitatum per ſucceſsionem etiam ad liberos tranſeant, hæc poteſt aſſignari probabilis ratio; Quia beneficium patrum etiam in ipſorum liberos propagatum viſum fuit redditurum patres amicitiores Reipublic. atque ad obeunda pericula promptiores. Nam fortius propugnabit pro patria, ac ne quidem occumbere, ſi opus ſit, recuſabit is, qui cogitauerit, ſibi mortuo in beneficium ſucceſſuros liberos ſuos, in quibus etiam ipſe renatus & ſibi quaſi ſuperſtes futurus ſit. Accedit quod minus ſæuiet in ſubditos, & minus ſtudebit corradendis opibus, qui ſpem habeat etiam liberos ſuos in eiusdẽ muneris dignitatem ſibi ſucceſſuros, quàm qui ea deſtituitur. Quare non debuit fortaſſe *Hoto. in diſp. feud. c.* 18. hanc conſuetudinem adeò grauiter repræhendere, vt exclamet nihil abſurdius dici potuiſſe, cum præſertim ad eam acceſſerit, quoque approbatio Friderici I. *in* §. *præterea ducatus. libro ſecundo, tit.* 55. Vbi hoc ipſo quod prohibet Imperat. feuda dignitatum diuidi inter plures coheredes, certè probare videtur conſuetudinem, vt ad vnum ſucceſſorẽ, v. g. maximum

natu

natu, deuoluantur. Egregius autem ad hanc rem locus eſt *Nicolai Cuſani Cardinal.li.8. de concordant. Catholica, cap.* 28. Quem locum propter eximiam viri autoritatem, & quia in paucorum manibus eſt, alibi retulimus. Ex qua obſeruatione diſcimus, non diſparem olim fuiſſe conditionem præfecturarum, & officiorum publicorũ in Imperio Germanico ab ea, quæ eſt hodie Baarum & Begorum in Turcia, & in Polonico Regno, Palatinorum & Caſtellanorum. Quomodo etiam in Gallia ante Hugonem Capetum erat comparatum, in Magiſtratibus & officiis, teſte *Franciſco Conano, libr.2. comment.c.9.* quem & Hotom. laudat in *diſp.ſua c.*18. Et hodie quoque Magiſtratus & præfecturas in illo regno, à nutu regis pendere, plurimi auctores teſtantur: Hodiè, inquit *Hotom.ad t.* 1. *lib.* 1. in Gallia noſtra Magiſtratus omnes à Rege cum hac formula mandantur, quam diu nobis placebit. Vtrum autem inſtitutum ſit vtilius Reipublicæ, quæſtio eſt Politica; de qua prolixius hîc diſputare non eſt noſtrum. Et hæc quidem hactenus de feudis, quæ ſucceſſionem non recipiunt, vel certè non ſemper receperunt: Quibus & hoc addendum, non tranſmitti ad hæredes feudum de quo quis non ritè inueſtitus eſt, coram Paribus curiæ, ſed tantùm poſſeſſionem eius nactus eſt, domino iubente: vt voluit *Feudiſta lib.1.tit.* 25. Quanquam & Accurſ. in gloſſa, ad eum locum in verbo, ſuccedente, hoc abſurdum eſſe putat, cum alibi dicatur propriè inueſtituram eſſe poſſeſſionem *lib.* 2. *tit.* 2. *in princ.* & aperte repugnat alius *textus lib.2.tit.* 33. vbi dicitur: Licet non interceſſiſſet inueſtitura, tamen ſi dominus dixerit vaſallo coram paribus curiæ, Vade in poſſeſſionem, & hoc tale eſt ac ſi interceſſiſſet. Quia ille eius voluntate poſſeſſionem fundi nactus eſt, feudi nomine. Atque hoc vitium repugnantiæ Hotom. quoque notat in comment. ad dicta loca. Poſſet tamen fortaſſe dici, nullam inter hæc eſſe pugnam: ſed *tit.* 33. *lib.* 2. eſſe interpretandum & limitandum, ex eo quod dicitur *t.*25.*li.* 1. Qua in ſententia etiã Cuiacius fuiſſe videtur, ad *tit.* 26.*li.*1. Poſtremò feudi ſucceſſorem non habentis mentionem reperies etiam factam *lib.1.t.*27.& *lib.2.feud.t.* 26.§. *Moribus.*

2. D. *Remotis iam illis feudis, quorum non eſt ſucceſſio, aut certè non ſemper fuit, priusquam mihi pergas exponere, qui & in qua feuda ſuccedant, velim & hoc mihi explices, vtrũ ſucceſſio feudalis ſit vniuerſalis, an vero ſingularis: ſiue an is, qui in feudũ ſuccedit, ſit ſucceſſor Iuris, an verò rei vel corporis?* M. Oportunè quęris; hæc.n. duo genera ſucceſſorũ in Iure ciuili reperiri meminiſti me docere ad §. *diutina, Inſt. de vſuc.* v. g. Emptor eſt rei vel corporis ſucceſſor; Non autẽ vniuerſi iuris: ſicut heres & bonorũ poſſeſſor & fideicõmiſſarius. Nam alter eſt ſucceſſor ſingularis: Reliqui vero ſunt vniuerſales. Multum verò intereſt in feudis quoque, vtrum hoc an illud dicamus, maximè, quoad ſolutionem æris alieni. Item quoad retentionẽ feudi, repudiata hereditate, qua de re infra cõmodiùs dicetur. Interim hoc tenebis, ſucceſſionẽ feudalem nõ eſſe vniuerſalem, ſed ſingularem, niſi fortè feudum ſit hæreditarium, id eſt, quod alicui pro ſe & hæredibus conceſſum eſt, vel etiam ſimpliciter, nulla facta mẽtione hæredum: Nam vnusquisq; etiam hæredib. ſuis proſpexiſſe præſumitur, non minus quam ſibi, *l. ſi pacto ff. de probationib.* quæ ſententia etiam in ius feudale eſt relata *titu.* 18. *lib.* 2. *verſ. vnusquisque enim ſibi ſuisq; hæredib. proſpexiſſe videtur.* Facit huc quod etiam Patronus in portione ſibi debita, ex bonis liberti, non eſt ſucceſſor iuris, ſed rei ſiue corporis, *l.* 16. §. *idem ſcribit, ff. de petit. hæred.* Et libertus filio patroni debet operas non tanquam hæredi patris, ſed tanquam Patrono, *l.* 4. & 5. §. *ſi liberi, ff. de operis libert.*

3. D. *Cum autem omnis ſucceſſio Iure ciuili, ſit vel ex teſtamento, vel ab inteſtato, ſiue alia teſtamentaria, alia legitima: Et illa, hanc præcedat atque excludat, l.* 39. *ff. de acquir. hæred. & l.* 89. *ff. de R. I. ſicut audiuiſſe recordor in Inſtitut. Num etiam eodem iure in feudis vtimur?*

M. Minimè gentiũ. Nã ſucceſſio allodialis à feudali plurimũ diſtat; Et primò quidẽ quoad causã teſtati.

4. D. *An ergo vaſallus de feudo ſuo teſtari, & hæredes teſtamentarios in eo habere non poteſt?*

M. Hac de re traditur Regula *t.* 8. *lib.* 1. *feud.* Nullam ordinationem defuncti in feudo manere, vel valere, id eſt, vaſallo nullam eſſe teſtamenti factionem de feudo. Ratio huius Iuris ac Regulæ eſt, primùm: Quia lega-

rum & Fideicommiſſum, & donatio cauſa mortis, & inſtitutio hæredis, ſunt alienationes quædam, *l. 16. ff. de teſt. milit. l. 1. §. 1. ff. ſi qui in fraud. patr. l. 7. §. pari, ff. de donat. l. 87. ff. de leg. cum ſimil.* Iam verò omnis feudi alienatio interdicta eſt vaſallo per Lotharium primò, deinde plenius quoq; per Fridericũ I. Eſt & altera ratio: Quia vnusquisque de rebus propriis & plene ſuis teſtari debet, non de alienis, *l. conficiuntur, §. ſi poſt. Vbi Accurſ. ff. de Iure codicill. Auth. ingreſſi, C. de ſanct. Eccleſ. in verbis: Nec de his teſtari poſſunt, vtpote nec domini rerum, l. vlt. C. de hæred. inſtit. l. 77. §. mand. ff. de legat. 2.* At feudi proprietas non eſt vaſalli, ſed ad dominum ſiue ſeniorem pertinet: vt ſupra audiuiſti. Præterea feudi hoc ius eſt, vt cuicunque de aliqua ſtirpe id obuenerit, is autorem beneficii cogatur adgnoſcere dominum potius, quam patrem ſuum: At verò, quæ ex teſtamento alicuius conſequimur, eorum autorem adgnoſcimus ipſum teſtatorem, non alium. Nonnulli & hanc reddunt rationẽ; quia feudum ſit quidam vſusfructus: vſusfructuarius vero nõ poſſit vſumfructum ſuum alteri legare, ne perpetuò inutilis ſit proprietas nuda. Ampliabis autẽ ſuperiorẽ Regulam t. vt vaſallus ne quidẽ ad pias cauſas feudũ legare poſsit, quod feudiſtæ dicunt, *Iudicare feudum pro anima, §. donare autem, t. 9. li. 2.* Et initio *t. 55.* Cum tamen aliàs magnus ſit fauor teſtamentorũ, & multiplex priuilegiũ piæ cauſæ vt *dict. ex parte ad §. vlt. Inſt. de obl. quæ ex quaſi contract. naſc. & ad §. ſed furti. Inſt. de Actionibus.* Iudicandi verbum Longobardi quoq; ſic vſurparũt paſſim in ſuis Legib. cũ ſignificare volunt Legatum: inde, vt puto, quia Teſtamentũ à vet. I C. ſæpiſſimè vocatur ſupremũ alicui⁹ iudiciũ, *l. 1. De ſacroſ. Eccl. l. 7. D. Teſta. quemadmod. aperi. & alibi Ammi. Marcell. l. 28.* Qui cũ ſupremis iudiciis ordinatis quę habebãt, reliquerint his, quibus morigerendo teſtati ſunt, ilicò pereunt. Loquitur de iis, qui a captorib. ſuis tollũtur è medio. Hinc *iudicare pro legare, vt l. 1. De proh. alien. t. 29. li. 2. leg. Long.* Quodcunque fecerit vel iudicauerit de reb. ſuis, ſtabili ordine debeat permanere. Et mox: Habeat licẽtiam de reb. ſuis pro anima ſua ſanctis locis cauſa pietatis vel in Xenodochio iudicare quod voluerit: & quod iudicauerit, ſtabile debeat permanere.

5. D. *Sed an non Pater, ſicut libertum poteſt, vni ex liberis aſſignare vt audiui ad tit. de aſſignat. libert. Ita etiam feudum poterit in vltima voluntate vni filiorum aſſignare, & prolegare vt is vel ſolus totam habeat vel certè maiorem partem quàm cæteri?*

M. In Allodialibus quidem, ſeu Patrimonialibus bonis, ita ius eſt, vt liceat parentibus ea inter liberos inæqualiter diuidere, dummodo neminem in ſua legitima portione, non ingratum defraudent, *l. 8. C. de inoffi. teſt.* (quanquam Ambroſius in opere 6. dierũ, & ante ipſum Baſilius, inæqualitatem illam diuiſionis valdè improbent, velut inimicam naturæ, quæ vt vitam æqualiter liberis impertiuit per parentes; ita etiam bona tanquã adminicula vitæ iiſdem à parentibus æquis portionibus tribui vult:) vt item liceat patri aſſignare libertum vni ex filiis *d. t. de aſſignat. libert.* Sed in feudis aliter obtinet, vt ſcil. non poſſit pater vni ex pluribus filiis, plus quàm aliis in feudo aſſignare; tantum abeſt, vt totum feudum vni poſſit prælegare: quæ communis eſt opinio, fundata textu aperto *in d. t. 8. libr. 1. feud. vide Zaſ. p. 8. n. 62. & Iul. Clar. in §. feud. q. 40. n. 5. Motz. c. 6. num. 80.* Repudianda igitur videtur ſententia Pauli Caſtrenſis, qui conſuluit, patrem vni ex filiis feudum prælegare poſſe; quem & *Cuiac. allegat lib. 4. feud. t. 54.* Niſi fortè cæteri liberi conſentiant in hoc factum patris, quo caſu, ſententia Caſtrenſis ſuſtineri poſſet. Atque hæc ſecũda ſit regulæ ampliatio, cuius ratio ea eſt; Quia prouidentia legis vel conſuetudinis conſtitutum eſt, vt omnes filii æqualiter ſuccedant. Hoc igitur ius ſiue hic ordo per contrariam diſpoſitionem patris, non debet ipſis inuitis adimi, vid. *Zaſ. & Iul. Clar. dd. locis.*

6. D. *Cum vulgò dicatur nullam eſſe regulam adeò firmam, quæ non patiatur exceptiones, an non & ſuperior regula aliquibus caſibus ſuum officium perdit?*

M. Habet & illa ſuas exceptiones, quibus poteſt vaſallus de feudo teſtari. Primò enim poteſt pro arbitrio ſuo diſponere de feudo, ſimpliciter & abſolutè hæreditario, idque cui voluerit relinquere. Quo caſu coguntur filii patris voluntati acquieſcere, nec facto eius contra venire poſſunt, *argumento l. 14. C. de rei vend. Zaſ. p. 8.*

p.8.num.61.Clar.d.q.40.n.2.& Motz.d.c.6.num.83. Quod genus feudi poteſt etiam per fideicommiſſum alicui relinqui, vt docet *Iul.Clar. q.* 85. Ex quo intelligere debes feuda, quæ ſunt ex pacto & prouidentia, itemque feuda mixta manere ſub regula. Secundo excipiunt quidam feudum Francum. 3. Feudum quod quis accepit pro ſe & hæredibus quibuscunque, vide additionem ad *Iul. Clar.d.quaſt.* 40. Sed de feudo Franco aliqui tamen dubitant, teſte *Mozzio.nu.* 86. *d.c.6.* 4. Excipitur feudum nouum, de quo accedente conſenſu & permiſſu domini, aut certè ſubſecuta ratificatione, vaſallus teſtari poteſt, vt proinde etiam vni ex filiis id prælegare poſſit, vt docet *Iul.Clarus d.quaſt.40.num.3.& quaſt.41.num.2.* Ratio differentiæ inter feudum antiquum & nouum, cur, inquam, de illo non poſſit vaſallus quidquam diſponere teſtamento, vel vni filiorum illud prælegare: hoc poſſit, eſt hæc. Quia in illo fieret præiudicium, vel adgnatis vel cæteris liberis, quibus non debet auferri ius ſemel quęſitum ex tenore primę inueſtiturę. Quod ſecus eſt in feudo nouo. Nam quod ego primum mihi acquiſiui, quare nō poſſim meo arbitrio alienare, cum per id nemini ſim nociturus? Quare quod *Hotom.putat ad t.8.li.1.feud.* Vaſallum ne tum quidem poſſe de feudo teſtari, ſi dominus ipſi liberam teſtamenti factionem dederit, id non vſque quaque verum eſſe videtur; ſed ſed ſub illa, quam attuli, diſtinctione, vid. ſi feudum ſit antiquum, aut (quod ſuperioribus addendum eſt,) ſi nouum quidem ſit, ſed quod expreſsè fuerit receptum, contemplationē alicuius filii inueſtiturâ nominati. *Iul. Clar.d.q.41.n.2.& Mozz. d.c. 6. num.* 82. Vtitur quidem *Hotom.argumento l.47.§.patroni,ff.de bonis liber.* ſed ea nihil ad rem facit. Quinta eſt exceptio, in teſtamento facto à vaſallo præſentibus neque contradicentibus, quorum intereſt, domino ſcil. & vaſallo. Nam taciturnitas illa conſenſum imitatur, vid. *Mozzium num.* 84. Sexta exceptio eſt, niſi conſuetudine alicuius regionis introductum & receptum ſit, vt vaſallus de feudo teſtari poſſit, *Zaſ.p.8.num.63.qui ad hoc allegat Raph.Cumanum conſil.*173.

7. D. *Cum igitur, vt dixiſti, feudum regulariter non*

tur, cum potius contrà ab aſcendentibus iam mortuis in deſcendentes permanet. Quare ſi diceremus, tale feudum à deſcendentibus peruenire ad aſcendentes, idem eſſet ac ſi flumen fontem ſuum retrogrado curſu repeteret. Sed nec amplius eo caſu in rerum natura ſunt aſcendentes. Sin autem feudum ſit nouum vaſallo, cui primò datum erat ſine liberis mortuo, potius ad dominum recurrit feudum apertum, quam ad aſcendentes, aut collaterales defuncti vaſalli, quia liberorũ eius, non autem parentum aut fratrum aliorumuè adgnatorum contemplatione fuerat conceſſum. Accedit, quod ſucceſſio feudalis ſtrictè ac propriè ſit interpretanda, vtpote quæ ſit contraria primæuæ naturæ feudi, de qua ſupra dixi ex §. *& quia vidimus. t.* 1. *lib.* 1. *& ex Cardinali Cuſano.* Magis autem propria & primaria eſt ſucceſſio deſcendentium quàm aſcendentium cum parentes liberis ſuis turbato mortalitatis ordine & contra communem curſum naturæ potius ex commiſeratione quadam, quàm ex ſuo voto ſuccedant, *l.* 15. *Nam etſi, ff. de inoffic. teſtam. & ibi Accurſ. Cuiac. ad d. t.* 1. hanc quoque rationem aſſignat, quia qui feudum accipit, ſibi tantum & poſteris ſuis accipit, vnde fit, vt ſemper in feudum ſuccedant poſteri ſoli eius, à quo originem capit feudum: His deficientibus feudum recurrat ad dominum. Quæ ratio ſumpta eſt ex coniecturatâ mente & communi affectione hominum ſuæ poſteritati atq; etiam æternitati, quantum quidem licet, conſulere cupientium, *l.* 220. *liberorum*, §. *vlt. D. de verb. ſignif.* Vnde etiam vulgò dicimus: *Amorem potius deſcendere, quàm aſcendere*: Sed hæc, quæ dixi de aſcendentibus, eos non ſuccedere, intelligenda ſunt de iis, qui in lineâ directâ aſcendunt, id eſt, de parentibus. Nam aliud eſt iuris in aſcendentibus per lineam transuerſam, qui deſcendentibus trãsuerſaliter in feudo antiquo certè ſuccedunt. v. g. Patruus ſuccedit filio fratris ſui, & tamen patruus eſt ex aſcendentibus, verùm per lineam transuerſalem, non directam, vid. *Hartm. de feud. obſ.* 16. *num.* 5. vbi ad hanc rem allegat *Aluarott. & Prapoſitum.*

10. D. *Eſtne hoc perpetuum in aſcendentibus, vt in feuda non ſuccedant ſuis deſcendentibus?*

M. Imò

M. Imò huius quoque regulæ quædam ſunt exceptiones,vt I. Niſi pater infauorem filii feudũ antiquum refutauerit ſeu reſignarit in manus domini , vt filius ſuper eo inueſtiretur, & filius ante patrem ſine liberis moriatur : Tunc enim feudum reuertetur ad patrem: quanquam hæc non tam ſucceſſio quam recuperatio eſt appellanda, cum feudum patris remanſiſſe videatur. Feudum enim quamuis refutatum, nihilominus eſſe paternum ſcribit *Feudiſta libr. 2. titu. 14. in fin.* Quem locum impertinenter nonnulli huc allegant, cum totus ille titulus agat non de patris,ſed fratris ſucceſſione. Sed finis tamen eius tit. generalis eſt, & ratio quoque communis vtrique ſpeciei accommodari poteſt. Et hanc exceptionem ſolam adgnoſcunt *Zaſ. p.* 8. *num.* 2. *& Hartm. tit. de feud. obſ. vlt. num.* 3. *& Mynſ. cent.* 3. *obſ.* 93. Itemque *Giphanius in tract. de feudis.* Dixi non fruſtra *feudum antiquum*: nam aliud eſt in feudo nouo, teſte eodem *Hartm. d. obſ. vlt. num.* 5. Alii etiam hanc addunt exceptionem,niſi filius propter benè merita patris remunerationis ergô de feudo aliquo fuerit inueſtitus, & ante patrem deceſſerit;iam enim pater filio in eo ſuccederet excluſo domino. Facit hæc contemplatio meritorum eius, cum ipſi quoque feudum conceſſum videatur,in eum caſum, quo ſuperuicturus ſit filio, *vid. Aluarot. & Matth. de Afflict. de naturâ ſucceſſ. Feud. Cuiac. ad t.* 59. *lib.* 1. *feud.* addit etiam alia,nempe niſi pater contractâ fiduciâ filium de feudo inueſtire curauerit. Nam præmortuo filio hoc feudum ex contentione recurreret ad patrem: Et meritò: cum enim valeat pactum huiuſmodi, vt frater fratri ſuccedat in feudo nouo , vt ſupra dixi ; quid prohibet quo minus etiam hoc valeat, vt aſcendentes ſuccedant deſcendentibus?

Capvt XIII.

De ſucceſſione Deſcendentium, ſiue Liberorum vaſalli. Liberorũ varia genera: & qui nam ex his à ſucceſſione tanquam incapaces arceantur.

ff.de contrahend.empt. Atque ita conſuluerunt *Bald. Alexand. & Cy. Decius, quos allegat Hieronymus Garſonius in tractat.de fœminis, ad feuda recipiendis, num.* 50. *& ſequent.*

7. D. *Intellexi ſatis quæ pacta in feudis ſint vtilia & valida, quæ irrita & nulla. Quid vero ſi pacta non fuerint interpoſita?*

M. Si inueſtituræ nulla adiiciantur pacta, tunc vero ea ſeruabuntur, quæ fert communis natura feudorum. Sicut fit etiam in contractu emptionis, & aliis. Nam quod *Cuiac. in parat. C.de pact. inter empt. & vendit.compoſitis* negare videtur, Iure ciuili ſuam cuiq; cōtractui formam, ſtatum, naturam eſſe conſtitutam & attributam, id rectè refellit *Giphanius in diſp. de Act. empt.n.*200. *& in diſp.de pact.n.*169.

Capvt XII.

De Svccessione *feudi: vbi primùm remouetur Teſtamentaria: Deinde Aſcendentium in linea recta.*

1. D. *Poſteaquam dictum eſt, de primo acquirēdi feudi modo, videlicet inueſtitura, & iis reb. quæ cum ea coniuncta eſſe ſolent, vt de ſolennib.inueſtituræ, de iureiurando, de Traditione poſſeſſionis, & de pactis deniq;. Nunc tempus videtur de ſucceſſione diſſerere, quē alterum modum adquirendi ſuperius conſtituiſti. De hoc igitur cupio ex te audire quid iuris ſit?*

M. Primùm illud admonendus es, ab initio nullam fuiſſe prorſus in feudis receptam ſucceſſionem, cum ſc. feuda eſſent beneficia quædam perſonalia, imò etiam penderent à ſolo nutu concedentis, qui ea quandocunq; vellet, auferre poterat, perindeq; vt in precario non eſt æquum, vt tu re mea diutius vtare, quam ego velim: Sicut de primis feudorum incunabulis, & ſatis imbecilli origine *ſupra dixi ex* §. *Et quia vidimus, lib.* 1. *feud.t.*1. Tandem eò paulatim progreſſum eſt, vt feuda Iure ſucceſſionis ad filios & ad nepotes, cæterasque

deſcen-

deſcendentes ex filio peruenirent: itemque ad agnatos, non ſolum ad 7. gradum, ſed etiam in infinitum, *d. §. & vidimus.* Deinde, ab hoc modo acquirendi per ſucceſſionem hodie quoque nonnulla feuda remanent excluſa: verbi gratia, feuda Guardiæ & Caſtaldię. Item feuda Soldatæ: quæ ne quidem in perſona primi acquirentis durant ad tempus vitæ eius; ſed moriuntur antequam ipſe, *videt. 2. lib. 1. & t. 10. libri ſecundi, in §. ſoldatæ autem.* Cuiuſmodi ſunt etiam alia quædam feuda, vel potius feudaſtra, de quibus *Zaſ. explicat p. vlt. de feud.* Præterea feuda Marchiæ, Ducatus, Comitatus, vel alius cuiuſpiam Regalis dignitatis, non recipiunt ſucceſſionem, ſed ea tantum ille habet, qui de his inueſtitus eſt. Heres autem non ſuccedit vllo modo, niſi ab Imperat. per inueſtiturā acquiſierit, *t. 14. lib. 1. feud.* Et hic *rationabilis vſus* à feudiſta dicitur in *§. vlt. tit. 18.* Ideo ſcilicet rationabilis: quia beneficia principum ſunt perſonalia, & morte perſonæ extinguuntur, *leg. 3. ff. de cenſibus, l. 191. ff. de Reg. Iur. § ſed & quod Principi. verſ. planè. Inſtitut. de iure Nat. Gent. & Ciuil.* Tribuuntur enim vt plurimum, ob amicitiam, virtutem & induſtriam, quæ omnia ſunt perſonalia. Eſt autem longa inter homines differentia morum, induſtriæ ac virtutis, *argumento leg. 31. ff. de ſolut.* Ac licèt conſentaneum ſit fortes creari fortibus & bonis, ſecundum Horatium, & natis inſit virtus Patrum, ſitque obtabile & deceat liberos, non modò facultatum, ſed etiam virtutum patriarum hereditatem cernere: ſæpe tamen etiam illud verum eſt: HEROVM FILII NOXAE. Permultum igitur intereſt Principis, quales habeat militiæ, & muneribus ſuis præfectos, vtrum natos, an electos. In naſcendo ſors dominatur; in eligendo iudicium verſatur. Erant autem olim omnes Ducatus, & Marchiæ, & Comitatus, nihil aliud, quam præfecturæ quædam perſonales & temporales (quod benè obſeruandum eſt) ex mero nutu Imperatoris pendentes, non hæreditariæ, non perpetuæ: Quarum adminiſtrationis ratio ærario Principis erat inferenda. Dicitur tamen hodie hoc

vſurpatum eſſe, vt etiam in feudis illis dignitatum, obtineat ſucceſſio, in §. *vlt. t.* 19. *lib.* 1. Quem §. aberraſſe à conueniente ſuo loco & ad *tit.* 14. referendum eſſe rectè admonuerunt *Cuiac. & Hotom.* Nihil enim pertinet ad alienationem feudi de qua *t.* 13. agit; ſed potius ad *ſucceſſionem*, id eſt, ad tit. ſequentem. Obſeruabis hîc igitur conſuetudinem *vnam* per alteram abrogatam: Sicut etiam lex vna per alteram abrogari poteſt: prior per poſteriorem, *l. vlt. ff. de conſtit. Principis* §. *pen. Inſt. de l. Natural.* Non debet quidem facilè ius per vſurpationem quæri aut conſtitui; & rectè ait *Hotoman. ad t.* 14. hoc periculoſum eſſe, *argumento l.* 13. *vlt. ff. de feriis.* vbi ait Vlp. vſurpatum hoc eſt, ſed nullo Iure. Non debet etiam temerè recipi conſuetudo, niſi quæ ſit rationabilis, *l.* 39. *ff. de legibus, cap. mala conſuetudo, cum* 5. *ſequentib. diſtinct.* 8. Sed quoties poſterior conſuetudo vel æquè vel magis etiam rationabilis eſt, quã fuit prior, omninò præualere debet poſterior. Iam vero hic poſterioris conſuetudinis, nempè vt feuda illa dignitatum per ſucceſsionem etiam ad liberos tranſeant, hæc poteſt aſſignari probabilis ratio; Quia beneficium patrum etiam in ipſorum liberos propagatum viſum fuit redditurum patres amicitiores Reipublic. atque ad obeunda pericula promptiores. Nam fortius propugnabit pro patria, ac ne quidem occumbere, ſi opus ſit, recuſabit is, qui cogitauerit, ſibi mortuo in beneficium ſucceſſuros liberos ſuos, in quibus etiam ipſe renatus & ſibi quaſi ſuperſtes futurus ſit. Accedit quod minus ſæuiet in ſubditos, & minus ſtudebit corradendis opibus, qui ſpem habeat etiam liberos ſuos in eiuſdẽ muneris dignitatem ſibi ſucceſſuros, quàm qui ea deſtituitur. Quare non debuit fortaſſe *Hoto. in diſp. feud. c.* 18. hanc conſuetudinem adeò grauiter repræhendere, vt exclamet nihil abſurdius dici potuiſſe, cum præſertim ad eam acceſſerit, quoque approbatio Friderici I. *in* §. *præterea ducatus. libro ſecundo, tit.* 55. Vbi hoc ipſo quod prohibet Imperat. feuda dignitatum diuidi inter plures coheredes, certè probare videtur conſuetudinem, vt ad vnum ſucceſſorẽ, v.g. maximum

natu

natu, deuoluantur. Egregius autem ad hanc rem locus eſt *Nicolai Cuſani Cardinal.li.8. de concordant. Catholica, cap.* 28. Quem locum propter eximiam viri autoritatem, & quia in paucorum manibus eſt, alibi retulimus. Ex qua obſeruatione diſcimus, non diſparem olim fuiſſe conditionem præfecturarum, & officiorum publicorũ in Imperio Germanico ab ea, quæ eſt hodie Baarum & Begorum in Turcia, & in Polonico Regno, Palatinorum & Caſtellanorum. Quomodo etiam in Gallia ante Hugonem Capetum erat comparatum, in Magiſtratibus & officiis, teſte *Franciſco Conano, libr. 2. comment.c.9.* quem & Hotom. laudat in *diſp.ſua c.*18. Et hodie quoque Magiſtratus & præfecturas in illo regno, à nutu regis pendere, plurimi auctores teſtantur: Hodiè, inquit *Hotom.ad t.* 1. *lib.* 1. in Gallia noſtra Magiſtratus omnes à Rege cum hac formula mandantur, quam diu nobis placebit. Vtrum autem inſtitutum ſit vtilius Reipublicæ, quæſtio eſt Politica; de qua prolixius hîc diſputare non eſt noſtrum. Et hæc quidem hactenus de feudis, quæ ſucceſſionem non recipiunt, vel certè non ſemper receperunt: Quibus & hoc addendum, non tranſmitti ad hæredes feudum de quo quis non ritè inueſtitus eſt, coram Paribus curiæ, ſed tantùm poſſeſſionem eius nactus eſt, domino iubente: vt voluit *Feudiſta lib.1.tit.* 25. Quanquam & Accurſ. in gloſſa, ad eum locum in verbo, ſuccedente, hoc abſurdum eſſe putat, cum alibi dicatur propriè inueſtituram eſſe poſſeſſionem *lib.* 2. *tit.* 2. *in princ.* & aperte repugnat alius *textus lib.2.tit.* 33. vbi dicitur: Licet non interceſſiſſet inueſtitura, tamen ſi dominus dixerit vaſallo coram paribus curiæ, Vade in poſſeſſionem, & hoc tale eſt ac ſi interceſſiſſet. Quia ille eius voluntate poſſeſſionem fundi nactus eſt, feudi nomine. Atque hoc vitium repugnantiæ Hotom. quoque notat in comment. ad dicta loca. Poſſet tamen fortaſſe dici, nullam inter hæc eſſe pugnam: ſed *tit.* 33. *lib.* 2. eſſe interpretandum & limitandum, ex eo quod dicitur *t.*25.*li.* 1. Qua in ſententia etiã Cuiacius fuiſſe videtur, ad *tit.* 26.*li.*1. Poſtremò feudi ſucceſſorem non habentis mentionem reperies etiam factam *lib.1.t.27.* & *lib.2.feud.t.* 26.§. *Moribus.*

2.D. *Remotis iam illis feudis, quorum non eſt ſucceſſio, aut certè non ſemper fuit, priusquam mihi pergas exponere, qui & in qua feuda ſuccedant, velim & hoc mihi explices, vtrũ ſucceſſio feudalis ſit vniuerſalis, an vero ſingularis: ſiue an is, qui in feudũ ſuccedit, ſit ſucceſſor Iuris, an verò rei vel corporis?* M. Oportunè quęris; hæc.n. duo genera ſucceſſorũ in Iure ciuili reperiri meminiſti me docere ad §. *diutina, Inſt. de vſuc.* v. g. Emptor eſt rei vel corporis ſucceſſor; Non autẽ vniuerſi iuris: ſicut heres & bonorũ poſſeſſor & fideicõmiſſarius. Nam alter eſt ſucceſſor ſingularis: Reliqui vero ſunt vniuerſales. Multum verò intereſt in feudis quoque, vtrum hoc an illud dicamus, maximè, quoad ſolutionem æris alieni. Item quoad retentionẽ feudi, repudiata hereditate, qua de re infra cõmodiùs dicetur. Interim hoc tenebis, ſucceſſionẽ feudalem nõ eſſe vniuerſalem, ſed ſingularem, niſi fortè feudum ſit hæreditarium, id eſt, quod alicui pro ſe & hæredibus conceſſum eſt, vel etiam ſimpliciter, nulla facta mẽtione hæredum: Nam vnusquiſq; etiam hæredib. ſuis proſpexiſſe præſumitur, non minus quam ſibi, *l. ſi pacto ff. de probationib.* quæ ſententia etiam in ius feudale eſt relata *titu. 18. lib. 2. verſ. vnusquisque enim ſibi ſuisq; hæredib. proſpexiſſe videtur.* Facit huc quod etiam Patronus in portione ſibi debita, ex bonis liberti, non eſt ſucceſſor iuris, ſed rei ſiue corporis, *l. 16. §. idem ſcribit, ff. de petit. hæred.* Et libertus filio patroni debet operas non tanquam hæredi patris, ſed tanquam Patrono, *l. 4. & 5. §. ſi liberi, ff. de operis libert.*

3.D. *Cum autem omnis ſucceſſio Iure ciuili, ſit vel ex teſtamento, vel ab inteſtato, ſiue alia teſtamentaria, alia legitima: Et illa, hanc præcedat atque excludat, l. 39. ff. de acquir. hæred. & l. 89. ff. de R. I. ſicut audiuiſſe recordor in Inſtitut. Num etiam eodem iure in feudis vtimur?*

M. Minimè gentiũ. Nã ſucceſſio allodialis à feudali plurimũ diſtat; Et primò quidẽ quoad cauſã teſtati.

4. D. *An ergo vaſallus de feudo ſuo teſtari, & hæredes teſtamentarios in eo habere non poteſt?*

M. Hac de re traditur Regula *t. 8. lib. 1. feud.* Nullam ordinationem defuncti in feudo manere, vel valere, id eſt, vaſallo nullam eſſe teſtamenti factionem de feudo. Ratio huius Iuris ac Regulæ eſt, primùm: Quia lega-

rum & Fideicommiſſum, & donatio cauſa mortis, & inſtitutio hæredis, ſunt alienationes quædam, *l. 16. ff. de teſt. milit. l. 1. §. 1. ff. ſi qui in fraud. patr. l. 7. §. pari, ff. de donat. l. 87. ff. de leg. cum ſimil.* Iam verò omnis feudi alienatio interdicta eſt vaſallo per Lotharium primò, deinde plenius quoq; per Fridericũ I. Eſt & altera ratio: Quia vnusquisque de rebus propriis & plene ſuis teſtari debet, non de alienis, *l. conficiuntur, §. ſi poſt. Vbi Accurſ. ff. de Iure codicill. Auth. ingreſſi, C. de ſanct. Eccleſ. in verbis: Nec de his teſtari poſſunt, vtpote nec domini rerum, l. vlt. C. de hæred. inſtit. l. 77. §. mand. ff. de legat. 2.* At feudi proprietas non eſt vaſalli, ſed ad dominum ſiue ſeniorem pertinet: vt ſupra audiuiſti. Præterea feudi hoc ius eſt, vt cuicunque de aliqua ſtirpe id obuenerit, is autorem beneficii cogatur adgnoſcere dominum potius, quam patrem ſuum: At verò, quæ ex teſtamento alicuius conſequimur, eorum autorem adgnoſcimus ipſum teſtatorem, non alium. Nonnulli & hanc reddunt rationẽ; quia feudum ſit quidam vſusfructus: vſusfructuarius vero nõ poſſit vſumfructum ſuum alteri legare, ne perpetuò inutilis ſit proprietas nuda. Ampliabis autẽ ſuperiorẽ Regulam 1. vt vaſallus ne quidẽ ad pias cauſas feudũ legare poſſit, quod feudiſtæ dicunt, *Iudicare feudum pro anima, §. donare autem, t. 9. li. 2.* Et initio *t. 55.* Cum tamen alias magnus ſit fauor teſtamentorũ, & multiplex priuilegiũ piæ cauſæ vt *dict. ex parte ad §. vlt. Inſt. de obl. quæ ex quaſi contract. naſc. & ad §. ſed furti. Inſt. de Actionibus.* Iudicandi verbum Longobardi quoq; ſic vſurparũt paſſim in ſuis Legib. cũ ſignificare volunt Legatum: inde, vt puto, quia Teſtamentũ à vet. IC. ſæpiſſimè vocatur ſupremũ alicui⁹ iudiciũ, *l. 1. De ſacroſ. Eccl. l. 7. D. Teſta. quemadmod. aperi. & alibi Ammi. Marcell. l. 28.* Qui cũ ſupremis iudiciis ordinatis quę habebãt, reliquerint his, quibus morigerendo teſtati ſunt, ilicò pereunt. Loquitur de iis, qui a captorib. ſuis tollũtur è medio. Hinc *iudicare pro legare, vt l. 1. De proh. alien. t. 29. li. 2. leg. Long.* Quodcunque fecerit vel iudicauerit de reb. ſuis, ſtabili ordine debeat permanere. Et mox: Habeat licẽtiam de reb. ſuis pro anima ſua ſanctis locis cauſa pietatis vel in Xenodochio iudicare quod voluerit: & quod iudicauerit, ſtabile debeat permanere.

5. D. *Sed an non Pater, ſicut libertum poteſt, vni ex liberis aſſignare vt audiui ad tit. de aſſignat. libert. Ita etiam feudum poterit in vltima voluntate vni filiorum aſſignare, & prolegare vt is vel ſolus totam habeat vel certè maiorem partem quàm cæteri?*

M. In Allodialibus quidem, ſeu Patrimonialibus bonis, ita ius eſt, vt liceat parentibus ea inter liberos inæqualiter diuidere, dummodo neminem in ſua legitima portione, non ingratum defraudent, *l. 8. C. de inoffi. teſt.* (quanquam Ambroſius in opere 6. dierũ, & ante ipſum Baſilius, inæqualitatem illam diuiſionis valdè improbent, velut inimicam naturæ, quæ vt vitam æqualiter liberis impertiuit per parentes; ita etiam bona tanquã adminicula vitæ iiſdem à parentibus æquis portionibus tribui vult:) vt item liceat patri aſſignare libertum vni ex filiis *d. t. de aſſignat. libert.* Sed in feudis aliter obtinet, vt ſcil. non poſſit pater vni ex pluribus filiis, plus quàm aliis in feudo aſſignare; tantum abeſt, vt totum feudum vni poſſit prælegare: quæ communis eſt opinio, fundata textu aperto *in d. t. 8. libr. 1. feud. vide Zaſ. p. 8. n. 62. & Iul. Clar. in §. feud. q. 40. n. 5. Motz. c. 6. num. 80.* Repudianda igitur videtur ſententia Pauli Caſtrenſis, qui conſuluit, patrem vni ex filiis feudum prælegare poſſe; quem & *Cuiac. allegat lib. 4. feud. t. 54.* Niſi fortè cæteri liberi conſentiant in hoc factum patris, quo caſu, ſententia Caſtrenſis ſuſtineri poſſet. Atque hæc ſecũda ſit regulæ ampliatio, cuius ratio ea eſt; Quia prouidentia legis vel conſuetudinis conſtitutum eſt, vt omnes filii æqualiter ſuccedant. Hoc igitur ius ſiue hic ordo per contrariam diſpoſitionem patris, non debet ipſis inuitis adimi, vid. *Zaſ. & Iul. Clar. dd. locis.*

6. D. *Cum vulgò dicatur nullam eſſe regulam adeò firmam, quæ non patiatur exceptiones, an non & ſuperior regula aliquibus caſibus ſuum officium perdit?*

M. Habet & illa ſuas exceptiones, quibus poteſt vaſallus de feudo teſtati. Primò enim poteſt pro arbitrio ſuo diſponere de feudo, ſimpliciter & abſolutè hæreditario, idque cui voluerit relinquere. Quo caſu cogentur filii patris voluntati acquieſcere, nec facto eius contra venire poſſunt, *argumento l. 14. C. de rei vend. Zaſ. p. 8.*

*p.8.num.61.Clar.d.q.*40.*n.*2.*& Motz.d.c.6.num.*83. Quod genus feudi poteſt etiam per fideicommiſſum alicui relinqui, vt docet *Iul.Clar. q.* 85. Ex quo intelligere debes feuda, quæ ſunt ex pacto & prouidentia, itemque feuda mixta manere ſub regula. Secundo excipiunt quidam feudum Francum. 3. Feudum quod quis accepit pro ſe & hæredibus quibuſcunque, vide additionem ad *Iul. Clar.d.quæſt.* 40. Sed de feudo Franco aliqui tamen dubitant, teſte *Mozzio.nu.* 86. *d.c.6.* 4. Excipitur feudum nouum, de quo accedente conſenſu & permiſſu domini, aut certè ſubſecuta ratificatione, vaſallus teſtari poteſt, vt proinde etiam vni ex filiis id prælegare poſſit, vt docet *Iul.Clarus d.quæſt.*40.*num.*3.*& quæſt.*41.*num.*2. Ratio differentiæ inter feudum antiquum & nouum, cur, inquam, de illo non poſſit vaſallus quidquam diſponere teſtamento, vel vni filiorum illud prælegare: hoc poſſit, eſt hæc. Quia in illo fieret præiudicium, vel adgnatis vel cæteris liberis, quibus non debet auferri ius ſemel quęſitum ex tenore primę inueſtiturę: Quod ſecus eſt in feudo nouo. Nam quod ego primum mihi acquiſiui, quare nō poſſim meo arbitrio alienare, cum per id nemini ſim nociturus? Quare quod *Hotom.putat ad t.8.li.1.feud.* Vaſallum ne tum quidem poſſe de feudo teſtari, ſi dominus ipſi liberam teſtamenti factionem dederit, id non vſque quaque verum eſſe videtur; ſed ſed ſub illa; quam attuli, diſtinctione, vid. ſi feudum ſit antiquum, aut (quod ſuperioribus addendum eſt,) ſi nouum quidem ſit, ſed quod expreſsè fuerit receptum, contemplatione alicuius filii inueſtiturâ nominati. *Iul. Clar.d.q.*41.*n.*2.*& Mozz. d.c.* 6.*num.* 82. Vtitur quidem *Hotom.argumento l.*47.*§.patroni, ff.de bonis liber.* ſed ea nihil ad rem facit. Quinta eſt exceptio, in teſtamento facto à vaſallo præſentibus neque contradicentibus, quorum intereſt, domino ſcil. & vaſallo. Nam taciturnitas illa conſenſum imitatur, vid. *Mozzium num.* 84. Sexta exceptio eſt, niſi conſuetudine alicuius regionis introductum & receptum ſit, vt vaſallus de feudo teſtari poſſit, *Zaſ.p.8.num.63.qui ad hoc allegat Raph.Cumanum conſil.*173.

7. D. *Cum igitur, vt dixiſti, feudum regulariter non*

poſſit in vltima voluntate per vaſallum alienari & non debeatur feudum ipſum, an ſaltem æſtimatio eius debetur & peti poteſt?

M.Eſt quidē in legato rei alienæ hoc receptū, vt, ſi ipſa res aliena à teſtatore ſciente legata ab hærede redimi & præſtari nequeat, tū in locū rei ſuccedat eius precium & æſtimatio, vt audiuiſti ad §.*non ſolùm, Inſt.de leg. l.*10.*cum aliena, C.eod.* Sed aliud eſt in feudis, quorum nec æſtimatio quidem debetur, teſte *Bald.in d.§.donare,n.*13. *& Iul.Clar.d.q.*40.*n.*4.*& Moz.c.6.n.*79. Vbi & ratio differentiæ redditur. Quanquam vt hoc obiter admoneam, ſi res aliena Eccleſiæ ſit legata, Eccleſiam hoc legatum repudiare debere, vt conſtituit *Gregorius 9. in cap.*5. *Filius noſter, extra de teſtament.*

8.D. *Remotâ igitur iam à feudis ſucceſſione teſtamentariâ, proximum eſſe videtur vt exponas de legitima, ſiue qui in feudis ab inteſtato ſuccedant, vel non?*

M.Dixi paulò antè, *Inter ſucceſſionem allodialem* (de qua initio lib.3. in Inſt. dictum) & feudalem plurimum intereſſe: vt ecce Iure ciuili in bonis allodialibus non ſolùm deſcendentes ſuccedunt aſcendentibus: ſed etiam vice verſa, Aſcendentes deſcendentibus, & quidem vel aſcendentes ſoli, vel cum iis, qui à latere, atque ex tranſuerſo cognatione iuncti erant defuncto. V. g. Pater cum fratre defuncti, *l. vlt. C.ad SC. Tertull.* At in feudis aſcendentes non ſuccedunt, vt mox latius dicetur. Deinde iure ciuili ad ſucceſſionem allodialium, æquè admittuntur fæminæ atque mares, cum diſparitas viſa ſit iniuriam afferre ipſi naturæ, *l.* 14. *C. de hæred.l.*4. *Maximum vitium, C. de liber.præterit.* §. *Item vetuſtas.Inſt.de hæredib. quæ ab inteſt. cum ſimilibus.* A ſucceſſione autem in feudis fæminæ regulariter arcentur, §.*hoc autem notandum libr.*1.*feud titu.*1. *&* §.*ad filias, lib.*2.*titu.*11. *& paſſim alibi.* Tertia: Ius ciuile nouiſſimum nullum diſcrimen adgnoſcit inter adgnatos & cognatos, & hos æquè atque illos admittit, tàm ad hæreditatem quàm ad tutelam. *Auth. ſicut hæreditas, C. de leg. tut. Auth. poſt fratres, la.*2. *C de legit.hæred.Nou.*118.*cap.*3. 4. *&* 5. At ius feudale ſeruat diſcrimen, quod etiam Iure ciuili olim obtinuit ante illam cōſtitutionem Iuſtiniani,

niani,& adgnatos ſolos admittit excluſis cognatis: Atque ita vides, quomodo mores feudiſtici ſecuti ſint Ius ciuile Romanorũ ante Nouellas, vt dixi recepti, *l.* 5. *C.de leg.hæred.* Ratio: Quia feuda ſunt iura quædã gentilitia ad conſeruandam familiarum dignitatem potiſſimum inſtituta. Familiarum verò nomina per adgnatos retinẽtur & propagantur, nõ per cognatos, qui per fœminas deſcendentes nomen perdunt, & in alias familias tranſeunt, *l.* 195. *§.fi.ff.de V.S.* Quartò: Iure ciuili valet prærogatiua grad⁹, vt ſc. proximior gradu remotiorẽ excludat, à ſucceſſione, & pares gradu pariter admittantur, *d.Auth.poſt fratres, C.de l.her.* Sed Iure feudali hoc non eſt perpetuum: aliquando.n. gradu licet remotior proximiori præfertur, & pares gradu non tamẽ pariter admittũtur, vt inf. intelliges. Quintò: Aliter ius ciuile inſtituit ſupputationem graduũ, aliter Feudiſtæ, quorum ſupputatio potius cum Iure canonico congruit, vt quidem vult *Hotom.in comment. ad tit.* 31. *libr.* 2. *feud.* Qui canoniſtas *conſanguineos Feudiſtarum* vocat *in d. feud.c.*19. Et hanc ſententiam *Hotom.* probat etiam *Giphan.in tractat.de feudis.* Alii tamen (quos refert & ſequitur *Curtius in tractat. de feud.part.* 3. *p.* 2. *nu.*52.) Noluerunt ſequendam eſſe in feudis ſupputationem Iuris ciuilis, vide & *Ludolphum Schraderum p.*7.*c.*7. *nu.*112. & *Hart.obſ.*15.*n.*5. & *alterum Hart.Piſtoris li.*4.*c.*19. Et ſanè difficile eſt reclamare communi ſcholæ Feudiſtarum, cum præſertim & *Cuiac.ad t.*4.*F.*1. illi accedat, cum fratres patrueles in quarto gradu eſſe ſcribit, qui certè Iure canonico eſſent in ſecundo. Nam quantum differat ſupputatio graduum ciuilis à canonica, ad *t. de gradibus* *expoſui.*

9. D. *Sed quare aſcendentes (vt aiebas) non ſuccedunt in feudis?*

M. Ait feudiſta: Talem eſſe naturam ſucceſſionis feudi, quod aſcendentes non ſuccedunt, v.g. Pater filio, &c. *titu.*50.*lib.*2.*feud.* Sed cur talis eſt natura, inquies? Quia feudum vel eſt antiquum vel nouum. Si antiquum ſeu Paternum, tunc impoſſibile eſt, vt feudum à deſcendentibus ad aſcendentes ſucceſſione deuolua-

tur,cum potius contrà ab aſcendentibus iam mortuis in deſcendentes permanet. Quare ſi diceremus, tale feudum à deſcendentibus peruenire ad aſcendentes, idem eſſet ac ſi flumen fontem ſuum retrogrado curſu repeteret. Sed nec amplius eo caſu in rerum natura ſunt aſcendentes. Sin autem feudum ſit nouum vaſallo,cui primò datum erat ſine liberis mortuo,potius ad dominum recurrit feudum apertum, quam ad aſcendentes, aut collaterales defuncti vaſalli, quia liberorũ eius, non autem parentum aut fratrum aliorumué adgnatorum contemplatione fuerat conceſſum.Accedit, quod ſucceſſio feudalis ſtrictè ac propriè ſit interpretanda, vtpote quæ ſit contraria primæuæ naturæ feudi,de qua ſupra dixi ex §. *& quia vidimus.t.* 1.*lib.* 1.*& ex Cardinali Cuſano.* Magis autem propria & primaria eſt ſucceſſio deſcendentium quàm aſcendentium cum parentes liberis ſuis turbato mortalitatis ordine & contra communem curſum naturæ potius ex commiſeratione quadam,quàm ex ſuo voto ſuccedant, *l.*15. *Nam etſi,ff.de inoffic. teſtam. & ibi Accurſ. Cuiac. ad d. t.*1.hanc quoque rationem aſſignat, quia qui feudum accipit, ſibi tantum & poſteris ſuis accipit,vnde fit,vt ſemper in feudum ſuccedant poſteri ſoli eius,à quo originem capit feudum: His deficientibus feudum recurrat ad dominum. Quæ ratio ſumpta eſt ex coniecturatâ mente & communi affectione hominum ſuæ poſteritati atq; etiam æternitati,quantum quidem licet,conſulere cupientium,*l.* 220. *liberorum,§. vlt. D. de verb. ſignif.* Vnde etiam vulgò dicimus:*Amorem potius deſcendere,quàm aſcendere:* Sed hæc, quæ dixi de aſcendentibus, eos non ſuccedere,intelligenda ſunt de iis, qui in lineâ directâ aſcendunt,id eſt,de parentibus. Nam aliud eſt iuris in aſcendentibus per lineam tranſuerſam,qui deſcendentibus trãſuerſaliter in feudo antiquo certè ſuccedunt. v.g. Patruus ſuccedit filio fratris ſui, & tamen patruus eſt ex aſcendentibus,verùm per lineam tranſuerſalem, non directam, vid. *Hartm. de feud. obſ.* 16. *num.*5. vbi ad hanc rem allegat *Aluarott. & Præpoſitum.*

10.D.*Eſtne hoc perpetuum in aſcendentibus,vt in feuda non ſuccedant ſuis deſcendentibus?*

M.Imò

M. Imò huius quoque regulæ quædam ſunt exceptiones, vt I. Niſi pater infauorem filii feudũ antiquum refutauerit ſeu reſignarit in manus domini, vt filius ſuper eo inueſtiretur, & filius ante patrem ſine liberis moriatur: Tunc enim feudum reuertetur ad patrem: quanquam hæc non tam ſucceſſio quam recuperatio eſt appellanda, cum feudum patris remanſiſſe videatur. Feudum enim quamuis refutatum, nihilominus eſſe paternum ſcribit *Feudiſta libr. 2. titu. 14. in fin.* Quem locum impertinenter nonnulli huc allegant, cum totus ille titulus agat non de patris, ſed fratris ſucceſſione. Sed finis tamen eius tit. generalis eſt, & ratio quoque communis vtrique ſpeciei accommodari poteſt. Et hanc exceptionem ſolam adgnoſcunt *Zaſ. p. 8. num. 2. & Hartm. tit. de feud. obſ. vlt. num. 3. & Mynſ. cent. 3. obſ. 93.* Itemque *Giphanius in tract. de feudis.* Dixi non fruſtra *feudum antiquum*: nam aliud eſt in feudo nouo, teſte eodem *Hartm. d. obſ. vlt. num. 5.* Alii etiam hanc addunt exceptionem, niſi filius propter benè merita patris remunerationis ergô de feudo aliquo fuerit inueſtitus, & ante patrem deceſſerit; iam enim pater filio in eo ſuccederet excluſo domino. Facit hæc contemplatio meritorum eius, cum ipſi quoque feudum conceſſum videatur, in eum caſum, quo ſuperuicturus ſit filio, *vid. Aluarot. & Matth. de Afflict. de naturâ ſucceſſ. Feud. Cuiac. ad t. 59. lib. 1. feud.* addit etiam alia, nempe niſi pater contractâ fiduciâ filium de feudo inueſtire curauerit. Nam præmortuo filio hoc feudum ex contentione recurreret ad patrem: Et meritò: cum enim valeat pactum huiuſmodi, vt frater fratri ſuccedat in feudo nouo, vt ſupra dixi; quid prohibet quo minus etiam hoc valeat, vt aſcendentes ſuccedant deſcendentibus?

CAPVT XIII.

De ſucceſſione Deſcendentium, ſiue Liberorum vaſalli. Liberorũ varia genera: & qui nam ex his à ſucceſſione tanquam incapaces arceantur.

1. D. *Cum igitur remotis iam à ſucceſſione feudali aſcen-ſcendentib. duo tantum remaneant limites ſiue ordines co-gnationis; Inferior ſc. ſiue deſcendens, & obliquus,* (*quem* vulgò collateralem & tranſuerſalem *appellant*) *velim diſtincte mihi explices.* 1. *Quomodo ſuccedant deſcendentes, deinde hi, quomodo qui ex latere veniunt?*

M. Priuſquam hoc quod petis præſtem, ſcire debes, doctiſſimos quoſdam eſſe viros qui putent, ſucceſſionẽ feudalem verè ac propriè tantùm eſſe liberorum ſiue deſcendentium; nullam tranſuerſariam adgnatorum. Nam cum agnatus ad feudum vocatur, fieri hoc, non vt ſuccedat tanquam adgnatus, ſed tanquam vnus ex liberis primi autoris feudi, quem vulgò vocant Primum acquirentem. In hac ſententia eſt *Hotomanus in diſput. feud. cap.* 19. eamque probat etiam *Giphanius q.* 7. *loc. ex liberis feudi*; vbi ad ſucceſſionẽ feudi noui, nè quidem patrui aut patrueles; imò ne fratres quidem admittuntur, qui tamen omnium maximè videbantur debere ſuccedere, ſi in feudis recepta eſſet tranſuerſalium ſucceſſio, cum nõ ſint vlli proximiores adgnati alii quàm fratres. Sed vulgò tam ſubtiliter hæc nõ limātur. Et nos quoq; fortaſſe præſtat tritâ viâ incedere, & dicere etiā tranſuerſales ſiue adgnatos in feudo ſuccedere. Prius autē de ſucceſſione deſcendentiū videndū. Et hîc de iſta re Regula traditur *t.* 11. *lib.* 2. *feud.* (Qui ſic inſcribi debet: *De gradib. ſuccedentium in feudo.* Nam ita non ſolùm *Cuiac.* ex ſcriptis libris reſtituit, ſed etiam veteres gloſſatores eum citare ſolent.) *Mortuo eo qui beneficium tenebat* (i. Vaſallo cuius hæc eſt periphraſis,) Prima cauſa liberorum eſt, filiis enim exiſtentibus maſculis vel ex filio Nepotibus vel deinceps per Maſculinū ſexum deſcendentib. Cæteri remouētur adgnati: Et hactenus conuenit ius feudale cū ciuili. Nā in eo quoq; prima cauſa eſt liberorum. In eo non item, quod addit feudiſta, feudi ſucceſſionem ad filias & qui ex filiabus deſcendunt, non pertinere, quod & ſupr. admonui. Rectè autem feudiſta vtitur verbo *liberorum* potius quàm *filiorum*. Illud enim latiùs patet quàm iſtud: Etſi enim filiorum quoque appellatione omnes dicantur contineri, qui ex nobis deſcendunt, *l.* 220. §. *penult. & vlt. ff. de V. ſignif.*

V.ſignif. tamen hoc fit impropriè. Nam propriè filiorum appellatione, non continentur Nepotes, & cæteri deſcendentes, qui tamen liberorum nomine continentur, vt meminiſti ex §. *vlt. Inſt. qui teſtam. tutor. dari poſſ. iuncta eadem l. 20. in princip. ff. de V.S.* Cur autem in ſucceſſione defuncti prima eſſe debeat cauſa liberorum, & quare hi omnes alios propinquos excludant, rationem repete ex *l.* 15. *ff. de inoffic. teſtament. l.* 7. §. *vlt. ff. vnde liber. l.* 7. *ff. de bonis damn.* & ex iis quæ dicta ſunt ad *l.* 3. *titu.* 1. *Inſt.* Nempè quia natura ipſa hos maximè nobis conciliat. Naturam vero ius & lex imitatur. Hinc & *ll.* 12. *Tabb.* & edicta Prætorum, & SCta, & conſtitutiones Principum in eo conueniunt, vt liberos in ſucceſſiones parentum prætulerint, meritò igitur etiam mores Feudiſtici Ius ciuile & naturam ſibi ſequendam exiſtimarunt.

2. D. *Sed cum varia ſint liberorum genera, non ſatis eſt dicere primam eſſe cauſam liberorum; nimis enim hoc generale eſt, proindeque obſcurum: quare melius videtur, vt diſtinctè de ſingulis tractes, cum non omnium idem ius ſit?*

M. Rectè admones, & iam in eo eram, vt id facerem. Sunt igitur prima diuiſione, liberorum alii *iuſti*, alii *iniuſti*. Iuſti vel ſunt *Naturales*, id eſt, quos ex iuſtis nuptiis procreauimus, vel *Adoptiui*, quos quidam ciuiles liberos, alii *Legitimos* vocant; vel denique *legitimati*. Et rurſum. Alia ſub diuiſione liberi vel ſunt in poteſtate patris vel emancipati: Iniuſti liberi ſunt, vel ex concubina procreati, quos quidam *Nothos*; vulgò *naturales* vſurpant, vel ſunt *vulgò quæſiti*: qui & *ſpurii* dicuntur, & in Iure canonico *Manſeres*; vel denique ſunt *inceſtuoſi*, & *ex damnato*, atque *nefario coitu nati*, quorum deterrima eſt conditio. Secunda Principali diuiſione, liberorum alii ſunt primi gradus, qui propriè filii. Alii vlteriorum graduum, vt Nepotes, Pronepotes, Abnepotes, atnepotes, & Trinepotes. Tertia diuiſio à nexu deſumitur: Qua liberi vel ſunt Mares vel fæminæ. Quarta ab ætate ſeu ordine naſcendi, qua vnus eſt primogenitus, alii

poſtgeniti. Quinto liberi aut ſunt hæredes inſtituti, aut exhæredati, aut præteriti. Sexto liberi vel ſunt ex eodem Matrimonio, qui inter ſe fratres germani, vel ex diuerſis, & hi vel conſanguinei, vel vterini. Denique aut ſunt veri aut putatiui, ſeu præſumpti: Nunc de ſingulis quod nam eorum vis ſit, breuiter cognoſce: Rationes autem & fundamenta harum diuiſionum non tibi erit difficile ex Inſtit. & aliũde colligere atq; huc aſcribere: Videre etiam licet tractatum *Gabriel. Paleot. de ſpuriis.* Ac primo quidem de iis liberis, qui in feuda non ſuccedant, videamus, tunc deinde de iis, qui ſuccedant. Initio autem hoc obſeruabis: Quicunque Iure ciuili arceantur à ſucceſſione, eos multò magis excludi à ſucceſſione feudali; ſed non contrà, Quicunque Iure ciuili ad ſucceſſionem admittuntur, eoſdem ſtatim etiam ad hanc feudalem admittendos eſſe. Semper enim faciliùs Iure ciuili quàm feudali aliquis admittitur: quod veriſſimè à me dictum eſſe ex ſeqq. magis magisque intelliges. Igitur à ſucceſſione feudali hos remouemus; Inceſtuoſos atque ex damnato complexu natos. II. ſpurios ſeu manſeres, ſeu vulgò quæſitos. III. Natos ex cõcubina, ſiue naturales. IV. Adoptiuos. Item fœminas, & quicunque per fœminas deſcendunt, ſiue cognatos. De Inceſtuoſis non eſt mirum, quod eos à feudorum ſucceſſione remouemus, cum ne quidem in Allodialibus bonis, quorum tamen ſemper facilius datur ſucceſſio, quàm feudalium, neque Patri neque Matri ſuccedant, nec nomine naturalium liberorum, nec alimẽtis digni. *Auth. ex complexu. C. de inceſt. Nupt. Nouel. 89.* Quod tàm rigidum ius in eos conſtitutum eſt ſtudio & amore caſtitatis, odioque libidinum, atque inceſtus. De ſpuriis quoque ſeu vulgò quæſitis nihil mirum: Nã hi neque Iure ciuili ſuccedunt patri, cum nullum habere patrem intelligantur, *§. vulgò quæſitos. Inſt. de ſucceſſ. cognat.* Quod quidem, vt multa alia inſtituta, Romani mutuati ſunt ab Athenienſibus, & *l. Attica*, mentio extat apud Scholiaſtem Ariſtophanis. Quamuis ſi non ſit illuſtris ſuccedant Matri tales ex SC. Orphiciano, vt audiuiſti ad *§. nouiſſimè. Inſt. de SC. Orphiciano:* ſicut & vice verſa, Mater ad ipſorum bona admittitur, ex

tur, ex SC. Tertulli. §. *vlt. Inſt. de SC. Tertull.* De naturalibus ex concubina eos in feuda non ſuccedere, diſertus eſt textus in §.*naturales,tit.26.lib.2.* Etſi enim cõcubina ſolo dilectu & affectione ſeparatur ab vxore, teſte *Paulo lib.2.ſent.20.* ſiue vt ait *l. penult.ff. de concubinis,* ſola deſtinatione animi. Et concubinatus legibus, imò & iure Pontificio permittitur, tamen melioris conditionis meritò ſunt liberi ex iuſta vxore, quàm ex concubina nati: cum etiã Plautus concubinatum Matrimonio opponat. Ratio de his omnibus redditur iſta. Quia honeſtè in curia Domini, comparere & miniſtrare non poſſunt. *Vid. Weſemb. in comment. de feud. cap.6.*

3. D. *De his tribus generibus liberorum facilè tibi aſſentior eos non ſuccedere in feudis: Sed quod de legitimatis dicebas, id eſt eiuſmodi, vt ſcrupulum mihi iniecerit.*

M. Scio quid dicturus ſis: Nimirum audiuiſti, vulgò diſtingui inter modos legitimationis. Priuſquam autem reſpondeam atque hunc ſcrupulum tibi eximam, illud breuiter repetendum eſt ex *Inſt.§.vlt.t.de Nupt.§.1. verſ.quib.connumerari. De hæred.quæ ab inteſtato, & ex tit. Cod.de naturalib.liberis. Itemq; ex Nou.12.18. 22.74.89. &* 117. Legitimationem liberorum extra iuſtas Nuptias procreatorum, id eſt, reſtitutionem natalium pluribus fieri modis. 1. Per ſubſequens Matrimonium, cum concubina poſterius contractum, confectis dotalib. inſtrumentis, ſiue tabulis Matrimonialibus, quæ alias quidẽ neceſſariæ non ſunt: Sed hoc caſu requiruntur: idque ſiue extent alii iuſti ac legitimi liberi, ſiue non: ſiue ex ſerua, ſiue ex liberâ muliere naturales ſint procreati. Hunc modum inuenit Conſtantinus Magnus *l. 1.lib.5. C.de naturalib.liberis* & amplificauit Iuſtinianus. Secundus eſt per reſcriptum Principis, qui modus non aliter locum habet, niſi nullis extantibus aliis liberis legitimis, & Matre naturalium liberorum. Hunc modum inuenit Iuſtinianus. Tertius eſt, per oblationem ſiue dationem filii naturalis in curiam, quẽ introduxit Theodoſius in *l.3.C.d.t.* & approbauit Leo Imperator. Quartus eſt, Per nominationem filii in teſtamento a patre naturali, teſtamento factam: quem modum adinuenit

Iuſtinianus *Auth. ſi quis liberis, C. de naturalib. liberis. Nou.* 117. *cap.* 2. Erat olim etiam quintus modus per Adoptionem. Nam ſi pater filium naturalem adoptaſſet, fiebat ipſi ſuus & legitimus ex conſtitutione Anaſtaſii *l* 6. *C. de natural. lib.* Sed hunc mox ſuſtulit *Iuſtinianus in l.* 7. *eod. titu.* Quamuis tentari poſsit eum reduci in vſum ab eodem Iuſtiniano, in *d. Nou.* 117. Sed aliud eſt adoptio, aliud nominatio filii in teſtamento facta, vt maximè hæc duo inter ſe vicina ſint, *argumento* §. *vlt. Inſt. de adopt.* Ideoque à ſeparatis argumentari non debemus, *l. vlt. ff. de calumni.* Cùm præſertim ius nouum & correctorium non ſit ex conſequentiis inducendum. Vide etiam *Cuiac. ad Nouel.* 74. Ex his autem duo primi ferè ſoli hodie frequentantur; reliqui in deſuetudinem abierunt. His præmiſsis, ſciendum eſt, plærosque interpretes ita diſtinguere, vt legitimati per ſubſequens Matrimonium indiſtinctè in feudis ſuccedant, non minus quàm ſi legitimè nati eſſent. Ac legitimati altero modo per reſcriptũ principis non ſuccedant niſi in ipſa eorum legitimatione Imperator ſpecialiter expreſſerit, quod etiam in feudo ſuccedere poſsint. Ita *Accurſ. ad d.* §. *naturales, titu.* 26. *libr.* 2. Et probat etiam *Ferrarienſ. Practicus in forma libelli, quo agitur ad reuocationem feudi.* Eaque opinio communiter approbata eſt à *Dd. teſte Iulio Claro in* §. *feudum, quæſt.* 82. & *Zaſ. part.* 8. *num.* 74. *Andr. Geil. libr.* 2. *obſ.* 141. *num.* 12. & *ſeq. Mynſing. cent.* 4. *obſ.* 42. *Borchold. cap.* 7. *de feud. Schrad. part.* 7. *cap.* 5. *num.* 23. *cum ſeqq. Mozz. cap.* 6. *num.* 91. & *trib. ſeqq.* W*eſemb. cap.* 6. *de feud. nu.* 14. Et hoc adeò, vt non dubitarint etiam tunc admittere legitimatos, etiamſi quis feudum acceperit pro ſe & filiis legitimè ex ſe natis, cum legitimati legitime natis per omnia & in omnibus, vt loquitur Clarus, æquiparentur. Tanta vis eſt matrimonii, *cap.* 6. *extra, qui filii ſint legitimi.* Et hanc ſententiam prolixè tuetur *Hartm. Piſtor. libr.* 2. *quæſt. Iuris, quæſt.* 46. qui in ſeq. quæſt. diſputat, etiam de legitimatis per ſubſequens Matrimonium, *vide & Alexandr. conſ.* 60. *libr.* 2. *Guilhel. Forn. in comment. de feudis* diſtinguit inter feudum ante legitimationem acquiſitum, & poſtea, vt in illo non

ſuccedant

ſuccedant legitimati à principe, in hoc ſuccedant, ſed *Hotoman. in Comment. ad d. §. naturales, & latius conſil.* 29. Itemq; *Guilhelm. Forn. in Comment. de feud. & Giphanius* contrariam ſententiam probabiliorem & iuri rationiq; magis conſentaneã eſſe arbitrantur, videlicet legitimatos nullo prorſus modo ſuccedere: cuius ſententiæ hæc ſunt pręcipua fundaméta. 1. Qui textus feudalis, qui naturales legitimatos à ſucceſſione excludit, generaliter loquitur, nec diſcrimen facit vllum, inter modos legitimationis, an ſint legitimati per ſubſequens matrimonium, an verò per principẽ, & an ſimpliciter per principem, an verò hac expreſſa clauſula, vt in feuda quoq; ſuccederent. Sic enim ait: *Naturales filii, licèt poſtea fiant legitimi, nec ſoli, nec cum aliis admittuntur.* Vbi notabis obiter, particulam, *poſteà*, à Cuiac. ſic accipi, poſt delatam ſucceſſionem. Rectius tamen Horom. *poſtea ſc.* quam nati ſunt. Sic igitur habentib. verbis textus, non debuerunt Interpreres diſtinguere, vbi lex non diſtinguit, *l. de pretio, ff. de public. in rem act. cum ſimilibus.* Verba enim generalia, generaliter quoque accipienda ſunt. *l. 1. §. cum vrbem, ff. de offic. præſid. l. 9. §. vlt. ff. de iur. & fact. ignorant.* & rectè ait *Forner. d. loco.* textum generaliter conceptum miſerè detortum in anguſtias coactum fuiſſe. 2. Quia ſucceſſio in feudis recepta eſt, contra primæuam eorum naturam & conditionem. Non eſt igitur producenda ad conſequentias, ſed potius coarctanda. *argumento l. quod verò, ff. de ll. & l. 141. ff. de R. I.* Proindeque in feudis appellatione filiorum non venient liberi naturales, quãuis poſtea legitimati. 3. Legitimati comparari ſolent cum Adoptiuis. *Accurſ. ad l. 1. C. de Adopt.* Sed adoptiui in feudis non ſuccedunt, vt eſt textus expreſſus in *§. adoptiuus filius, eod. t. 26. F. 2.* de quo nemo dubitat. Ergo neque legitimati ſuccedere debent. 4. Quia effectus legitimationis non eſt is, vt legitimatus habeat plenum ius & fiat per omnia ſuus, & legitimus, item agnatus, ſed tantùm vt patri ſuo ab inteſtato ſuccedat. *Nou.* 74. 89. & 117. Omnis, inquam, vis legitimationis concluditur intra perſonam patris & filii legitimati. Ad adgnatos non por-

rigitur,quibus etiam non poteſt præiudicare. Atque hęc ratio pertinet ad feuda antiqua cur legitimati in illis non debeant ſuccedere. De nouis autem hæc eſt ratio quinta.Quia feudum non tam ex patris hæreditate,quam ex beneficio domini feudum concedentis æſtimanda ſunt: dominus autem feudum vaſallo concedens prolem eius legitimam ſiue legitimè natam potius videtur in animo habuiſſe, quàm de legitimatione cogitaſſe eorum,qui extra iuſtas nuptias procreantur.His & ſextum addatur fundamentum,ex *titu.6.cap. 16. Epiſtolarum Petri de Vineis*; vbi ſic ait, ſub perſona Friderici ſecundi Imp,cuius cancellarius fuit:De plenitudine poteſtatis noſtræ ex certa ſcientia eos ſpurios eſſe ſcientes legitimauimus, & omnia iura legitima reſtituimus, vt tanquam legitimi & legitimo thoro nati in bonis paternis & maternis, quæ feudalia non exiſtunt,ſuccedant.Quæ cum ita ſint,verius videtur(quod pace tot tantorumque virorum, quibus contrarium placuit,dictum velim)Legitimatos in feudis nunquam ſuccedere, ſiue per ſubſequens matrimonium,ſiue per reſcriptum Principis legitimentur. Quo magis etiam probandæ ſunt conſtitutiones Illuſtriſsimorum quorundam Germaniæ Principum, quibus ſucceſsionem feudalem denegarunt legitimatis. Qualem ſcio non ita pridem ab Illuſtr.*Duce Brunſuicenſi D.Henrico Iulio*, &c. Domino meo clementiſs. promulgatam, cum hac de re lis mota eſſet inter adgnatos quoſdam,qui fratris ſui liberos legitimatos per ſubſequens matrimonium excludere volebant. Et ſimilem conſtitutionem Mauricii Elect.Saxonici laudat *Hartm. Piſtor.l.2. quæſt.41.in fin.* Quod autem Princeps hanc poteſtatem habeat denegandi ſucceſsionem legitimatis, latè probatur in reſponſo facultatis Ingolſtadienſis ibidem poſt quæſtionem 41.relato. Nec obſtat, quod ex Iure Pontificio in contrarium obiicitur, tantam eſſe vim matrimonii,vt qui antea ſunt geniti poſt contractum matrimonium legitimi habeantur,vt ait *Pontifex in cap. 6.extra qui filii ſint legit.* Non enim ſequitur:Legitimati habentur pro Legitimis. Ergò etiam in feudis ſuccedunt.Nam eadē ratione poſſemus quoque de Adoptiuis colligere,quos

tamen

tamen non ſuccedere certiſſimum eſt. Dicendum eſt igitur, hîc generi per ſpeciem derogari, per dictum, inquam §. *naturales.* Habeantur ſanè & legitimati & adoptiui legitimorum liberorum loco: ſed in feudis certè non habentur, neq; ſuccedunt, *d.§.adoptiuus, & d.§.naturales,t.26.lib.2.feud.* Sed iam ſatis de legitimatis liberis, de quibus & hoc obſeruabis, non gratis ſolitos eſſe quoſdam Principes legitimationem concedere, ſed pro viceſima parte prouentuum omnium bonorum quæ iſtius legitimationis beneficio & occaſione ad legitimatos perueniebant, quotannis fiſco inferenda, ad recognitionem ſc. gratiæ ſeu indulgentiæ Principalis, quod didicimus ex eodem loco *Epiſtolarum Petri de Vineis.*

4. D. *Sed quæ ratio eſt cur adoptiui non ſuccedant in feudis, cum tamen in allodiis iure ciuili ſuccedant, vt memini audire in Inſtit.lib.3.t.1.*

M. Quanquam ſufficere nobis poterat autoritas conſuetudinis, & aperti *textus, in d.§.adoptiuus.* cum nō omnium quæ à maioribus tradita & obſeruata ſunt, ratio ſit quærenda aut reddenda, *l.non omnium. 20. D. de legib.* tamen quia & rationem quæris, hanc aſſignare poſſumus: Quod adoptio nō adferat ius ſanguinis. *§.per Adoptionē, Inſt. de legit. adgnat. ſucceſ.l.23.ff.de Adopt.l.7.ff.de in ius vocand.l.12.§.fin.ff.de rit. nupt.* Atqui feuda ſanguini conceduntur. Nec in poteſtate vaſalli collocari debuit, per commentitios & factitios liberos Dominum vel adgnatos ſuo iure priuare. Sic etiam ad excuſationem à tutela vel cura liberi adoptiui non proſunt. init. *t.Inſt.de excuſ.tut.Tacit⁹ lib.15.Annal.* Neq; etiam ad immunitatem in vlla parte muneris publici, quod SCto effectum eſt. Sic etiam in ſucceſſione I. ciuilis interdum eſt deterior conditio liberorū adoptiuorum, quàm naturalium. Minus, inquam, iuris habent adoptiui quàm naturales. Illi enim per Emācipationem deſinunt eſſe liberi, perdunt gradum liberorū, *l.4.ff.vnde liberi, §.minus ergo, Inſt. de hæred. quæ ab inteſt.* iſti, non item. Hoc quoq; de legitimatis & adoptiuis liberis poſtremo obſeruabis: Quamuis ſuccedere non poſſint in feudis, nihil tamen prohibere, quo

minus de nouo ipſi feudum acquirant, vt recte *Hotom. ad d. §. adoptiuus, & §. Naturales.*

5. D. *Nullane eſt in adoptiuis exceptio?*

M. Imo; Hos quoque duob. caſib. ſuccedere volunt: 1. Si ita cautũ ſit inueſtiturâ. 2. Si ita obtineat cõſuetudo regionis aut loci, *Weſemb. c. 6. de feud. numero decimotertio.* Rationes harum exceptionum euidentes ſunt, prioris quidem: Quia maxima eſt vis pactorum in feudis, vt & ſupra audiuiſti: Poſterioris: quia cum feuda introducta ſunt conſuetudine, & moribus, iiſdem quoque mutari poſſunt, & conſuetudo in illis dominatur. Addunt aliqui & hanc tertiam exceptionem, niſi adoptio facta ſit antequàm feudum alicui daretur. Sed hanc exceptionẽ non videtur admittere generalitas verborum in *d. §. Adoptiuus:* In quo etiam non diſtinguitur inter adoptionem, in ſpecie dictam, & arrogationem. Vnde nec quartam quorundam exceptionem probare poſſum, qui putarunt, arrogatum auctoritate Principis in feuda ſuccedere.

6. D. *Atqui putabam hanc ſaltem ſuccedere debere, ea ratione, quia beneficia Principũ latiſſimè interpretãda ſunt, l. pen. ff. de cõſt. Princip. c. 1. ext. de donat. c. olim. ext. de V. S.*

M. Verum quidẽ hoc eſt, ſed in iis demum caſibus, vbi non læditur ius alicuius tertii. Nam Princeps nemini ius ſuum auferre poteſt, *l. reſcripta, & l. quoties, C. de precib. Imp. offer. l. 2. ff. ne quid in loco publico, c. quãuis, de reſcriptis, l. 6. l. Si quando, in princip. Cod. de inoffic. teſtam.* vide *Zaſ. ad leg. 2. §. ſed quod Principi, ff. de origine iuris, & in Epitom. feud. p. 8. num.* 75. Id autem hîc fieret, ſi adoptiuum iſtum, quamuis à principe adrogatum, ad ſucceſſionem feudi admitteremus. Aliis namque fieret iniuria, quibus iure ſanguinis ſucceſſio debetur.

CAPVT XIIII.

De Fœminarum ſucceſſione in feudis regulariter nulla.

1. D. *Sequitur de filiabus, ſiue potius in genere de fœminis*

minis vt dicas, quare in feudis non ſuccedant? tum verò an hoc ſit perpetuum, an vero ſaltem aliquando, & quib. caſibus ſuccedant?

M. Regula igitur hæc eſto: Fœmina in feudo non ſuccedit ex natura & conditione feudorum, *tit.* 1. *lib.* 12. *feud. in hoc* §. *autem notand. eſt.* Vbi ſic diſtinguendus eſt textus, qui vulgo perperam legitur: *Licet filiæ, vt maſculi patribus ſuccedant legibus.* Sic accipe, quaſi dixiſſet Feudiſta l. ciuili. Intelligit autem cùm alia Iuris noſtri loca, tum *l.* 4. *C. de liber. præterit. & l.* 14. *Cod. de legit. hæred.* Quòd ſi ita vt vulgo diſtinguas; *Legibus remouentur fœminæ à ſucceſſione feudi, nullam poteris proferre legem*: quia hoc cautum ſit, cum potius ſit ius moribus introductum, quàm legibus aut iuri ſcripto. Nominat quidem *Hotoman. ll. Lotharii & Cunradi*, ſed non probat: Eadem regula confirmatur etiam *tit.* 8. *F.* 1. *in* §. *filia vero, & tit.* 24. Item *tit.* 11. *libro ſecundo feud. verſic. ad filias & t.* 30. *Item t.*50. in verbis: *Filius patri ſuccedit & non filia.* Notandum eſt igitur hîc exemplum ad id quod dicitur in *l.* 9 *ff. de ſtat. homin.* in multis iuris articulis deterior eſt conditio fœminarum, quàm maſculorum. Quod pluribus exemplis demonſtratur à Philip. Decio, Cagnolo & aliis ad *l.* 12. *ff. de R.I.* Ratio huius regulæ & Iuris feudalis, (cum quo etiã conuenit lex Salica) multiplex reddi poteſt: ſed omnia referri poſſunt ad hæc duo capita: 1. Ad imbecillitatem fragilitatemq; tàm corporis quàm animi, quę in eo ſexu vt plurimũ ineſt. Deinde ad honeſtatem, & pudorem ac verecundiam naturalem, quę prohibet fœminas cœtib. virorum immiſceri. Quarum rerum ratio ſæpè etiam in Iure ciuili atque canonico habetur, *l.* 1. *ff. de poſtul. l.* 1. *ff. de ſenat. l. pen. ff. de contrah. & commit. ſtipulat. leg.* 21. *Cod. de procurat. leg.* 4. *Cod. Theodoſ. eod. tit. l.* 5. *C. de Adopt. l.* 12. *ff. de Iudiciis, c. Mulieres, de iudiciis, l.* 6. *l.* 1. *ff. ad SCtum Velleia. c. forus. extr. de V.S. l. fin. Cod. de arbitris, c. dilecti, ext. eodem, & vide d. l.* 2. *ibidemq; Interpretes, de R. l.* Eleganter quoque ait Cato apud *Liuium lib.* 44. in ſuaſione l. Oppiæ in princip. Maiores noſtri nullã rẽ ne priuatamquidẽ agere fœminas ſine autore voluerũt: Ideo-

que in manu eſſe parentum & fratrum virorumq;. Vt notum eſt teſtimonium Vlp. in fragment. de perpetua mulierum tutela. Hinc igitur fit vt fœmina non poſſit ſedere iudex inter pares curiæ, vt aliàs convaſalli ſępè ſunt iudices, ſi controuerſia incidat inter dominum & vaſallum, de quo infra dicetur. Non poſſit etiam honeſtè defendere dominum in prælio. Cum magis conueniat, mulieres à viris defendi, quàm viros à mulierib. *argumento §. patitur, verſic. defendi, Inſt. de iniur. l. 2. ff. eod.* Non etiam poſſit facile reticere arcana atq; ſecreta domini, quod ſe facturum vaſallus inter cætera iurare ſolet, vt ſupra *dictũ ex t. 6. libr. 2. feud.* Nota enim eſt garrulitas muliebris, prouerbio quoq; notata. Notum eſt in Hiſt. Rom. exemplum matris Papyrii prætextati, de quo vide *Gell. lib. 1. c. 23. Macrob. l. 1. Saturn. c. 6.* Nota denique leuitas huius ſexus, de qua poëta ait:

——*Varium & mutabile ſemper*
Fœmina. vide Zaſ. p. 8. n. 36.

2. D. *Quid ſi qua fœmina ſit virago & bellicoſa, prudens, grauis & taciturna, quales multæ leguntur extitiſſe?*

M. Exempla hæc, quia rariora ſunt, non vitiant regulam, quia ll. de iis feruntur, quæ vt plurimum, non quæ raro accidunt, hæc enim inſuper habere ſolent legiſlator, *l. 3. & 3. ſequēt. ff. de ll. l. 3. ff. ſi pars hered. petat.* Quocirca perridiculum mihi videtur quod ait *Hieronym. Garzonius in tractat. de fœmin. ad feuda recipi: vel non, n. 131.* appellatione Maſculi venire etiam fœminam viraginem: Vbi immeritò reprehendit Zaſium contrà ſentientem: ſicut etiam initio eiuſdem tractatus ſuperiores omnes rationes reiicit tanquam falſas & vnam ſolam cauſam, hanc videlicet aſſignat, quia ſic ab initio placuerit primis feudorum auctoribus, ne fœminę ad feuda admitterentur: Idq; paulatim moribus ita receptum & obſeruatum, curſuq; temporum confirmatum fuerit: Quod ſicut non negamus, ita hoc quærendum eſſe dicimus, quid mouerit primos illos autores feudorum, vt fœminas à ſucceſſione excluderent. Mouerunt autem certè ſuperiores rationes: qui-

nes:quibus & hanc addere poſſumus:Quia feuda dantur ad generis & familiæ conſeruationem,quæ fit non per fœminas,ſed per mares.*l.195.pronuntiatio. in fin. ff. de V.S. l.1.ff.de iur.immunit.* Atque hinc eſt, quod communiter traditur, heredem appellatione in feudali inueſtiturâ,tantum maſculos venire,non fœminas: vt *t.* 1.*lib.*1.*feud.*§.1. in verbis:*ſine legitimo herede*,&c. & *t.* 13. §.*& ſi clientulus*,Item,*t.*34.*lib.*2.*feud.* Verba enim intelligenda ſunt pro ſubiecta materia. Quamuis aliud eſſe velint interpretes in feudo improprio, vt in eo dictio heredum,omnes etiam fœminas includat, quod multis Dd.auctoritatib.probat eruditiſſim⁹ *Teſſaurus deciſ.*246.*n.*8. Ampliationes ſuperioris regulę aliquot extant. Primùm enim adeò excluditur fœmina, vt ne quidem omnibus maſculis deficientibus ſuccedat, ſed potius feudum, tanquam apertum redeat ad dominum,& conſolidetur cum proprietate, vt *t. l.*6. *libr.* 1. *feud.& t.*11.*libr.* 2. *feud. verſ.Si enim*, *& t.*24.*lib.*1 *feud.Item t.*17.*lib.*2.*feud.vide Borchold.c.*7.*n.*35.*Zaſ.p.* 8. *n.* 45. 2. Adeò excluditur fœmina à ſucceſſione feudi, vt nõ admittatur,etiamſi in inueſtiturâ dictum ſit, vt vaſalli deſcendẽtes ſeu heredes maſculi & fœminæ in eo ſuccederent, vel etiamſi quis feudum pro ſe & heredib. maſculis & fœminis recepiſſet. Ne tum quidem, inquam, fœmina admittitur, quàmdiu ſuperſunt Maſculi,ſed iis demum deficientibus,vide *tit.*6.*& t.*24.*lib.* 1.*feud.& t.*17.*lib.*2.*feud.* in verbis : Non patet locus fœminæ in feudi ſucceſſione donec Maſculus ſupereſt, ex eo,qui primus de hoc feudo fuerit inueſtitus. *vide etiam t.*18.*Item Dd.t.lib.*2.*feud.* Nec obſtat quod *Hoto.* obiicit,re & verbis coniunctos ſimul admitti. Nam particula *&*, quamuis aliàs copulat ea quibus adiungitur,tamen hic ordinem ſucceſſiuum denotat. 3. In tantum excluditur fœmina, vt ſemel per maſculos excluſa, maneat perpetuo excluſa, tàm ipſa, quam eius ſoboles, quantumuis poſtea omnes maſculi defecerint,*d.t.*6.§.*quin etiam*,*Zaſ.p.*8. *Hieron. Garzon. de tract. de fœminis n.* 33. 48. *&* 59. Qua de re vide etiam *Mynſing.cent.*5.*obſ.*74. *& Andr. Gail.lib.*2.*obſ.* 48. *& Hotom. in conſil.* 4. Ampliatur regula de ſucceſſione fœmi-

narum, vt vera ſit etiam de filiis ac Nepotibus fœminarum. Namne hi quidē licet idonei eſſent, ad feudalia miniſteria & munia militię obeūda admitterentur, §. *hoc autē notandū t.1. lib.1.* Ita dico, vbicunq; non admittuntur fœminæ, neq; ex ipſis deſcendentes admittētur, vt rectè *Teſſaurus d. deciſ.246.n.2.* Deſtructo enim antecedente deſtruitur & concidit etiam conſequens. *Zaſ.n.58. & ſeq. par.* 8. & vt vulgò aiunt: Infecta radice, infectum etiam habetur omne id, quod ex ea enaſcitur. Adde, quod non poteſt quis plus iuris in heredem transferre, quàm ipſe habuit, *l.58. & 59. ff. de Reg. I.* Nec debet quis melioris eſſe cōditionis quam auctor ſuus. Cum igitur fœmina ipſa ius ſuccedendi in feudū non habuerit: non habebunt etiam illud heredes eius, quāuis maſculi. 5. Ampliatur regula, vt procedat etiam in feudo Emptitio, teſte *Zaſ. d. p.8. n.37. Wurmſ. lib.1. pract. forenſ. t.51. obſ.3. num.2. Mynſing. cent.5. obſ.73. & Henric. Roſental. c.7. de feud. n. 99.* Quæ ſententia etiam Doctori meo Giphanio probatur in tract. de feudis, licèt contrarium ſenſerit Odofredus, aliiq; eum ſecuti, quorum opinionē *Iul. Clar. quæſt.73. n. 6.* magis cōmunem & veriorē eſſe credit & priori præfert. Nititur hac ſola ratione, quia feudum à domino emptum non habeat propriam feudi naturam. Sed licet hoc fateamur, inde tamē non ſequitur, quod inferunt: Ergo etiā fœmina in eo ſuccedit. Hoc.n. firmiter tenendū eſt pro regula, quod ſæpè inculcat *Zaſ. p.12.* Feuda impropria quæ in aliquib. recedunt à cōmuni natura feudorū, & alterātur, in cæteris capitulis ſeu placitis nō alteratis remanere ſub natura & regulâ feudali ac ſimplici, & ſecundū eam gubernari. Iam verò feudum emptum in eo tātùm recedit à rectâ feudi natura, quod nō ſit gratuitū. In cęteris igitur manet ſub naturâ cōmuni, quæ inter alia hoc quoq; ſecū fert, vt fœminæ feudorū incapaces ſint. Tenēda quoq; eſt altera certiſſima regula feudalis: Fœminas à feudis excludi ac remoueri, niſi nominatim vocētur. Ab hac autem regula nuſquā excipitur feudum emptū. Quare ſub regula manere dicendū eſt. vide *Zaſ. p.8. n.37. & p. vlt. n.21.* Et eundē *Zaſ. lib. 2. cōſil.* *vide etiā Wurmſ. d. t.51. obſ.3. & Matth. de Afflict. ad tit. 1.*

lib. 2.

lib.1.feud. Item Schrad.p.7.c.4.n.5.& Garzon.n.103. Alii tamen contrariũ tenuerunt, & fœminas cum ſua prole ad ſucceſſionẽ feudi empti admittendas cẽſuerunt, quos præter *Iul.Clar.* refert & ſequitur *Anton. Teſſaur. 1.deciſ.246.n.7.* Quorum hęc eſt ratio: quia tale feudũ, quod precio paratum eſt, ſapiat naturã rerum allodialium, & inſtar allodii reſpicetur, perindeq; vt alii cõtractus reguletur. In allodiis autẽ fœminæ certè ſuccedunt, æquè ac mares. Sed de illa ratione nõ immeritò dubitari poteſt. Sanè Morib. Gallorum nõ tãtùm hæc emptitia, ſed & cætera feuda omnia iure patrimonii cenſeri ſiue ad inſtar patrimonii redacta eſſe, proindeque etiã fœminas apud ipſos admitti non negamus, cũ id vno ore ſæpiſſimè in ſuis ſcriptis teſtẽtur clariſſima illa Galliæ lumina, *Tiraq. Hotom. Cõtius, Cuiacius, Fornerius, Duarenus, Io. Imbertus, Molinæus, & Paponius.* Verùm nos hîc de iure cõmuni quęrimus, quo certè verius mihi videtur, fœminas in feudo empto nõ ſuccedere, niſi fortè hoc ipſum in cõtractu emptionis expreſſe cõuenerint, vt ſuccederẽt: quo caſu admittendæ erũt, nõ tàm vi emptionis, quã vi pacti, quod emptioni feudi adiicitur, quo nõ adiecto, nõ ſuccederẽt. Adferunt quidã & hãc rationẽ: Cur, inquã, fœmina in feudo empto debeat ſuccedere: q̃a, inquiũt, hic nullũ beneficiũ feudi emptor accipiat à domino. Sed primò hoc negãdũ eſt, quia p̃ter feudũ accipit quoq; mutuã fidẽ beneuolẽtiamq; à ſeniore ſuo expectãdã. Deinde etiã ſi nihil ampli᷒ accipet, tamẽ cõſequẽtia iſta negãda eſſet.

3. D. *Poſteaquam mihi expoſuiſti, & regulam de ſucceſſione fœminarum, & rationes eius atq; ampliationes: Proximum nunc eſſe videtur, vt ſubiicias etiam exceptiones, id eſt, eos caſus recites, quibus fœminæ ſuccedant?*

M. Adferuntur quidẽ ab Interpretib. lõgè plurimæ, partim verę ac ſolidę, partim falſæ: ſed nos nõ modò falſas à veris ſeparauim᷒, verũ etiã eas, quę verę videntur, quàm breuiſſime fieri poterit cõtrahemus. Primã igitur illarum exceptionũ iam intelligere potuiſti, ex modò dictis, videl. ſecundũ aliquos in feudo emptitio, quos ſequuntur clariſſimi viri *Iul. Clar. & Antoninus Teſſaurus:* Secũdum alios verò, quib. magis accedim᷒, ſi cõtractui emptionis inſertũ fuerit pactum expreſſum

de fœminarum ſucceſſione,quæ prima exceptio latius patet,atq; ad totum genus reuocanda eſt. Vbicunq; enim in feudali inueſtitura pacto nominatim hoc expreſſum atque conuentum fuerit,fœminæ quoq; ſuccedent. Altera Exceptio eſt: Niſi feudum fuerit fœmineum,ſeu muliebre;id eſt,tale, quod primum à fœmina fuit acquiſitum. Et hæ duæ exceptiones ſæpè repetuntur in hiſce libris feudalibus,ac vbicunq; ferè, proponitur regula, ibidem etiam ſtatim ſubiiciuntur hæ exceptiones:vt *t.*11.*lib.*2.*feud.* Proles,inquit, fæminini ſexus, vel ex fœmineo ſexu deſcendens ad huiusmodi ſucceſſionem (intellige feudalem) adſpirare non poteſt, niſi eius conditionis ſit feudum, vel eo pacto acquiſitum. Sic *t.*50.dicitur: *Filius patri ſuccedit & non filia, niſi ex pacto, vel niſi ſit fœmineum.* Sic *t.* 8. *libr.* 1. *feud. Filia non ſuccedit in feudo, niſi inueſtitura fuerit facta in patre, vt filii & filiæ ſuccedant in feudum.* (tunc enim ſuccedit filia filiis non extantibus) vel niſi inueſtitæ fuerint. Quæ poſtrema verba dupliciter accipi poſſunt. 1, Ita: Niſi fœminæ primitus fuerint inueſtitæ de feudo, id eſt, niſi eius conditionis ſit feudum, vt à fœmina primo acquiſitum fuerit:breuiter, niſi ſit fœmineum,quę eſt altera noſtra exceptio.Poſſunt deinde etiam ita intelligi(& fortaſſe rectius, & mēti feudiſtæ conuenientius:) *Niſi patre mortuo filia impetret de nouo inueſtituram à domino*: intellige potius ex gratia, ſiue,vt loquuntur, ex diſpenſatione, quàm ex debito, vel niſi redemerit feudum, quod patris morte ad dominum redierat, quæ eſſet tertia exceptio ponenda. Notabis autem obiter in *d. t.* 8. veriorem eſſe lectionē *Hotom. & Cuiacii.* Hæc de feudo paterno: vt ſit quædam tranſitio & oppoſitio ad verba ſequent. In aliis verò libris vulgò hîc locus perperam & legitur & diſtinguitur:*Niſi inueſtitæ fuerint de hoc feudo Paterno.*

4. D. *Priusquam pergas in commemorandis exceptionibus,ſcire velim, idem ne ſit feudum fœminæ, & feudum fœmineum?*

M. Cuiacius quidem ad *t.*12. *lib.* 1. ſcribit: multum intereſſe an mulier habuerit feudum, an feudum muliebre fuerit;Facit, inquam,differētiam inter hęc duo.

Nec enim,inquit, omne, quod mulier habuit, muliebre eſt. Et in Muliebri ſuccedunt filii & filię æqualiter. Muliebre eſt id,de quo primum inueſtita eſt Mulier. Illud quod à Mare ad mulierem peruenit, pacto vel priuilegio,vel gratia domini, vel more regionis nõ eſt muliebre. Sed hanc diſtinctionem non adgnoſcit *Hotom.ad t.de feud.fœmini.*30.*lib.*2. *feud. vt nec alii feudiſtæ.* Hoc quoq; obſeruandum de ſecunda illa exceptione: Eam ab Oberto quidem & Gerhardo probari, ab aliis vero Iuriſconſultis acutius cernentibus iam olim reiectam fuiſſe, vt diſcimus ex eodẽ tit.de feudo fœm. quorum ſententiam Hotom.quoq; pręfert,hac ratione: Quia ſingulare ſit beneficium in fœmina, vt feudum ei concedatur contra ſuam naturam. Proindeq; non debeat eius perſonam egredi & longius produci, *argumento l.*141.*& l.*136.*ff.de R. I. & l. quod vero cõtra, ff. de ll.vide etiam Cuiac.lib.*1.*t.*12. Voluerunt igitur qui ab Oberto & Gerhardo diſſenſerunt, etiãſi feudũ fuerit fœmineum, tamen fœminas in eo non ſuccedere, niſi ex pacto,vel niſi ſpecialiter datum fuerit,vt ad eas pertineat. Quæ erat prima noſtra exceptio, eaq; ſola refertur in §.*hoc autem vocandum,lib.*1.*t.*1. Idq; placuit gloſſę,ad *t.*30.*& Iul. Clar. quæſt.* 37.*n.* 5.*vtitur Zaſ.* hac ratione:quia qualitas fœminea, quæ fuit ab initio in tali feudo,præſumatur durare, quamdiu nullum interuenerit obſtaculum. *Clarus* autem iſta, quia non ſit inconueniens, vt & fœminæ ſucceſſiue admittantur ad illud feudum, quod in fœminis habuit originem. Sed his omiſſis,pergamus exponere alias exceptiones. Tertia igitur ſit iſta: Fœminas in feudo ſuccedere ſi feudum a domino,ad quem reuerſum fuerit, redemerit. 4. Si Dominus propter benemerita patris id ipſi dare voluerit,ſiue vt Feudiſta loquitur: Si dominus propter benemerita & amorem patri dare voluerit. Hæ duę exceptiones c[illegible] iunguntur, *tit.*24. *libri primi feud.* In quo tit. vt & alibi in his libris & Iure canonico parentes obſerua nt poſitos pro adgnatis.Non reuocetur (inquit) ab vll o ex parentib. ſuis,id eſt, adgnatis filiæ ſuæ defuncti. vi de *Cuiac.ad t.* 25.*lib.*2.*& Hotom.in lexic.Feud.* vterque ex Hieronymo

obſeruat, militatē hunc eſſe & vulgarem ſermonē, parentes nominare cognatos & affines. Tertullian⁹ quoque ſic vſurpauit in lib. ad Martyres, c. 2. vbi rectiſſimè annotauit Beatus Rhenanus parentū vocabulo quoslibet cognatos intelligi, quēadmodum & hodie vulgus Italorum & Gallorū loquitur. Exempla plurima vide in lexico Gallico. Hinc parentela ſæpè in I. canonico vſurpatur pro cognatione vel etiā affinitatē, vt *c.17.35.q.2.& 3.c.2.ad ſedē, cum 2.ſequēt.eod.c.q. 2.*

5. D. *Quid ſi adſint benemerita non parentum, ſed ipſius fœminæ, quæ ſuccedere vult?*

M. Idē iuris eſſe volūt, nēpè vt ſuccedat & fœminæ, vide *Garz.n.*151.cū aliquot ſeq. Ad hāc exceptionē quodāmodo referri poteſt & is caſus, ſi vaſallus rē ſterilem in feudū acceptam ſuis impenſis exoluerit, & ſine maſculis heredib. deceſſerit. Tunc enim fœmina admittetur quaſi ſc. in prædium Emphyteuticum.

6. D *Quæ eſt Quinta exceptio?*

M. Si hoc ferat ſtatutum vel cōſuetudo regionis vel curiæ domini vel familiæ, quæ dedit, & cui datū eſt feudū, teſte *Zaſ.p.*8.*n.*42.*Iul.Clar.d.q.*73.*n.*9.*& Motz.c.*5.*n.*92.*Hier.Garz.n.*110.*cū* 2.*ſeq.* Nec mirū ꝙ dicimus in ſucceſſione feudali maximè attēdēdā eſſe cōſuetudinē, qa & ipſa feuda ab initio ꝑ cōſuetudinē introducta ſunt, proindeq; morib. potius quā legibus regūtur, & vt ait *Iul.Clar.* à conſuetudine in feudis non eſt recedendum. Sic de Regno Siciliæ. Item de Sueuia teſtatur Zaſius, de Gallia Duarenus aliiq; ſupra citati.

7. D. *An etiam conſuetudine & pactis gentilitiis alicuius familiæ hoc induci poteſt, vt fœminæ ſuccedant?*

M. In feudo nouo quod familia aliqua alteri cōcedit nō eſt dubiū, quin hoc fieri poſſit, vnuſquiſq;.n. rei ſuæ legē dicere poteſt. *l.legē, C.eod.* Ac in feudo paterno accedat oportet cōſēſus adgnatorū ſine quo nō poteſt natura feudi mutare: Ita aūt familia ꝗ feudū ab aliis accepit, nō poteſt in ꝓiudiciū domini vllā inducere cōſuetudinē aut pacto efficere, vt fœmina ſuccedat. Ita diſtinguit *Zaſ.p.*8.*n.*42.*v.*5. *quærit & ꝓbat. Motz.d.c.*5.*n.*93.

8. D. *Quæ eſt ſexta Exceptio?*

M. In feudo Franco ſiue libero, vbi nulla pręſtatur ſeruitia, nulla etiā fidelitas iuratur. Volūt Dd. Bald. ſecun

cuti etiã fœminã ſuccedere, vide *Iul.Clar.d.q.79.n.7.& Garz.n.95.&ſeq. Zaſ.tamē p.8.n.44.* contrariũ probabiliter teneri poſſe exiſtimat, quẽ & *Borch.ſequitur c.7.n.68.&Motz.c.5.n.82.* Septima priori vicina exceptio hęc eſt: ſi feudũ pro certo ſeruitii genere cõceſſum ſit (quod vulgò *cõditionatũ* vocãt) idq; vel p ſubſtitutum, v.g. per maritũ aut extraneũ, vel per ipſam fœminã, nõ minus decore pręſtari poſſit, quã per maſculũ, *c.32.ſi cui Militi in extr. Ardiz.* q in *li.3.feud.* retulit Hot. vide & *Zaſ.p.8.n.48.& Iul.Clar.d.q.73.n.8.& Garz.n.95.98.139.cũ ſeq.* vbi tamẽ ait accedere debere diſpẽſationẽ domini. Sed in eo ab aliis diſsẽtit idẽ Garz. Quod feudũ cõditionatũ aliter accipit, vt videre eſt apud eudẽ *n.30.&n.134.* Octaua exceptio eſt, niſi adgnati, qui aliàs fœminã excluderẽt, cõſentiãt vt fœmina ſuccedat. Licet.n. cuiq; ſui iuris perſecutionẽ aut ſpẽ futurę pceptionis deteriorẽ cõſtituere, *l.47 ff. de pact. l.pen. C.eod. vide Garz.n.159.* Nono fœmina ſuccedit in feudo Eccleſiaſt. quod inferior aliquis Papę cõceſſit teſte *Garz.n.126.* Quia inquit Eccleſia nõ indiget auxiliis & armis externis, cũ a Deo defẽdatur & arma ei⁹ ſint preces, lachrymę, & ieiunia. Vbi hoc idẽ etiã tẽtat de ſummo Põtifice & vniuerſali Eccleſiaſtica poteſtate. Decimo excipiũt feudũ exiguum, ſeu modicũ ac tenue, in quo etiã fœminam ſuccedere volũt teſte *Men. de arb. iud. q.c. 214.n.3. vide etiã Garz.n.122.* Sed hãc exceptionẽ reiicit *Curt.p.3.n.14.* Vndecimo excipiũt feudũ ignobile, de quo *Men.cõſ.65.n.30. & ſeq. Garz.n.168.cũ ſeq.* Duodecimo. Fœmina ſuccedit, ſi vel æque potẽs ſit, vel etiã potentior quã ipſe dominus: vide *Garz.n.171.& 173.* cui vicina eſt decimatertia, ſi nimirũ agatur de ſcandalo euitãdo, vel de inſigni aliqua vtilitate publica procurãda; tunc.n. fœminam quoq; ad ſucceſsionẽ feudi admitti volũt, quia ob has cauſas à iure cõmuni nonnunquam ſolẽt recidi, vide eundem *Garz.n.174.cũ ſeq.* Decimoquarto, ſuccedit fœmina, ſi pro feudo annu⁹ cenſus ſoluatur. Nã hic cõtractus nõ tã feudalis quã cenſualis eſt. *Zaſ.p.8.n.37.v. vno tamẽ caſu. vide etiã Borch.c.2.5.2.n.71.* Decimoquinto. Si feudũ fuerit cõceſsũ maſculo, ad arma cõſiliaq; inepto. *Garz.n.170.* Qui tamẽ de veritate hui⁹ exceptionis nõ inimerito dubitat. Quia videl. etiã ex maſculo inepto ſperari poteſt ſoboles idonea. 16. Succedit fœmina in melio-

rationibus feudi, quas vaſallus fecit. Vide *Iul. Clar. q. 88.* *& Borch. conſ. 3. n. 31. & c. 7. in ſecunda p. n.* 173. Si tamen difficilis ſit harũ ſeparatio, præſtanda eſt ęſtimatio, vt recte docet *Garzon. n. 146. & ſequẽt.* Decimoſeptimo, ſi feudũ prius fuerit allodiũ, & vaſallus id receperit in feudũ ab alio, cuius in fidẽ & clientelã ſe receperit, etiam in eo volunt fœminã ſuccedere, *vide Garzon. n. 165. cũ ſeq.* Decimaoctaua ſumi poteſt ex *l. 18. lib. 2. feud.* Si vero duo fratres ſimul inueſtiti ſint de feudo nouo ea lege, eove tenore, vt quõ diu ipſi, vel eorũ heredes maſculi viuerẽt & maſculis deficientib. fœminæ feudum haberẽt: & vnus poſtea ex fratrib. iſtis ꝑmoriatur relicta filia, hęc in portione defũcti ſuccedit, & patruũ ſuũ excludit. Decimonono. Excipitur feudũ pignoratitiũ, Pfandlehn / in quo vt fœmina quoq; ſuccedat morib. receptũ eſſe ſcribit *Zaſ. p. 10. n. 24.* Sunt & aliæ quædã exceptiones, ſed partim falſæ, partim magis dubię, & cõtrouerſæ, v. g. Quod volũt quidã ſecuti autoritatem Speculatoris fœminã ſuccedere etiam in feudo ligio: quã ſententiã iure nõ probari ait *Borch. c. 7. in 2. p. n. 70. & Garzo. n. 115. cum ſequẽt.* Sic excipiunt magni autores feudũ remunerationis cauſa datũ, in quo ſimiliter putant fœminã ſuccedere: de quo tamen non immerito ſubſiſtit *Garz. n. 94.* Itẽ feudũ de quo nõ præſtatur ſpeciale Iuſiurandũ fidelitatis. Itẽ feudũ ſuapte natura ꝓmiſcuũ, i. cõceſſum alicui pro ſe & deſcẽdentib. Itẽ cũ poteſtate faciẽdi quicquid in eo potuit facere, concedẽt integre, cũ omni iure, ſine vlla diminutione, cum poteſtate alienandi, dandiq; cui vaſallus fuerit. De quibus clauſulis, quę ſæpiſſime in inueſtituris occurrunt, vide *Garzon. n. 124. cum multis ſeq. Item nu. 134. & ſeq.* apud quẽ etiã plures exceptiones videre licet. Hoc quoque poſtremo notabis, omnes caſus in quibus fœmina ad ſucceſſionem admittitur, intelligendas eſſe de fœminis adgnatis, nõ aliis, vt docet *Anton. Gabr. l. 6. t. de V. S. concluſ. 4. n. 4.*

9. D. *Quid ſi mulier quæ à feudi ſucceſſione arcetur non habeat vnde ſe alat, an nõ erit durũ, ita omnib. vitæ præſidiis eã denudare, cui necare dicatur is qui alimenta denegat?*

M. Hoc caſu alimenta ſaltem ei ex feudo aſſignanda erant

da erant *argumento §.multi,t.6.lib.1.feud.vide Aluar. & Matth.de Afflict.ad t.36.lib.2.feud.*

10. D. *Quid ſi lis inter Marem & fœminã non de petitorio, ſed poſſeſſione feudo, vna pars alteri præferenda eſt.*

M. Fœmina præferetur mari & vincet in iudicio poſſeſſorio, ita vt dominus vel adgnati cogantur poſſ... feudũ ab ipſa petere, niſi ſtatim & notoriè cõſtaret rẽ feudalẽ & fœminã eius incapacẽ eſſe. Itẽ niſi fœmina alicui poſſeſſione auocare vellet, neq; vi neq; clam, neque precario ab ipſa poſſideret. Denique niſi in ſpecie fœmina peteret poſſeſſionem feudi: His.n.tribus caſibus ne quidẽ inpoſſeſſorio fœmina vincit, ſed vincitur: qua de re vide *Garzon.num.*141.& 4.*ſeq.Item Hartman. Piſtor.lib.2.p.2.in quæſt.Iuris.*

CAPVT XV.

Rurſum de Liberis, qui ſuccedant in feudis, vel non: Et Quæſtionum quarundam circa ſucceſſionem explicatio.

1. D. *Nunc poſteaquam de fœminis aliisq; liberis in feuda non ſuccedentib. ſatis dixiſti; reſtat vt exponas de iis, qui ſuccedũt. Quæro igitur primùm de liberis emancipatis quid iuris ſit?*

Idem protſus quod de filiof. teſte *Zaſ.part.8.n.4.Duaren.c.11.n.3.& Eorch.c.7.in 2.part.n.15.* nã quod quis fortè putet, emancipatos idcircò nõ ſuccedere in feudis, quia per emancipationẽ amittant iura agnationis & familiæ, quorũ reſpectu & fauore feudá cõcedi ſolent, & quia ex agnatis fiant cognati, vt in *Inſtit.dictũ eſt*: nihil nos mouere debet. nã eorũ quæ ſunt ciuilia, noſtris morib. non magna habetur ratio. Quod autẽ dicitur *tit.* 11. *lib.*2.*feud.* ad agnatos non pertinere beneficium & eius ſucceſſionẽ, id non debet trahi ad emancipatos, ſed tantũ de iis verum eſt, qui per fœminas cognatione iunguntur, quos propriè cognatos dici audiuiſti ad Inſtitutiones.

2. D. *An primi duntaxat gradus liberi, an verò etiam vlteriorũ graduum in feudis ſuccedunt, & quo modo?*

M. Non tantùm primi gradus liberi, i. filii ſuccedũt, vt olim, ſed etiam ſecundi, vt nepotes, quod lege Im-

peratoris Cunradi effectum eſt, & vlteriorum quoq;, adeò vt Feudiſta ſcribat in §. *pen. tit.* 1. in maſculis deſcendentibus hodiè nouo iure ſucceſsionem vſque in infinitum extendi. Idem teſtatur textus *tit.* 50. *libr.* 2. *in verbb. & ſic vſq; in infinitum. Vide t.* 11. *lib.* 2. *in verbb. vel deinceps per maſculinum ſexum deſcendentibus.* vbi nota, indefinitam orationem cum vniuerſali eādem vim habere. Idem namq; valet ac ſi dixiſſet: *Omnibus deſcendentibus*, vel, *ſemper*, vel, *in infinitum deſcendentibus.* Vides igitur quomodo hac in re ius feudale conueniat cum Ciuili, de quo audiuiſti initio *libr.* 3. *Inſtitu.* Quod autem quærebas de modo ſuccedendi, eſt aliqua differentia inter liberos primi gradus & vlterioris. nam filii æqualiter ſuccedūt patri, vt ait *Feudiſta in* § *& quia vidimus. lib.* 1. *t.* 1. *& init. t.* 8. *eod. Æqualiter*, i. vt vet. Iuriſconſ. loqui ſolent, *in capita.* Et meritò: veniunt enim iure proprio, & ex ſua ipſorum perſona vocantur. Nepotes autem loco patris ſui ſuccedunt, vt ait *d. t.* 8. quod idem eſt ac ſi dixiſſet: *eos venire nō tanquā ex propria perſona, ſed iure repræſentationis.* vt ſiue ſint multi, ſiue pauci, non plus nec minus in feudo accipiant, quā parens ſuus, ſi vixiſſet, habiturus erat: quod etiam apud Vett. *ſuccedere in ſtirpes.* Vide *Gaium lib.* 3. *Inſtit.* cuius verba referuntur *in tit.* 16. *de legitima ſucceſſione, in libello, cui Titulus eſt: Lex Dei: & Vlpian. in fragment. titulo* 26. *de legit. heredib. & Nou.* 118. *item quæ dicta ſunt ad Inſtitut. & Valent. Forſter. lib.* 4. *de ſucceſſion. cap.* 14. *& capite vigeſimo primo. Anton. Gomeſium, tom.* 1. *cap.* 1. *nume.* 12. 13. *& vlt.* Filii igitur quamuis gradu proximiores defuncto, tamen non excludunt nepotes vel pronepotes & cæteros, ſed hi vnâ cum illis admittuntur iure repræſentationis, quo in locum parentis ſuccedunt. Quæ item omnia congruunt cum Iure Ciuili, vt videre licet in § *cū filius. Inſtit. de hered. quæ ab inteſt. & l.* 2. *C. de ſuis & leg.*

D. *Quid ſi liberi inæqualiter ſuccedant in hereditate patris; quod fieri poſſe conſtat ex l.* 8. *C. de inoff. teſt.*

M. Adhuc tamen in feudo æqualiter ſuccedent, nihil enim commune habet hereditas cum feudo, *titulo* 45. *lib.* 2. *vbi Hotom.* & nulla ordinatio defuncti circa feudum valet, vt ſupra audiuiſti ex initio *t.* 8. *lib.* 1.

4. D. *Quid ſi*

4. D. *Quid ſi quis ex re certa fuerit inſtitutus heres, cum cæteri vniuerſaliter ſint ſcripti?*

M. Nihilominus & hic æqualiter cum cæteris in feudo ſuccedet, *Clar. q. 86.*

5. D. *Quid ſi quis exheredatus ſit à parente ſuo?*

M. Si iuſta ſit exheredationis cauſſa, & quidem ex tali cauſsâ facta, ob quam vaſallus non poſſet ſtare in curia domini, & honeſtè ei ſeruire, exheredatus nec in feudo ſuccedet, præſertim ſi feudum ſit hereditarium, id eſt, eiusmodi, quod filius habere non poſſet, niſi ſimul etiam heres eſſet patris. Sin autem exheredatio ſit iniuſta, & teſtamentum à filio per querelam inofficioſi reſciſſum, ea non attenditur, & filius feudum procul dubio retinebit, *vide Zaſ. par. 8. num. 8. & ſeqq. Clar. queſt. 74. Bercholt. part. 7. in poſter. membro num. 61. Mozz. cap. 5. num. 72.*

6. D. *Quid ſi filius à patre nõ notæ ſeu ignominiæ cauſſa, non mala mente exheredatus ſit, quod fieri poſſe didici ex l. 18. D. de liber. & poſtum. & l. 12. §. ſi quis non, & l. 47. D. de bonis libert. l. pen. §. potuit, ff. de curat. fur. Bald. ad Authẽt. Hoc amplius, C. de fideicommiſ.*

M. Etiam hic feudum retinere poterit, *Zaſ. d. 8. n. 9.*

7. D. *Quid ſi filius teſtamento patris præteritus ſit, neq; id tamẽ impugnare velit, aut nullũ dicere poteſt, nã pius filius adquieſcere volũtati paternæ, & bonis eius abſtinere: cuius rei exẽpla ſunt apud Val. Max. quo caſu, vt loquitur Papin. ex bono & æquo tuebitur volũtas patris, l. 17. ff. de ini. rupt.*

M. Tunc quoq; feudũ retinebit filius, *Zaſ. n. 7.* Nã feudum non tam patris beneficio quam domini ad filium pertinet. Quare nec pater id ei adimere poteſt vel exheredatione, vel præteritione.

8. D. *An liberi tantum ex eodem matrimonio procreati in feudo ſuccedunt, an vero etiam ex diuerſis?*

M. Nihil neceſſe eſt liberos eſſe eiusdẽ matrimonii, ſiue fratres Germanos per vtrumq; parẽtẽ cõiunctos, quos germani vocãt von beyden bãden/oder: von voller geburt: immò etiã ex diuerſis matrimoniis nati admittũtur, dũmodo ſint fratres cõſanguinei, i. qui cõmunẽ & eundẽ patrem habeant, hi enim per germanos non excludũtur, ſed æquè & pari iure cũ illis ſuccedũt. Vte-

rini vero qui matrem duntaxat cõmunem habent, non ſuccedunt in feudis, quia ſunt extra familiam. Ita rectè Bald. aliique Dd. ad *l.2.C.de legit. hæred.* In allodialibus verò quomodo ſuccedant diuerſorum matrimoniorũ liberi, vide apud *Forſt.li. 4. de ſucceſſ.c.16.& Borch.in tra. de gradibus c.de ſucceſſione deſcendentium, vide & l.4.C.de ſecund.nupt.& Nou.22.* Sed quod dixi de liberis diuerſorum matrimoniorũ, eos pariter in feudis ſuccedere, cũ hac exceptione intellige, niſi poſterius matrimonium fuerit contractũ cum fœmina plebeia ad Morganaticã, i.cũ tali pacto, vt feudum relinquatur liberis primi matrimonii, nec pertineat ad liberos ſecũdi, qui cõtenti eſſe debeant Morgengebâ, id eſt, donatione propter nupt. de quo pacto ſuperiùs quoq; dixim⁹ in loco : De pact. in inueſtitura feudali adiici ſolitis. Quanquã aũt & Feudiſta in *§.filii,t.26.li.2.* fatetur, talẽ conditionẽ ratione improbari, & *Zaſ.p.8.nu.71.* huiuſmodi pacta iniqua eſſe putat, quæ vnius loci prauâ cõſuetudine recepta nõ debeât ad alia loca extendi; *Bal,quoq; ad t.29.li.2.* hanc potiùs nequitiã eſſe dicit quã conſuetudinẽ; deniq; & Hoto. hanc conuentionẽ iniquã & iuri publico contrariã vocat, ꝓpter *l.vl.ff.de ſuis & legit.iunctâ l.24.ff. de pact.& l.15.C.eod. cum ſimil.* tamẽ ex vſu admittitur, *d. §.filii t.26.li.2.* Feuda autẽ morib. potius quàm legib. reguntur, *Cuiac.ad t.32.li. 4.feud. qui eſt vulgò t.29. li.2.* vbi verba Feudiſtæ: *Nolens exiſtere in peccato*; rectiùs cũ Cuiac. ſic accipies, id eſt, nolens iniuriã facere filio prioris matrim. nolens etiã lædere memoriã prioris coniugis ſuperinductâ filio nouerca, eâq; plebeiâ fœminâ, cum prior eſſet nobilis: rectiùs, inquã, ita interpretaberis, quàm *Hoto.* qui peccatũ hoc loco intelligit de ſecundis nupt. quas multi vett. patrũ damnauerint tãquã peccatũ. Quod verũ quidẽ eſt, ſed huc non quadrat. Quomodo. n. nõ exiſteret in peccato, qui poſt obitũ primæ cõiugis aliã ita ducit, vt tamen iuſta vxor ei non ſit, ac tantùm explendę libidinis, non liberorũ quęrendorũ cauſâ ducta, ſi etiã iuſtam vxorẽ ducens ſciret ſe peccatum admiſſurũ? Omninò igitur verior eſt Cuiacii expoſitio.

9. D. *An primogeniti ſiue maximi natu filii habent aliquid præcipui in ſucceſſione feudali: an eodem cum poſtgenitis iure cenſentur?*

M.Di-

M. Diſtinguendum eſt inter feuda diuidua & indiuidua, ſiue inter minora & maiora, quæ & Regalia dicuntur, & dignitatē habentia. In illis enim quæ diuiſionem recipiunt, idem omnium ius eſt, nec quicquam præcipui habet primogenitus: hæc verò cum ſint indiuidua, conſortisque impatientia, & integra relinqui debeant (vt Ducatus, Marchia, Comitatus, *§. prætereà Ducatus. libr. 2. feud. tit. 55. Gunther. lib. 8. verſ. 637.*) ad maximum natu, ſiue fratrem ſiue agnatum pertinet excluſis cæteris. Quod ius *Carolus IV. in Aurea bulla cap. 25.* etiam de regno & principatibus quatuor Electorum ſecularium diſertè ſanxit, eosq; cum ſuis pertinentiis omnibus vetuit diuidi, ſiue vt loquitur, ſcindi ac demembrari: hac tamen additâ conditione, vt maximus natu clementem ac pium ſe exhibeat erga cæteros fratres & ſorores, id eſt, ne planè nudos dimittat, ſed alimenta ipſis pro familiæ dignitate aſſignet. Additur ibidem exceptio: niſi maximus natu ob notabilem aliquem defectum ineptus & incapax ſit ſucceſſionis atque imperii, vt quia ſit mente captus, fatuus, &c. quo caſu ſuccedet is qui eū proximè ſequitur. Huc pertinet quod tradit *Zaſ. p. 8. num. 65.* ius eſſe patri in feudis dignitatem habentibus eligendi ex pluribus filiis, & præferendi eum qui ſit aptior imperio, & magis idoneus ſaluti tranquillitatiq; ſubditorum quàm primogenitus: cum Aluar. voluerit primogenito inhabili adiungi debere aliquem coadiutorem: quod non abſolutè verum eſſe ibidem docet *Zaſ. num. 67.* Hanc igitur primam obſeruabis in iſta re diſtinctionem. Eſt & altera inter mores quorundam nationum & regionum. Nam apud quoſdam receptum eſt, vt non tantùm in maioribus feudis, ſed etiam in minoribus, imò etiam in allodialibus ſolus ſuccedat maximus natu, vel frater, vel agnatus. Vocant vulgò Ius Maioratus; item ius primigeniorum, de quo prolixè *Tiraq. & Couarr. lib. 3. variar. reſolut. Contius quoque in methodo de feudis, cap. 8.* de iure primogenituræ, apud Gallos teſtatur nullam eſſe prouinciam in toto Regno, quæ non aliquod ius primogenituræ agnoſcat, quamuis alia magis, alia minus. *Cuiac. ad lib. 2. feud. tit. 11. & Forner. ac Duar.* De Anglia

quoq; conſtat, ibi omnia bona paterna capere primogenitum, & reliquis fratribus ferè pro miniſtris vti. Tranſlatum autẽ videtur hoc ius primogenituræ ex legibus Moſaicis, immò etiam ex moribus Iudæorum ante Legem Moſaicam receptis, vt videre eſt *Geneſ.c.*25. *& cap.*49. *item Deuteron. cap.* 21. *&* 2. *Paralip.*21. Ratio huius iuris eſt familiarum conſeruatio, ne in plures diuiſo patrimonio claritas familiæ facilè obſoleſcat ob inopiam rei familiaris, & quia deſtituta ſit neruis rerum gerendarum. Sed Iure ciuili Rom. primogenituræ nulla habetur ratio.

10. *Quid ſi gemelli ſint?*

M. Etiam inter gemellos locus eſſe poteſt iuri primogenituræ, quod ei competet, qui prior à matre cecidit, inquè lucem editus eſt. Neque enim natura patitur ſimul vno impetu duos infantes de vtero matris excidere, vt ait Tryphon. *in l.*15. *ff. de ſtatu hom.* Exemplo ſint Eſau & Iacobus, Geneſ. 25. quorum ille poſteà tamen primogenituræ ius fratri ſuo vendidit, vt ibidem habetur, quam ipſius profanitatem reprehendit Paulus ad Hebr.12.

11. D. *Quid ſi primogenitus ſit naturalis, & matre poſteà in matrimonium ductâ legitimatus, ex quâ eâdem alius poſt contractum matrimonium natus ſit filius, vter potior erit in iure primogenituræ?*

M. Is qui ex iuſto matrimonio, quamuis poſteriùs natus eſt: nã legitimatio per ſubſequens matrimoniũ continens non debet retrahi in præiudicium alterius; vide *Valent. Forſt. li.*6. *de ſucceſſ. c.*24. vt taceam quod Naturalis legitimatus licet, non ſuccedat in feudis, neç ſolus, nec cum aliis, vt ſup. dixi.

12. D. *Quid ſi duos quis habens filios, quorum vnus ſit natus antequàm pater ad Regnum, vel Ducatum, vel Marchiam, vel Comitatum perueniret; alter verò poſteà adquiſitâ iam dignitate, vter horum præferendus erit?*

M. Hanc veterem, & inter Hiſtoricos nobilitatam quæſtionem Zaſius quidem autoritate Accurſii & Baldi ita decidit, vt putet, eum qui in ſtatu dignitatis natus ſit, alteri, qui antè, præferendum, *part* 8. *num.* 66. *Bald. in l.* 23. §. *his illud, Cod. de nupt. vide Bart. ad l.*

ſenator,

ſenator, Cod. de Senatoribus, libr. 12. At Hotom. Ill. quæſt. 2. in vtramque partem diſputans, tandem concludendo ita diſtinguit, vt ſiquidem hac de re nulla exſtet Lex, tùm omnia bona antè quæſita à patre, cuiuſcunque ſint generis, æquè ad filios ante adquiſitionem atque ad poſteà ſuſceptos pertineant, *argum. l. nihil intereſt, 50. ff. de bonis libert. & argum. l. 7. D. vnde liberi.* proindeque ſi ius primogenituræ alicubi vigeat, illud debebitur ante dignitatem nato. non enim debet ius alicui quæſitum ipſi auferri propter externum & aduentitium, quod ipſius perſonam non attingit: multò minus ſuperueniens dignitas patris nocere debet liberis antea natis, ſed potiùs prodeſſe. Sin autem exſtet hac de re aliqua Lex ſcripta, tùm attendendum quibus ſit concepta verbis, vtrum his: *Filius Regis primus vel natu maximus heres eſto*: an iſtis; *primogenitus Regis heres eſto.* Et priore quidem caſu in ſucceſſione præferendum putat eum qui natus eſt ante regnum vel Ducatum: poſteriore eum, qui patre iam Rege vel Duce editus eſt. hac de re vide etiam *Forſter. lib. 4. de ſucceſſ. cap. 24. num. 77. & ſeqq.*

13. D. *Quid ſi mortuo alicuius primogenito filius eius contendat cum ſecundogenito, id eſt, patruo ſuo, vter alteri præferendus eſt, an filius primogeniti, an verò patruus, ſiue ſecundogenitus?*

M. Magna hæc eſt quæſtio, largamque diſputandi materiam & Iuriſconſultis & Hiſtoricis præbuit: cuius deciſio olim etiam duello commiſſa eſt, imperante Othone I, cum in Comitiis Imperii componi nequiuiſſet; commiſſa, inquã duello, eo euentu, vt vinceret pars ea quæ Nepotem admittebat, & inter filios computabat, teſte *Witechindo Saxone lib. 2. & Sigberto in Chronic. ſub anno Domini* 942. quos & Hotom. allegat in *diſp. feud. c. vlt. & Ill. q.* 3. Non mirum igitur, calamis quoque de hac quæſtione certatum fuiſſe, cum & armis fuerit pugnatum. Et Bart. quidem in *Auth. poſt fratres, C. de leg. hæred.* præferendum putat patruum fratris primogeniti filio: quam ſententiam Cuiac. quoq;, quamuis Bart. nõ nominans ſecutus eſt ad *t. 11. li. 2.* hac iuris ratione, quia ius repræſentationis nõ hanc vim habeat, vt proximio-

rem prorſus excludat, ſed potiùs vt remotior vnâ cum proximiore concurrat in ſucceſſione. Vt in totum excludatur proximior, hoc excedit vigorem, finem, & exemplum repræſentationis. Cum igitur primogenito defertur ſucceſſio, ibi non eſſe locum repræſentationi, ſed eum vocari, qui moriente eo de cuius ſucceſſione quæritur, locum primogeniti obtinuit, non qui primogenito iam antè mortuo per repræſentationem ſucceſſit. *Moz. cap.5. de feud. num.69.* exiſtimat tunc demum ſaluari poſſe hanc Bart. opinionem, ſi ſecundogenitus, id eſt patruus, qui ſe præferri poſtulat, valdè ſit ſapiens. Contrarium tamen indiſtinctè tenuerunt *Ioan. Andr. in Addit. ad Spec. t. de feud. item Bald. & Paul. Caſtrenſ.* videlicet, nepotem patruo præferendum: quos etiam *Henr. Roſenthal. ſequitur cap. de ſucceſſ. feud. num.*37. plura vide *apud Hotom. d. ill. q.* 3. *& apud Forſter. lib.* 2. *c.* 18. *& Menoch. conſ.* 97. *lib.* 1.

14. D. *Succeduntnè etiam in feudis liberi præſumti ſeu putatiui?*

M. Etiam, nam & hi pro veris filiis habentur, nec vſquàm reperiuntur excepti, vide *Forner. de feud. cap.* 12. quo modo autem probetur filiatio, prolixè *Forſt. lib.* 4. *de ſucceſſ. cap.* 7. *& quatuor ſeqq.*

15. D. *Quid ſi filius feudum quidem amplecti velit, ſed repudiet hæreditatem paternam, vel ab ea ſe abſtineat, quia fortè ære alieno ſit grauata, audiendusnè erit, & poterit hanc ſeparationem facere?*

M. Hac de re duo ſunt textus in Iure feudali, quibus dicitur non poſſe filium hæreditatem patris abſq; beneficio ſeu feudo recuſare vel repudiare, & alterum ſine altero retinere: propinquũ verò vel agnatum poſſe, vide *tit.* 45. *lib.* 2. *& §. filius, t.* 51. vt ita hac in re deterior ſit conditio filii quàm agnati, vide *Clar. quæſt.* 76. Rationem differentiæ hanc reddit *Cuiacius* 4. *feud. tit.* 54. quia filius ſuccedat patri non tantùm in feudo genearchico, id eſt, antiquo, ſed etiam nouo: & antiquum à patre capere videatur, non ab auo, cæteriſque maioribus. Non aliter igitur in feudum antiquum admittendus eſt, quàm quaſi heres patris, & proinde bona non poterit ſeparare: Agnatus verò tantùm in feud. antiquo,

tiquo, non etiam in nouo ſuccedit: ideoque non tàm à proximè defuncto agnato feudum capere videtur, quàm à primo adquirente, communi videlicet ſtirpe agnationis. Ex quo illud ſequitur, vt poſſit agnatus agnati hæreditatem repudiare, & feudum ſolum retinere, non quaſi ab agnato ſuo, ſed quaſi à communi parente in ſe profectum, vt ita euitet onera & debita hereditaria. Sic inquam Cuiacius. Nec multò aliter Aluarott. quem allegat *Zaſius p.8. nu.* 15. Sed hæc ratio non ſatisfacit *Hotomano ad t.45. lib.2. & in diſp. feud. cap.* 19. qui aliam, nempè hanc adfert: quia ſcilicet feudum, quod ab agnato obuenit, perpetuò manſerit ſeparatū ab hæreditate, nec vnquam fuerit cum ea confuſum. In fratre, v.g. qui ſucceſſit fratri, allodium quidem dicitur fraternum, ſed feudum paternum. In patre verò vtrumque, & feudum & allodium dicitur paternum. Cum igitur filius non tantùm allodium ſeu hæreditatem à patre ſuo habeat, ſed etiam feudum, ſi non primario, ſaltem ſecundariò: non debet patrem hac iniuria adficere, vt quantum in ſe eſt, patiatur illum ſucceſſore carere, quod ſolet ignominioſum haberi, *l. 6. D. de interrog. act. l.1. in pr. ff. de ſucceſſ. edict.* §. 1. *Inſt. qui & ex quib. cauſſ. manum.* §. *cum igitur. Inſt. de bon. poſſ.* Tandem Hotom. ibidem ſecundum Iuris ciuilis rationem tentat, filium æquè atque agnatum poſſe relictâ hæreditate feudum retinere: quia ſcil. feudum ad filium non patris, ſed patroni beneficio deferatur. Solet autem Iure ciuili diligenter diſtingui inter ea quæ filio à patre obueniunt, & quæ aliunde: quod quidem pluribus textibus & exemplis demonſtrari poſſet. Verùm vt ſæpè dixi, feuda non tam Legib. quàm moribus reguntur. Mores autem feudales hoc diſcrimen inter filium & agnatum receperunt & comprobarunt, quod apertè docent duo ſuprà adducti textus: cuius diſcriminis aliam quoque rationem adducit Contius, quia ad agnatos non ſemper hereditas pertineat, cum frequenter accidat vt alius ſit ſucceſſor feudi, alius hereditatis: hoc dicit; quia in agnatis feudum recipit ſeparationem ab hereditate: quod ſecus eſt in fiſco. *Giphanius* nullam ejus rei aliam rationem eſſe putat, quàm reuerentiam,

quæ parentib. à liberis, non etiam agnato ab agnatis debeatur. Superioris tamen Regulæ, qua dictum eſt: nõ poſſe filium amplecti feudum repudiatâ hereditate paternâ, aliquot traduntur exceptiones: quarum vna continetur in ipſo textu *d.t.*45. nempè, niſi dominus cõſentientibus agnatis, ad quos feudum à filio repudiatum erat rediturum, de feudo ipſum quaſi de nouo inueſtiat, vide *Zaſ.p.*8.*nu.*13. apud quem & Regulæ declarationem & plures quoq; exceptiones ſeu limitationes videre poteris, nu. 6. & ſeq. quamuis de quarundam veritate non immeritò dubitaueris.

16. D. *Sed an vaſallus ſemper de ære alieno creditorib. defuncti reſpondere cogitur?*

M. Huius quæſtionis deciſio pendet ex ſuperiori. nã quo caſu ſucceſſor non poteſt repudiare hæreditatem & feudum retinere, eodem cogitur etiam æs alienum à defuncto contractum ſoluere, qua de re neceſſarias diſtinctiones videre poteris apud *Gail.* 2. *obſ.*154. *& apud Borch. c.*7.*part.*2.*nu.*94.

17. D. *Quid ſi filius hæreditatem patris cum beneficio inuentarii adire voluerit, (vt poteſt quilibet heres facere, l. vlt. C. de iure delib. §. extraneis autem. Inſt. de hæredum qual. & diff.) an tunc ſaltem poterit retinere feudum ab oneribus hæreditariis liberum?*

M. Ita quidem vult *Zaſ. p.*8.*nu.* 10. *& Gail. d. loco, cum aliis communiter DD.* ſed ſi feudum ſit hæreditarium, verius videtur contrarium, nempè quod non gaudeat filius beneficio inuentarii, *Clar. q.*43. *Hart. Piſt. p.*2.*q.*2.*n.* 45.*cum ſeqq. Rol. à Valle conſ.*44.*n.*3.*&* 4.*vol.*3.*deniq; Fran. Sonsbec. p.* 9.*nu. vlt.*

18. D. *Cum ſuprà ſignificaueris, non ſemper filiũ cæteroſq; deſcendentes in feudis ſuccedere, & exceptionem vnam atq; alteram iam attuleris, (vt de liberis natis ex ſecundo matrimonio ad Morganaticam contracto, item de liberis iuſtè exhæredatis:) velim nunc addas etiam cæteras?*

M. Non eſt capax ſucceſſionis feudalis 1. filius Clericus. 2. qui habitum religionis aſſumſit, id eſt, monachiſmum ingreſſus eſt, de his vide *lib.*2.*feud. tit.*21.*& t.*26.*§. qui Clericus, & t.*30.*§. ex hoc illud, & t.*36. Pleniſſimũ quoque hac de re extat conſilium Martini Vranii, quod eſt

IX. in

X. in Tom. 1. Exempla multorum etiam Regum, qui regnū cum cuculla commutarunt, atq; ita Exreges facti regnū amiſerunt, ex hiſtoriis eruditè obſeruat *Hotom. li.2.t.26.* Ratio eſt, quia hi feudum deſeruire nō poſſunt. Ex quo enim quis factus eſt miles Chriſti, deſiit miles eſſe ſæculi: proindeq; non pertinebit beneficium ad eū qui non poteſt præſtare officium, *d.t.* 21. cui concordat *text. in cap. & iure & moribus, quod extat in extraord. cap.* Sed *Hotom.* hanc rationem repræhendit vt vitioſam: cū nihil prohibeat quo minus homo Chriſtianus poſſit ſimul & Chriſto & ſuo Principi militare, argumento Concionis Ioan. Baptiſtæ *Luc.* 3. ad milites habitæ. Imo non tantùm ſub Chriſtiani, ſed etiam ſub pagani & infidelis Imperatoris ſignis Chriſtianum militare poſſe, conſentiens eſt traditio multorum Eccleſiæ Doctorum, inprimis Ambroſii atque Auguſtini, quem vide *epiſt.* 5 *ad Marcellin. & epiſt.* 207. *ad Bonif. & libr.* 22. *contra Fauſtum, cap.* 74. *vide etiam Gratianum in* 2. *part. Decreti, cap* 23. *queſt.* 1. *& ſeqq.* Repræhendit Hotom. & alteram rationem, quia multis in locis & mulieribus & impuberibus (qui in iſto iure minores dici ſolent) ius fruendi feudi concedatur, quos tamen conſtet non poſſe pro feudo ſeruitia præſtare. Sed de impubere reſpondeo, id fieri propter ſpem futuræ habilitatis; de mulieribus verò propter expreſſum conſenſum ſenioris.

19. D. *Quid ſi Clericus aut Monachus habitum religioſum deponere, & ad ſecularem redire velit, quo videlicet capax fieri poſſit ſucceſſionis: eritnè audiendus & admittendus?*

M. Ne tùm quidem ſuccedet, vt diſertè cautum eſt in *dict.* §. *ex hoc illud, titu.* 30. *libr.* 2. Nam nec ſocius callidè renunciare debet ſocietati, in hoc, vt obueniens aliquod lucrum ipſe ſolus habeat, §. *manet, verſ. ſed planè. Inſtitut. de ſociet.* neque etiam illa deſultoria leuitas probanda eſt, vt quis heri Clericus aut Monachus, hodiè ſit & dicatur Laicus ac ſecularis: ſed deliberandum eſt diū, quod ſtatuendum eſt ſemel de vitæ genere deligendo: in qua conſultatione, perinde vt in bello, bis peccare non licet. Atque

hinc eſt quod non ſtatim quilibet primo aditu, ſeu (vt militari verbo vtar) primo pedatu ad Monachiſmum admittitur, ſed per quoſdam gradus & poſt explorationem aliquam multi temporis, de qua vide *Nou.Iuſt. de Monachis.* Primum enim dicebantur *conuerſi*, quaſi à ſtrepitu mundi & cõmuni hominũ conſuetudine ad vitam ſolitariam traducti: nam hic primus gradus erat ad Monachiſmum. Secundò *profeſſi* vocabantur, & tertiò demum *Monachi. Hotom. in lex. feud. in verb. conuerſus.* Conuerſorum autẽ mentio fit duobus in locis iuris *feud. vt t.21. & 30. li. 2.* Quod vocabulum & in Germanicis Monaſteriis quamuis reformatis adhuc vſurpari audiui. Obiter & hoc notabis, Clericos & Monachos diſtingui in iure noſtro, *l. generaliter, C. de Epiſc. & Cler.*

20. D. *Atqui obſtare videtur §. ſi Clericus, t. 40. lib. 2. vbi dicitur: Clericus veluti Epiſcopus, Abbas, beneficium habere poteſt à Rege?*

M. Reſpondet *Cuiac. ad t. 21. lib. 2.* eum textũ loqui de feudo quod initio conceſſum eſt Clerico & Eccleſiis: id quod fieri poſſit. Aliud autem eſſe, clericum non ſuccedere in feudo, vel feudum per Clericatum poſteà ſuſceptum amitti. Semper enim prima lex & origo ſiue conſtitutio & conceſſio feudi inſpicienda ſeruandaque eſt. Hic autem cui feudum datum eſt, is eſſe deſiit, id eſt, mutata eſt conditio vaſalli, quam habuit tempore adquiſitionis, & quam dominus in conceſſione feudi ſpectauit & approbauit. Quam veriſſimam rationem immeritò mihi videtur reprehendere *Hotom. ad d. t. 21.* hoc vſus argumento; quia quę qualitas ſuperueniens actum vitiat, eadem ab initio exiſtens eundem impediat. Sed ea Regula non eſt perpetua. Vide *Accurſ. ad l. 85. §. non eſt nouum, ff. de R. I. & Cuiac. ad lib. 6. quæſtion. Pauli.* Dixi etiam ad *§. idem iuris, verſ. item contrà, Inſt. de inut. ſtipul.* Ipſe vero Hotom. aliam adfert conciliationem, quia ſcil. titulus 40. non ad militaria, ſed ad otioſa ſeu Eccleſiaſtica beneficia pertineat. Ad Cuiacii rationem hoc quoque addere poſſis: Cum dominus feudi poſſit vaſallo remittere ſeruitia, atque ita ſuum ius deterius conſtituere: licentiam quoque habebit talem eligendi vaſallum, qui ad ſeruitia pręſtanda ſit ineptus, qualis

qualis eſt Clericus. Obſeruabis hîc differentiam inter bona feudalia & allodialia: nam hæc per Monachum adquiruntur Monaſterio, *d. Nou. de Monach. & Euerhard. in Top. Cuiac. ad d. t. 21.*

21. D. *Rurſum obſtare videtur cap. 6. extra de foro compet.*

M. Reſpondent aliqui, per hoc cap. abrogari ius feudale. *Borcholt. autem part. 2. cap. 7. num. 62.* intelligit illud de Clerico, qui initio de feudo ſit inueſtitus, cum iam clericus eſſet, quod fieri poſſe ſup. audiuiſti ex §. *vlt. tit. 36. lib. 2.* Sed ſi textum probè inſpicias, non agitur ibi de clerico vaſallo, ſed potius de vaſallis Eccleſiæ, qui ab Eccleſia ſeu Epiſcopo eius feuda tenebant, cum ipſi eſſent Laici, vide *Cuiac. in recitat. Decret.*

22. D. *Sed nunquid poterit Clericus feudum per ſubſtitutum deſeruire, atq; ita in eo ſuccedere?*

M. Non poterit: quamuis Præpoſitus aliique vulgò id putent; quia certæ perſonæ induſtria à domino electa eſt, qui non debet habere ſocium, quem non vult. *Zaſius quidem p. 5. num. 72.* tale quiddam hoc videri poſſe ait, ac ſi furem quiſpiam excuſet, quod per ſubſtitutum furetur.

23. D. *An non ſaltem à cæteris clericis excipiuntur Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi?*

M. Quamuis quidam hos excipi & in feudis ſuccedere velint, vt *Iul. Clar. quæſt. 68. num. 5. Borch. cap. 5. num. 49. & Menoch. de arbitr. iud. cap. 231.* verior tamen videtur contraria ſententia, quam probat idem *Menoch. conſ. 181. num. 74. & conſ. 262. num. 31. Henricus Roſent. c. 7. concluſ. 73.* nam & hi generali clericorum appellatione veniunt, nec vſquam reperiuntur excepti; vt nulla ſit ratio, cur non ſub regula manere debeant.

24. D. *Quid de ſacrorum ordinum Equitibus, vt S. Ioannis, &c. iuris eſt, num & hi, ſicut Clerici, à ſucceſſione feudali arcentur?*

M. Imò admittuntur. nam hi magis etiam quàm Laici vaſalli ad militandum obſtricti ſunt, vide *Hartm. Piſt. part. 2. quæſt. 33. nu. 22.*

25. D. *Quid de filio furioſo aut mente capto, aut muto, ſurdo, cæco, claudo, vel aliter imperfecto iuris eſſe dicis?*

M. Diſtinguendum eſt inter eos quibus naturalia ſunt iſta vitia, & quibus accidentalia. prioris generis filii non ſuccedunt, vt contra opinionem Oberti & Gerardi aliorumq; obtinuit, *tit. 36. lib. 2.* Et ratio eſt, quia feudum deſeruire non valent, id eſt, quia nulla ſpes eos vnquam fore habiles & vtiles vaſallos domino: naturalia enim vitia vix poſſunt deponi aut corrigi. Secus eſt in accidentalibus, quæ poſt feudum iam acquiſitum vaſallo contingentia ineptum atq; inhabilem effecerunt: quæ aut corrigi atq; tolli ſpes eſt, aut ſi perdurent, inhumanum & crudele foret, feudum propterea talibus vaſallis adferri, ne languor animi corporiſvè ipſis etiam in bonis damnum adferat, argumento eius quod de furioſo humaniſſimè ſcripſit *Papinian. in l. 44. §. eum qui. ff. de vſucap.* Sæpè quoque fit vt occaſione diuturnæ militiæ & laborum in ea pro domino exantlatorũ talis aliquis caſus, vt cæcitas, mutilatio mẽbrorũ ac ſenſuũ amiſſio, vaſallũ affligat. De muto autẽ hæc quoq; diſtinctio obſeruanda eſt ex *§. vlt. t. 6. li. 1.* inter eum qui nullo modo loquitur, & eũ qui difficulter: quæ diſtinctio etiã in ſurdo recepta eſt apud *Inſt. in §. item inutilis, verſ. mutum. Inſt. de inut. ſtip.* & huc accõmodari poteſt. Huiuſmodi tamen perſonis humanitatis cauſâ tantũ relinqui debet ex feudo, vnde ſe ſuſtentare poſſint, ſi aliunde ſe exhibere non valeant, *arg. d. §. vlt. t. 6. li. 1.* vbi notabis elegans verbũ *exhibere,* quod veterib. eſt alere, & exhibitio ſignificat alimenta, vt ſæpè apud Iuris C. vſurpatur, & apud Tertull. in *li. de Idololat. c. 6.* vbi vide *Notas Fr. Iunij.* vide etiã exẽpla in Lexicis annotata, quib. hoc addes: Et plura apud *Iuſtin. hiſtor. li. 9. 11. & 22.* qui pleniùs quoq; dixit: *Vitam exhibere.* Hoc quoque obſeruabis ex *Bald. ad t. 36. li. 2. feud.* ſi is qui feudum Regale obtinet, ex accidenti fiat, non autẽ natus ſit demens, ſolere ipſi adiungi aliquem curatorem: cuius rei exempla etiam in quibuſdam familiis principum noſtrâ memoria proferri poſſent.

26. D. *Dic plures caſus ſeu exceptiones, quib. filius cæteriq; deſcendentes in feudo non ſuccedant?*

M. Si vaſallus culpam committat, propter quã feudum amittere debeat: neq; filius neq; eius deſcẽdentes ad id

ad id feudum reuocabuntur: quæ exceptio continetur in §.*ſi vaſallus, li.2.t.26.& tit.31.* Vaſalli,inquit,feudum delinquentis filius ad id nullatenus aſpirabit. vbi tamen hæc additur limitatio: niſi dominus gratiam faciat filio,& feudum ipſi relinquat.

27.D. *Ergonè patris delictum nocebit filio?*

M.Maximè. nam & Iure ciuili nonnunquam patris iniquitatem portat filius, vt audiuiſti ad *t. Inſt. de publ. iud.ex l.quiſquis,C.Maieſtatis.* vbi & rationes hui⁹ rei exponuntur. Sic & vice verſa interdum filii delictum nocet patri, §.*inſuper,li.2.t.55.vide Accurſ.ad t.21.li.2.*

28. D. *An etiam hoc feudum perdet filius, quod ab auo adquiſitum erat?*

M.Etiam hoc perdit: quamuis quidam contrarium voluerint,ſed malè,vt notat *gl.ad* §. *ſi vaſallus,t.26.li.2. in verb.reuocabũtur.& ad d.* §.*inſup.in verb.priuetur,d.t.55.*

29.D.*Suntnè etiam alij caſus, quib. filius non ſuccedit?*

M.Etiam tum excluditur, cum ipſe filius viuo patre cõmiſſa aliquâ feloniâ dominum offendit,ob quã feudo excideret, ſi id iam ad ſe per mortem patris deuolutum fuiſſet,niſi filius fuerit domino per patrem reconciliatus. Quanquam enim hac de re diſſentientes opiniones fuiſſe diſcim⁹ ex *t.51.li.2,in* §.2.(vbi obiter notabis Emendationem Cuiac.reſpondi ſecundum Stephanum ſic: ſecundum Gerardum & Obertum ſimiliter:) tamen per Conſtit. Friderici hoc iam determinatum eſt,vt filius eo caſu patri non ſuccedat, *d.*§.*inſuper.tit.55. & gl.ad d.t.51. in verb.ſi filius.* Et quidem ratio ipſa ſenſuſq; communis hoc dictat, facilius vnumquemq; arceri ab adquiſitione eius quod nondũ nactus eſt, quàm priuetur eo quod nondum habuit.Cum igitur filius ob huiuſmodi feloniam priuandus eſſet feudo iam adquiſito,vt inſ.audies in capite *De cauſis amittendi feud.* multò magis & facilius ab adquirendo remouebitur.

30. D.*Quis præterea non ſuccedit?*

M. Filius patri nõ ſuccedit in feudo nouo, de quo pater nõ ritè neq; debitâ forma ſe inueſtiri curauit, licèt domino iubente poſſeſſionẽ eius nact⁹ ſit, vt eſt *text. t. 25.li.1.* quod tamen abſurdũ aliiſq; locis contrariũ eſſe putant *Accurſ.& Hoto.ibid.* Sed hoc ſuprà quoq; attigimus,cũ à ſucceſſione feudi nonnulla remoueremus.

31. D. *Quis prætereà?*

M. Filius qui delata ſibi ſucceſſione feudi non debito tempore, id eſt, intra annum & diem à domino petiit renouationem inueſtituræ, vt eſt *lib.2. titu.24. & titu. 40. & titu. 51. §. vlt. item titu. 55. in pr.* Sed hoc non tantùm ad filium, verùm etiam ad cæteros ſucceſſores feudorum pertinet. Nam vt ſup. quoque dixi, quotieſcunque vel vaſalli vel domini mors interuenerit, & perſona mutata eſt, toties renouatio inueſtituræ petenda eſt. Plerique hanc neglectionem & prætermiſſionem nouæ inueſtituræ referunt inter cauſas amittendi feudi. Quare nos quoque ibi plura de eâ dicemus. Nunc abſoluta ſucceſſione deſcendentium, ad collaterales tranſeundum videtur, niſi tu aliqua etiam ad primam illam ſuccedentium ſeriem pertinentia prius ex me quærere volueris.

32. D. *Solent quædam grauiſſimæ & cottidianæ circa eam moueri quæſtiones, de quibus cum nihil adhuc dictum ſit, audire cupio quid ſentias, vt 1. an feudum liberis imputetur in legitimam ſiue quartam ab inteſtato debitæ portionis. 2. an feudum veniat in collationem bonorum. 3. annon filiæ à ſucceſſione feudi excluſæ legitima ſaltem ex feudo debeatur, itemq; an ei dos & alimenta inde conſtituenda ſint. 4. an filius à patre grauatus fideicommiſſo vniuerſali, cogatur etiam feudum fideicommiſſario reſtituere. breuiter; an feudum veniat in reſtitutionem fideicommiſſariam. 5. an in feudis locum habeat ius accreſcendi?*

M. Age ſatisfaciam deſiderio tuo, & ordine ad ſingulas quæſtiones iſtas, ſicut abs te propoſitæ ſunt, quam breuiſſimè reſpondebo. Ad primam igitur quod attinet, communiter quidem receptum eſt feudum nouũ in legitimam indiſtinctè liberis computari, ſiue ſit hereditarium ſiue ex pacto & prouidentia: antiquum verò non aliter quàm ſi hæreditarium ſit: cuius opinionis & auctores & argumenta videre licet apud *Hartm. Piſt. lib.2. q.38. & Iac. Toming. deciſ.2. Roſenth. c.7. num.15. Wurmſ. in pract. forenſ. tit.51. obſ.11.* verius tamen videtur tam vetus quàm nouum imputari in legitimam, dummodò ne ſit ex pacto & prou. nam hoc feudum non ex propria patris ſubſtantia filio obuenit, ſed ab eâ diſtin-

ctum eſt & ſeparatum, vide *Gail.2.obſ.154. nu.15.* qua in ſententia etiam eſſe video *Henr. Bocerum claſſ.4. diſp.14. th.37.* Secundæ quæſtionis, an vid. veniat in collatione feudum, reſolutio pendet ex priore, nam illud demum feudum à filijs conferendum eſt, quod in legitimam imputatur. Etenim hæc duo à pari procedere ſolent, ita vt quicquid imputatur in legitimam, idem etiam ſit conferendum, & contra: *l. pen. & ibi Dd. C. de collat. Wurmſerus tamen obſ.9. d. t. 51.* ex ſententia Bart. illud tantùm feudum vult conferri debere, quod filius à patre viuo accepit, non etiam quod poſt mortem eius, multoque minus antiquum. Ad tertiam quæſt. an filiab. à feudi ſucceſſione excluſis legitima ſaltem debeatur, reſpondeo: hanc ipſis non deberi, eſt enim legitima quarta pars debitæ ab int. portionis, vt audiuiſti ad *tit. Inſt. de inoff. teſt.* atqui filiabus ab inteſtato nulla debetur portio in feudis. Ergo neque portionis illius, quæ nulla eſt, quarta vlla poteſt intelligi. Exceptio eſt, niſi feudum ſit nouum, quod pater ſua ſibi pecunia comparauit, iam enim iniquum foret filias legitima ſua priuari, cum pater vel omnem ſubſtantiam ſuam vel maximam eius partem in feudi emtionem contulerit, cuius ſoli filii ſunt capaces excluſis filiabus, *Schrad.p.7.c. 5.num.45. Toming.d.deciſ.2. & Hartm. Piſt.d.q.38. n.35. & ſeqq.* qui duo à ſe inuicem diſſentiunt, adde *Bocer. d.diſp. 14. nu.38.* De alimentis quod quærebas & de dote quæ in alimentorum locum ſuccedit, ſic ſentiendum eſt: ſi filiæ alia bona non habeant, quæ in dotem dare aut vnde ſe exhibere poſſint: omninò & fratres & agnatos, qui in feudo ſuccedunt, & dominum ad quem feud. vacans reuertitur, cogendos eſſe, vt alimenta & dotem filiab. ex feudo conſtituant, *arg.t.6. §.1.li. 1.feud. Aluar. & Matth.de Affl.ad tit.36.li.2. Borch. cap.7. in 2. membro, nu. 74. Roſent.cap.7. num.112.* Ad quartam quæſt. de fideicommiſſo, an feudum eo contineatur, per diſtinctionem reſpondeo cum *Clar. q. 85.* nempè quo caſu vaſallus de feudo teſtari poſſit (de his autem caſib. ſup. dictum eſt) eodem etiam poſſe eum per fideicommiſſum id relinquere, & proinde grauatim fideicommiſſo cogi quoq; feudum reſtituere: item ſi feudum ſit hæredita-

rium, tunc etiam in reſtitutionem fideicommiſſariam illud venire: ſecus ſi ſit ex pacto & prou. item ſi ſit mixtum, vide *Gail.d.obſ.154.n.11.& 14.*

33. D. *Quid ſi pater vnius ex filiis fideicommiſerit, vt feudum reſtitueret fratri ſuo, valetnè hæc diſpoſitio?*

M. Non valet, vt rectè docet *Mich. Graſſus in §. fideicommiſſum, q.50 per tex.t.8.lib.1.*

34. D. *Quid ais de iure accreſcendi, habetnè locum in feudis?*

M. Regulariter locum non habet, *arg.§.quodſi communiter, t.1.li.1. & §.ſi duo t.14.& arg.t.12.in pr.lib.2.feud.* ratio eſt, quia in contractib. nunquam locus eſt iuri adcreſcendi, potuerunt enim contrahentes apertiùs legem dicere contractui, *l. ſi mihi & 110. vbi Iaſon. & alij DD.ff.de V.O.Duar.lib.1.de iure accreſcend.cap.15.* feudum autem eſt contractus, vt ſupr. docuimus. Excipiunt 1. feudum antiquum. 2. feudum nouum, quod duobus vel pluribus coniunctim conceſſum eſt ab Imperatore vel Rege alioue principe ſuperiorem non recognoſcente, *arg.l.vn. C.ſi liberalit. Imper.ſocius.lib.10.* ſed hæc poſterior exceptio non caret contradictoribus, vt videre eſt apud *Iaſon in d.l.110.nu.7.de V.O.& apud Soarez.in theſauro receptar.ſent.lit. F. nu. 68. Cuiac. quoq; ad t. 12.li. 2.feud.* negat hanc l.vn.ad feuda adcommodari debere. Vide de iure accreſcendi an & quando in feudis locum habeat vel non *Zaſ.p.8.n.32. Clar q.77. Schrad.p.7.cap.1. Mozz.cap.6.n.70.* Hotom. autem conſ.30. omninò negat iuri accreſcendi in feudis locum eſſe, quæ etiā fuit ſententia Cyni in *d.l.vn.C.ſi liber.Imp.ſocius,* & alii quoque Interp. fatentur, cum portio deficientis alteri defertur, id fieri non tàm iure accreſcendi quàm iure ſucceſſionis, & vt loquantur, iure non decreſcendi. *Ioann. Niell.in 7.diſp.feud.ad th.1.de iure accreſcēdi,* ſic exiſtimat; Nullam eſſe rationem cur hîc recedamus à regulis Iur. ciuilis, ſed iiſdem caſibus illud habere locum in feudis, quibus etiam locus ipſi eſt Iure ciuili in allodialibus, idque ſiue feudum pluribus ſit legatum, ſiue plures in eo hæredes inſtituti (nonnunquàm enim poteſt quis de feudo teſtari, vt ſupr. dictum) ſiue denique plures ab int. ſint hæredes, quorum vnus ſuam partem

repudiet,

repudiet. Nititur ille potiſſimum hac ratione, quia nihil de iure accreſcendi comprehenſum vel cautum ſit iure feud. ſequendam igitur eſſe l. ſcriptam ſeu l. ciuilis diſpoſitionem, ſecundum Regulam Oberti in verſ. Strenuus autem, *lib. 2. tit. 1. feud. facit huc lex ſancimus, C. de teſtam. & l. præcipimus, C. de appellat.* vbi traditur regula: Ius quod mutatum non reperitur, quare prohibeatur ſtare? reſpondet quoq; ibidem ad ea quæ obiici poſſunt.

31. D. *Vnum adhuc quæram de ſucceſſione deſcendentiũ: ſi vaſallus defunctus non reliquerit liberos primi gradus, id eſt, filios, cum liberis vlteriorum graduum concurrentes, ſed tantùm vlteriorum graduũ, vt nepotes, pronepotes, &c. an nepotes præferantur pronepotib. & ſic deinceps proximiores remotioribus in eadem lineâ deſcendentibus?*

M. Caue hoc putes; in quo errore quidam verſantur, decepti malo intellectu textus *t. 50. in fin. li. 2.* tu hoc potius tene, quod ſuprà monui: Ius repræſentationis in linea deſcendentium extendi in infinitum. Quod ſi verũ eſt, vt eſt veriſſimum, non igitur remotiores excludendi ſunt à proximioribus, ſed potiùs ſimul cum ipſis admittendi iure repræſentationis.

CAPVT XVI.

De Succeſſione Collateralium: à qua primùm reiiciuntur Cognati; deinde etiam Agnati in feudo nouo. Demonſtratur, Fratrum & ſororum filios ſolos inter ſe patruo vel auunculo ſuo ſuccedere debere in capita, non in ſtirpes.

1. D. *Nunc collateralium ſucceſſionem mihi explices velim.*

M. Primùm illud memineris quod Hotom. in diſp. feud. cap. 18. & ſeq. contra communem DD. opinionem contendit, & probat etiam *Giph.* iure feudiſtico nullam eſſe tranſuerſalem ſucceſſionem. nam aut feudum eſt nouum, & ab eius ſucceſſione in tantum remouentur agnati ſeu collaterales, vt ne frater quidem ſucce-

dat fratri, vt mox latius dicam: aut eſt feudum antiquũ, & in eo agnatus non tanquam defuncti agnatus, ſed tanquam vnus ex liberis ſeu deſcendentibus primi acquirentis ſuccedit. Imò iure Sax. cuius etiam in Sileſia & Pomerania aliisque regionibus vſus eſt, ne quidem in feudo antiquo agnati ſuccedunt, niſi fuerint etiam ſimultaneè inueſtiti, teſte *Fachſio ff. 29. Hartm. Piſt, lib. 2. quæſt. 19. & ſeq.* *Weſenb. de feud. c. 6. nu. 15. Gail. lib. 2. obſ. 151. nu. 5. & Giph. in tract. de feud. in t. De ſucceſſione agnatorum.* Vulgò tamen inter Feudiſtas receptum eſt, etiam agnatos in feudis ſuccedere. Etſi enim reſpicitur ad primum adquiſitorem feudi, à quo deſcendat oportet is qui ſuccedere in feudo volet: tamen negari non poteſt aliquem etiam haberi reſpectum agnationis & proximitatis, quæ inter defunctum, cui ſucceditur, & eum qui ſuccedit, intercesſit. Porrò cùm eorum qui à latere ſiue ex transuerſo cognatione iunguntur, alii dicantur agnati, alii cognati in ſpecie, quorum illi per mares, hi per fœminas coniunguntur, vt meminiſti ex §. 1. *Inſt. de legit. agn. tut. & ex §. 1. de hæred. quæ ab int. & ex §. vlt. Inſt. de ſucceſſ. cogn* inter quos nouiſſimo iure ſublata eſt omnis differentia tam quoad ſucceſſionẽ quàm quoad tutelam legit. §. *ex his autem. N.* 118. *iure feud.* vetus illud diſcrimen in vſum reuocatum eſt, & ſoli agnati ad ſucceſſionem feudi vocantur, excluſis cognatis, ad quos beneficium & eius ſucceſſio non pertinet, vt eſt *t.* 11. *lib. 2. verſ. ad cognatos, & titu.* 50. *in verb. ex latere omnes per maſculos deſcendentes*, id eſt, omnes agnati. ratio eſt fauor conſeruandarum familiarum, quæ propagantur per agnatos, non etiam per cognatos, deinde cum cognati deſcendant ex fœminis, quæ à feudi ſucceſsione ſunt remotæ, vt ſup. dictum, non poſſunt ipſi admitti: cũ abſurdum ſit plus iuris habere ſucceſſorem quàm habuit eius anteceſſor, & nemo plus commodi relinquat hæredi quam ipſe habuit, *l.* 54. *l.* 120. *l.* 160. §. *vlt. l.* 175. §. 1. *ff. de R. I.* Remotis igitur à ſucceſsione feudali collateralium iis qui ſunt cognati, ſoli remanent agnati. Inter hos primum locum obtinent fratres vaſalli defuncti: ſequũtur fratrum præmortuorũ filii: deniq; agnati vlteriores, & quidem in infinitum, vt infr. demonſtrabitur.

tert

bitur. Sic enim ait *tex. in t. 11. lib. 2. his vero deficientibus*, (nempè liberis quorum prima cauſſa eſt, vt dictum) vocante primò fratres, cum fratrum præmortuorum filiis: deinde agnati vlteriores. Sed hic antè omnia diſtinguendum eſt inter feud. nouum & antiq. In nouo, id eſt, quod in perſona defuncti primùm cepit, ſiue vt ait Feudiſta, quod habuit initium tantùm à fratribus, frater fratri non ſuccedit, multoque minus remotiores agnati, ſed fratre ſine liberis mortuo, feudum reuertitur ad dominum. Atq; hæc regula fratrem fratri non ſuccedere in feud. nouo ſæpè in iure feud. repetitur, vt *t. 8. & 14. lib. 1. §. ſi duo fratres, & tit. 19. §. ſi quis miles. & t. 20. & t. 11. & 12. lib. 2. vide Zaſ. p. 8. nu. 23.* cuius reg. hæc eſt ampliatio, vt procedat, etiamſi vnâ eadèmque inueſtitura ſimul & communiter feudum acceperint; etiamſi fuerint ſimul de eodem feudo inueſtiti, vt habetur dictis locis, maximeq; *t. 1. §. & quia. verſ. quod etiamſi, & t. 8. & 14. lib. 1. & t. 12. libr. 2.* ratio huius reg. vix alia reddi poteſt, quàm quia ſic placuerit iis qui feuda conſtituerunt, & quia ab initio in feudis ne deſcendentes quidem ſuccedebant.

2. D. *Eſtne hæc regula, quæ fratrem à fraterni ſucceſſione excludit perpetua?*

M. Imò quaſdam habet exceptt. & quidem quatuor recenſentur vno loco in *d. t. 21. lib. 1.* quarum quædam etiam alibi reperiuntur. Prima eſt certiſſima ac nobiliſſima: Niſi pacto ita conuenerit inter dominum & vaſallum, ſiue vt Feud. loquitur *d. t. 20. & t. 1.* niſi per inueſtituram à domino ordinatũ fuerit, vt frater fratri ſine heredibus maſculis mortuo ſuccedat: vel vt alibi; niſi hoc nominatim dictum ſit; niſi dictum hoc fuerit expreſſim, vt alter alteri ſuccedat: niſi pactum fuerit in inueſtitura, quod frater fratri ſuccedat, denique niſi facta fuerit eo pacto inueſtitura, pacta enim dant legem contractibus, vt ſup. prolixè docui. Et ſanè ſi pacto inueſtituræ adiecto hoc effici poteſt, vt fœmina quoq; ſuccedat, quod fieri poſſe ſup. audiuiſti, & habetur *t. 14. libr. 2. in fin. & alibi.* quid ni idem multò magis in fratre valeat? Secunda exceptio eſt, niſi ex fratribus ſimul cohabitantibus vnus de communibus

& indiuiſis bonis feudum communi nomine emerit, idq; ſciẽte domino, quo caſu frater fratri ſuccedit, *d. t.* 20. *lib.* 1. Dixi, ſciẽte domino; nã aliud eſt ſi is ignoret iſtorum fratrum conditionẽ, vt rectè diſtinguit *gl. in* §. *ſin autẽ, in verb. nominatim t.* 1. *lib.* 1. *& t.* 12. *in verb. dicũt. lib.* 2. *& probant Zaſ. p.* 8. *n.* 55. *Cuiac. ad t.* 12. *lib.* 2. qui hoc caſu, quo dominus ſciuit feudum cõmuni pecuniâ vel nomine redimi, vult quaſi ex tacita conuentione ſucceſſionem inter fratres eſſe: vt ita etiã hic non minor ſit taciti quàm expreſſi pactivis. *Zaſius tamẽ d. n.* 25. vult cohabitationem fratrum non eſſe neceſſariam, aũt certè conſuetudine Germaniæ non requiri vt in ſimul ſtent, ſiue vt poſt mortem patris in communi caſa remanſerint, quemadmodum Feudiſtę loquuntur, *lib.* 1. *t.* 20. *& lib.* 2. *t.* 12. Mihi videtur cohabitatio iſta intelligenda non tam de vnis ſedibus quàm fratrib. conſortibus, quorum adhuc indiuiſum eſt patrimoniũ, ſiue, qui omniumbonorum ſocii ſunt. hos. n. barbarè ait Feudiſta in ſimul ſtare, ſiue in casâ communi remanere. Tertia exceptio eſt, niſi vnus ex fratribus feudum vtriusque nomine emerit, quamuis ex propria pecunia, idque item ſciente domino. Hæc enim verba, ſicut & ſequentia: Si in ſimul ſteterint, in d. tit. 20. ad vtramque præcedentem clauſulam referenda eſſe puto. Aliud eſſet, ſi non vtriusque nomine, ſed ſuum negotium gerens emiſſet, tunc enim non cogeretur cõmunicare quod emiſſet, *arg. l. ſi patruus, C. Com. vtriusque.* Nota hîc diſcrepãtiam iuris feud à Ciuili: nam Iure ciu. ſi quis alteri & ſibi rem emerit idem iuris eſt quod in eo qui ſibi & alteri dari ſtipulatus eſt, vt ſcil. tantùm pro parte dimidia ei qui contraxit adquiratur obligatio, cum per liberam perſonam ea non acquiratur, §. *ſi quis alii, verſ. quod ſi quis. Inſtitut. de inut. ſtip. & l.* 110. *de V. O.* §. *ex his itaque, Inſtit. per quas perſ. vide Dd. ad tit. Cod. ſi quis alteri vel ſibi.* Quarta exceptio eſt, niſi fratres feudum in hoſtẽ Regis acquiſierint. quę verba tex. in *d. t.* 20. quidam ſic acceperunt: *niſi ea lege eoque ſine feud. datum ſit fratrib. vt communib. armis & equis dominum ſuum iuuent contra hoſtes.* Sed hac lege omne feudũ conceditur, vt vaſallus pro domino pugnet

in ho-

in hoſtem. Quare mihi magis probatur Zaſii & Hotom.expoſitio,quæ eſt:niſi in exercitu Regis ſeu in iiſdē caſtris militantes id adquiſierint. *Zaſ.p.8.n.26. Hot. in diſp.feud.c.19.& in Comment. ad d. tit.* 20. & congruit *tex.in d.t.12.li.2. in verbb. ſi cū equis & armis cōmunib.ſit acquiſitum.* Rotundè igitur Feudiſta dixit :feudum in hoſtem adquiſitum, pro eò quod poterat plenius dici : *in expeditione in hoſtē adquiſitum.* Et 4. hæ exceptt.in ipſo tex.feud.continentur *d.tit.*20. quarum tamen primam ſolam pro certa agnoſcit Hotoman. reliquas vel falſas vel certè ambiguas eſſe putat, propter tex.in *d. tit.*12. *libri ſecundi*, vbi his tribus caſibus poſterioribus non ipſum feudum,ſed tantùm fructus eius dicuntur communicari inter fratres, quamdiu ſimul habitauerint. Quanquam autē repugnatiæ inter Feudiſtas nō ſunt nouæ,tamen cū tex.t.12. ſic licebit accipere,vt in eo tātūm aliorū opinio referatur, quod ſatis oſtēdunt verba:pleriq; dicunt Et illa;adhuc idē dicunt. His exceptt.alias quoq; addiderunt Interp. vt niſi cōſuetudo aut ſtatutum alicuius loci ita ferat, vt in feudo etiam nouo fratres cæterique agnati ſuccedant, vide *Schrad. p.7.cap.7.num.*5. & ratio eſt, quia cū feuda tota dependeant à conſuetudine & morib. facilimè etiā iiſdē immutantur & variantur. Item niſi feudum nouum conceſſum ſit alicui vni ex fratrib. vel etiā duob. vel plurib. ſimul iure feudi antiqui : id quod fieri poſſe ſup. audiuiſti in diuiſionibus,itemque eum de pactis inueſtituræ ageremus. vide *Mynſ.cent.* 4. *obſ.*84.*Gail.lib.*2.*obſ.*50. poteſt enim vnuſquisque legem ſuæ rei dicere quam velit : poteſt ius ſuum remittere & deterius conſtituere, vt ſæpè antea dictum. Addunt & hanc except. niſi feudū de nouo fratrib. conceſſum ſit indiuiſibile, vt ſi in feudū data ſit iuris dictio,ſi ius patronat⁹,ius venandi,piſcādi,ſeruitutū:quo caſu ſimiliter volūt fratrē fratri ſuccedere, ratione indiuidui, excluſo domino: cui tamē frater ſuperſtes æſtimationē ſoluat eius portionis quā à fratre accepit, *Zaſ.p.8.n.28.& ſeq. Roſent. cap. 7.concl.*122.quos tamen nuper *Bocerus in diſp.* 15. *claſſ.*4. *in th.*15. erroris conuincere conatus eſt hoc argumēto; quia omne feudū ſit indiuiduū. Sed hoc falsū eſſe ſupra

cognouiſti, vbi dictum, quædam eſſe feuda, quę diuiſionem recipiant.

3. D. *Quid ſi iis caſibus, quib. frater fratri in feudo nouo ſuccedere poteſt, non ipſe frater viuat, ſed ex prædefuncto ſuperſint filii, an hi ſuccedent, & dominum excludent?*

M. Placet mihi ſententia Baldi & Curtii & Iacobini de S. Georg. quam & *Schraderus p. 2. cap. 3. num. 7. & nouiſſimè Bocerus ſecuti*, nempè feudum hoc caſu reuerti ad dominum, nec ad filium fratris pertinere. 1. quia fratris appellatione non continetur fratris filius in ſucceſſione ex diſpoſitione hominis delata: deinde, quia pactum de ſucceſſione fratris in feudum fraternum ſiue nouum contrarium eſt iuri communi feudorum, proindeque ſtrictè accipiendum, nec ad conſequentias producendum, *arg. l. 14. D. de ll. & l. 141. ff. de Reg. I.* De moribus autem Gallorum teſtantur Fornerius & alii inter eos receptam eſſe ſucceſſionem fratrum etiam in feudo nouo, non minus quàm in bonis allodialibus, quorum ad inſtar feuda apud ipſos redacta ſunt, vnde fit vt etiam cognati & fœminæ ibi ſuccedant, teſte Cuiacio, Contio, Duareno & aliis.

4. D. *Remotis iam à ſucceſſione feudali collateralibus cognatis, remotis etiam agnatis à ſucceſſione feudi noui: reſtat ſcil. vt dicas de iis, qui & quo ordine in feudo antiquo ſuccedant?*

M. Primum illud tenebis; non aliter ſuccedere agnatos, quam ſi ex primo adquirente, velut à cõmuni parente, & vt vulgo loquuntur, *ſtipite deſcendant*, *vt t. 8. libr. 1. feud. & t. 11. lib. 12. in verſ. quod ita, & t. 50. pater iam, Aluarott. ad t. 14. lib. 1. Forner. c. 13. de feud. Contius c. 8. Methodi de feud. Borcholt. cap. in ſecundo membro num.* 78. Exempli gratia, pater meus; qui feudum de nouo acquiſiuerat, moritur relicto fratre, (qui mihi eſt patruus) relicto etiam altero filio, ſeu fratre meo. Iam in diuiſione hereditatis feudum mihi obuenit, vel ſorte, vel electione, ſeu conuentione inter me, & fratrem habita. Morior ego quoque, ſed ſine liberis, & relinquo fratrem & patruum: inter quos contentio oritur de ſucceſſione in meum feudum, quod eſt, vt dixi, paternum. Hic ſuccedet mihi frater meus excluſo patruo:

patruo: quia patruus meus licet non minus quam frater mihi ſit agnatus, tamen non deſcendit ab eo, qui primus feudum adquiſiuit, id eſt, à patre meo. Eius enim frater fuit. At frater fratri in feudo nouo non ſuccedit, vt paulò antè dictum.

5. D. *Cum igitur in hoc ordine collaterali ſucceſſio feudi, (vt etiam allodialium iure ciuili) primum deferatur fratribus: quid iuris erit, ſi fratres non ſint vtrinq; coniuncti, ſed tantum per alterum parentem?*

M. Meminiſſe potes ex ſuperioribus, fratres vterinos in feudis non ſuccedere, quia tantum ſunt cognati. Sed hîc obſeruabis exceptionem. In feudo namq; fœmineo fratres vterini ſibi inuicem ſuccedunt, vt recte *Fr. Sonsbecius, de feud. p. 9. n. 94. v. g.* Titius defuncta prima coniuge, cum ex ea ſuſcepiſſet filium, ducit alteram viduam, quæ ex priore matrimonio duos habebat filios, habebat quoque nonnulla feuda, eaque fœminina. Ex hac duos procreat filios, qui reſpectu liberorum prioris matrimonii ſunt fratres vterini: & tamen ſuccedunt in feudo illo fœmineo, excluſo fratre ſuo conſanguineo. Fratres autem conſanguinei æquè ac germani ſuccedunt, neq; illi ab his excluduntur: Sunt enim inter ſe agnati. Nec refert, quod in germanis fratribus duplex ſit vinculum, in conſanguineis, vnum duntaxat: cum aliàs dici ſoleat, quod duo vincula fortius ligent. *arg. §. ſed hodie, verſ. ſi v. Inſt. de adopt.* nam vinculum, quod à parte matris intercedit, i. cognatio in feudis non attenditur, ſed pro eo eſt, ac ſi non adeſſet. *v. Gaill. lib. 2. obſ.* 151. *Hartm. Piſtor. lib. 2. q.* 43. *Borcholt. c. 7. n.* 80. in quo ius feudale iterum recedit à ciuili nouiſſimo: quo Iure fratres vtrinq; coniuncti excludunt à ſucceſſione fratres ex altero tantum parente. *Auth. itaq;, C. commun. de ſucceſſ.* quæ ſumpta eſt ex *N.* 84. *c.* 1. *& congruit Nou.* 118. *c.* 3. vbi Iuſtinianus abrogauit ius vetus, quod extat in *l. 2. §. hereditas. ff. de ſuis & legit. & in l. 3. C. de legit. hered.* vid. *Cuiac. ad tit.* 11. *lib. 2. feud.* At iure feudorum ſimul ſuccedunt, fratres ex vtroq; parente, & ex altero tantum coniuncti, dummodò non ſint vterini. Fornerius tamen hoc diſcrimen putat eſſe falſum & ſequendam eſſe etiam hîc

diſpoſitionem iuris Ciuilis,cum id non reperiatur abrogatum iure feudorum,vt proinde ſecundũ prędictas Nou.excludatur frater ex altero tantum, per fratrẽ ex vtroq; parẽte coniunctum. Sed mihi religio eſt à communi opinione recedere, propter ſup. dictam rationẽ, præſertim cum videã hoc etiã clariſs. Giphan.probari.

6. D. *Quid ſi fratres non ſint ſoli, ſed concurrentes habeant præmortuorum fratrum filios?*

M. Filii fratrum præmortuorum vnà ſuccedunt cũ fratribus ſuperſtitib. defuncti, i. patruis ſuis, idq; iure repręſentationis in ſtirpes, i. vt tantundẽ accipiat, quãtũ pater ſuus in feudo habiturus erat, ſi vixiſſet. Atque ita intelligendus eſt tex.feudalis in *t.*11.*lib.* 2. *in t. his verò deficientibus*, & alibi quoq; vt in *t.*50. vt ſcil.cõueniat cum Iure ciuili, quod hoc caſu per ius feudale nuſquã reperitur mutatũ, ideoq; ei ſtãdum eſt.*arg.§ ſtrenuus, t.* 1.*lib.* 2.*feud.* Eſt aũt hoc cautum Iure ciuili nouiſſimo, vt ius repręſentationis etiã in fratrum filiis locum habeat, nõ verò vlterius.*d.N.*118.*c.*3.*& N.*127.*c.*1.*Vid. Zaſ. p.*8.*nu.* 17. vbi ait, hoc nullum habere dubium.*Vid. & Clar.q.*75.*Myn ſ.cent.*3.*obſ.*94.*ex Hartm. Piſtor.libr.*2.*q.*1. Neque hîc aſſentiendum eſt Couarruuiæ, qui in practicis *quæſt. cap.* 38. putat, in feudis ex pacto & prouidentia, itemque in multis fratris defuncti pręferri fratrum defunctorum liberis, quorum ſunt patrui, hoc inquã non eſt recipiendũ, quia textus, in *t.t.n.* eam diſtinctionem penitus ignorat. Vocantur, inquit, primò fratres cum fratrum præmortuorum filiis.

7. D. *Quid ſi vaſallus reliquerit patruum & filios fratrum præmortuorum, an hi quoq; ſimul ſuccedent?*

M. Immò fratrum filii ſoli ſuccedẽt excluſo patruo defuncti (qui ipſorum eſt patruus magnus) quamuis pares ſint gradu defuncto cõiuncti, nempè tertio, *t.*50. *libr.*2. qui textus cõmuniter ad hoc allegatur. Affertur etiam ratio, quia ſucceſſio feudalis, non tàm fundatur in prærogatiua, vel æqualitate gradus, quàm ſtirpis, & genealogiæ eiuſdem.*d.t.*50.*v.* W*eſenb. cap.* 6.*de feud. & Forner. cap.* 13. *regula* 8. *& Bocerum diſputat.* 15. *th.* 28. *Claſſ.*4.

8. D. *Quomodo autem filii fratrũ ſuccedunt patruo?*

M. In

M. In capita, & non in ſtirpes, de quo vide Borch. p.7.n.82.

9. D. *Quid ſi filii fratrum nõ concurrant cum patruo, ſed ipſi ſint ſoli, & quidem diſpari numero, v.g. ex primo fratre tres, ex ſecundo quinque, ex tertio ſex. &c. qui inter ſe velint ſuccedere: vtro modo fiet ſucceſſio, an in ſtirpes, an in capita?*

M. Hac de re olim maxima fuit controuerſia inter DD. aliis probantib. ſucceſſionẽ in ſtirpes, aliis in capita. Auctores, & rationes vtriusq; ſententiæ hîc recitare nimis longum foret: quas videre poteris diligentiſſimè annotatas ab *Ant. Teſſauro deciſ.162. & Zaſ.p.8. n.18.cum 2.ſeq. & in Intellectibus ſingular. item conſ. 4. lib. 1. Martin. Vranii conſil. 16. Tom.1.* deniq; apud Forſterum *lib.8. de ſucceſſ. c.3. Angel. Mattheac. lib.2. cap.7. in Epitome Legat. & Fideicommiſſ. & Andr. Fachinæum libris controuerſiarum Iuris.*

Summa hæc eſt: Primus quamuis Accurſius ſibi ipſi nõ ſatis conſtans, in *l.14. & in Authent. ceſſante. C. de legit. hered.* eumq; ſecuti *Bart. ad l. poſt conſanguineos, §. agnati. ff. de ſuis & leg. Bald. Caſtrenſ. Cynus, Raphael Cumanus, Angelus, Alexander, & recens etiam Sonsbeccius p.9.n.*100. de feudis, voluerint, filios fratrũ (idẽ eſt etiã in liberis ſororum, ſeu cõſobrinis in bonis allodialib.) inter ſe, i. quãdo ſoli ſunt, in ſtirpes ſuccedere patruis, & auunculis ſuis, velut parentũ loco, & non in capita. tamen veriorẽ eſſe ſententiã contrariã *Azo. in ſumma C. de legit. hered.* quam idẽ Azo etiã repetiit in cõmentariis ad ſingulas *ll. C. ad d. Auth. n.2. C. d. t. & Zaſ. dd. locis:* de qua re vt tandem ceſſarent tot digladiationes Interpretum Imp. Carolus V. authoritatem ſuam laudabiliter interpoſuit in Comitiis Spiræ habitis anno 1529. promulgatã conſtit. qua diſerte confirmauit ſententiam Azonis. Conſtitutionis illius verba vide in Reichsabſchied / de anno 29. quæ etiam referuntur à *Val. Forſtero lib.8. de ſucceſſ. c.3.*

10 D. *Ergò, quantum intelligo, ex Iure nouiſſimo, i. ex illa conſtitutione Carolina iam ſuccedunt filii fratrũ & ſororum in capita, cum olim ſucceſſerint in ſtirpes?*

M. Ita quidã putant hoc eſſe ius nouiſſimũ, in qui-

bus ſanè nollem eſſe D. Weſenbecium in *c. 6. de feud.* vbi non ſatis cautè vocat nouam hanc opinionē, cum ſit vetuſtiſſima; non opinio ſed veritas, vt mox probabo. Sed ſæpè ita fit, vt quæ vetuſtiſſima ſunt, ea poſtquam aliquandiu incognita latuerunt, tandem cum rurſus proferuntur in lucem videātur noua eſſe: quod etiam in religionis negotio non rarò accidit. nam & olim paganis religio Chriſtiana habebatur pro noua quadam ſuperſtitione, cum eſſet vetuſtiſsima, non ſuperſtitio, ſed diuina veritas: quod falſum crimen nouitatis eruditè refellit *Arnobius lib. 2. contra gentes*, vbi poſt alia ſic ſcribit: Omnipotens & primus Deus nouella vobis videtur res eſſe? Et qui eum venerantes colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atq; inducere religiones? eſtne illo antiqui⁹ quidquā? Et mox: Non ergo quod ſequimur nouū eſt, ſed nos ſerò addidicimus, quid nā ſequi oporteat, & colere, aut vbinam ſpem ſalutis affigere, & ſalutaria ſubſidia collocare.

11. D. *Sed quibus locis demonſtras, hoc ius olim etiam obtinuiſſe, vt filii fratrum, ſi ſint ſoli ſuccedant æqualiter in capita, & non in ſtirpes?*

M. Docent hoc aperte iſta loca, vt *l. 2. §. 1. ff. de ſuis & legit. l. 1. §. vlt. ff. ſi pars hered. §. ſi plures, & ibi Theoph. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ. Vlp. in fragm. t. 26. §. agnatorū. Caius lib. 2. in fragm. Inſt. t.* 8. *§. regulariter, verſ. item ſi. in verb.* omnes quidem fratrum filii patruo ſuo ab inteſtato ſuccedunt, ſed non in ſtirpes, ſed in capita. His accedant duo clariſsima loca ex *t. 16. de legitima ſucceſſ. in libello, cui titulus eſt Lex Dei collata cum legibus Romanis, à Petro Pithœo primum editus.* Vnus ex Caii Inſtit. alter ex ſententiis Pauli decerptus. Sed operæ pretium eſt, ipſamet eorum verba audire. Sic igitur *Caius libr. 3. Inſt.* Quòd ſi defuncti nullus frater extet, ſed ſint liberi fratrum: ad omnes quidem hęreditas pertinet, ſed quæſitum eſt, ſi diſpari numero ſint (fortè nati ex vno vnus, vel duo, & ex altero tres, vel quatuor) vtrum in ſtirpes diuidenda ſit hereditas; Sicut inter ſuos heredes iuris eſt, an potius in capita. Iamdudum autē placuit, in capita diuidendam hereditatem. Itaque quotquot erunt ab vtraq; parte perſonæ, tot portiones fient.

ent. Sic enim pro eo quod vulgo legitur, *fuerunt*, reſtituit *Pithœus, Hotom. vero Ill. q.* 14. *legit, erunt.* Poſſis etiam plenius: *facienda erunt.* Quę Caii verba, ſi conferas cum iis, quæ ex eiuſdē decurtatis ab Ammiano Inſtitutionib. paulò ante retuli, facile intelliges, quãtum diſtent æra lupinis, & quomodo carbones pro theſauro nobis obtruſerit, quiſquis ille fuit truncator. Alter eſt locus Pauli deſcript⁹ ex *lib. 4. ſent. t. de inteſtator. ſucceſſion.* Sed ſi (inquit) duorũ fratrũ ſint liberi, nõ in ſtirpes, ſed in capita hæreditas diſtribuitur: ſc. vt ꝓ numero ſingulorũ viritim diſtribuatur hereditas; quę poſtrema verba, ſc. vt, *pro numero*, putaui aliquãdo nõ eſſe Pauli, ſed alicuius gloſſatoris, qui ſic voluerit interpretari, quod Paul⁹ breuiter ſcripſerat: In capita hęreditas diſtribuitur. *Hotò. tamen d. q.* 14. ea retinet quaſi eſſent ipſius Pauli: Sed pro *viritim*, non dubitat ipſe, quin reponendum ſit *marium*, vt ſcil. fœminas excludat. Quę lectionis mutatio mihi minimè probatur. Imò ſiue Pauli ipſius ea verba ſint, ſiue alicuius Interpretis, omnino retinendũ contẽdo, viritim. nam & apud *Cic. 3. Tuſcul. Caſarem lib.* 1. *de bello Gall. & Suetoniũ in Caligula cap.* 18. *&* 46. Viritim diuidere, vel diſtribuere, eſt æqualiter & in ſingulos pro virilibus portionibus partiri, quod Græcis eſt κατ' ἄνδρα, item καθ' ἕνα ἕκαστον, vt rectiſſimè vetus gloſſarium exponit. *Seneca quoque libr. 5. natural. quaſt. c.* 7. inter ſe opponit in vniuerſum dicere, & viritim diſcutere. Præterea hoc ius iam olim obtinuiſſe disertè ſcriptum reperies, apud *Conſt. Harmenopul. libr. 5. cap.* 8. Denique argumento nobis eſſe poſſunt etiam Gottorum leges, in quibus fere omnia ex Iure ciuili petita eſſe ſolent. In his *autem lib. 4. tit.* 2. ita continetur expreſſum: Qui moritur, ſi fratres & ſorores non reliquerit, & filios fratrum vel ſororum reliquerit, ſi ex vno fratre ſit vnus filius & ex vno fratre vel ſorore forſitan plures: omnem hæreditatem defuncti percipiant, & æqualiter per capita diuidant portionem. *Vid. Cuiac. ad tit.* 11. *libri ſecundi feud.* vbi etiam iudicium ſuum interponit ſuper illo Codice legum Gotticarum. Taceo hîc Ius Sax. quod eandem ſententiam ſequitur. *libro primo*, **Landrecht**, *art.* 17. Ex

quibus omnibus facile iam intelligis, non debere cuique nouã videri eam opinionẽ, quã & *Zaſ.* & aliquot ante ipſum annis *Martin.Vran.d.cõſ.*16.fortiſſimè propugnauit, & *Carol.V.ſua conſt.*cõprobauit, & deniq; etiam Galliæ Parlamenta ſecuta ſunt, teſte *Hoto. Forner.* & aliis,& docent *Ioh.Papon.lib.*21.*arreſtor.t.*1.*arr.* 10.& 2.*ſeqq.Lucius lib.*8.*t.*10.*arr.*5. Sic ſolent Galli Romanarũ Legum maieſtatẽ comiter conſeruare,non tàm auctoritati,& ſanctioni earũ aliquid in ſe permittentes, quàm rationi & æquitati ſe ſubmittentes: vt elegãter ſcribit *Pithœus in præfat.ad Chriſtoph.Tuanũ,præfixã libello Lex Dei,* &c.Animaduertis,inquã,non hoc ius nouum aut nouam opinionẽ,ſed potius vetuſtiſſimã eſſe, ipſamq; adeò veritatem altercationib. Interpp.obſcuratam,quam Zaſius, aliiq; ſummi viri in luce reuocarunt,cui proinde firmiter adhærere debemus.

12. D. *Quanquam mihi ſufficit, & vetuſtatis, & Imperialis ſanctionis authoritas:tamen quo melius poſſim contradictores refellere, (audio enim adhuc eſſe, qui etiam poſt repertas fruges ad glandes redire malint. h.e. qui pro illa altera ſententia, & ſucceſſione, in ſtirpes propugnare non deſinant) his igitur,vt ſatisfacere poſſim,cupio ex te audire, & quæ ſint veræ ſententiæ huius fundamenta & quo pacto cõtrariis argumentis reſpondendum ſit?*

M. Poteras quidem vtriusque partis fundamenta petere ex *Zaſ.Hotom.Mart.Vranio,Forſtero* & aliis ſupra laudatis:ſed quia tamen ex me quoque hæc audire deſideras,age ſatisfiat tibi, & breuiter ſubducam ea, quæ prolixius ab aliis diſputantur: Nonnullis etiam nouum lumen inferre ſtudebo. Prima igitur & præcipua illa huius iuris eſt ratio; quia nusquam fit diuiſio in ſtirpes, niſi vbi locum obtinet ſucceſſio in locum parentum: atqui inter agnatos (vt ſunt hoc caſu fratrum filii ſeu patrueles) leges 12. Tabb. nullam inſtituerunt ſucceſſionem in locum parentum. *arg l.*3. *C.de legit.her.*ex qua l.patruus excludebat fratris filios. Ergo inter eos non poteſt fieri diuiſio in ſtirpes, ſed tantũ in capita. Vel breuius ita concludemus: Diuiſio in ſtirpes nititur Iure repræſentationis: Ergo vbi repræſentatio locũ nõ habet, ibi nec ipſa illa diuiſio locum habe-

Digitized by Google

habebit. tanquã ſc. fundamento eius ſubtracto ac deficiente. Hic autẽ deficit repręſentatio, nã quiſq; ex fratrũ liberis venit ex proprio & ſuo, nõ ex parẽtis ſui iure: Ergo etiã deficit diuiſio in ſtirpes, & hæreditas in capita potius diuidetur. Secũdò. Hoc ius nõ reperitur vſpiam mutatũ aut abrogatum. Ergo manere cenſetur. *arg. l. ſancimus, C. de teſt. & l. præcipimus, C. de appel.* Etſi enim Iuſtin. in *N. 118. §. ſi igitur defunctus*, ius repręſentationis conceſſit etiã fratrum liberis, vt in parentum ſuorum locum ſubeant, & iura ſuccedant; tamẽ hoc beneficium, & vt ipſe vocat, priuilegiũ non omnino neq; indiſtinctè ipſis indulſit, ſed limitatè ac definitè, videl. tunc demũ, quando filii fratrum cum propriis θείοις, i. patruis ſuis, qui erãt defuncti fratres, cõcurrunt. *Vid. d. N. 118. c. 3. v. ſed & tũ.* Quare cũ ius nouũ ſit ſtrictè accipiendum, neq; extra ſuos terminos trahẽdum, ſi non cõcurrunt liberi fratrum cũ patruis, ſed ipſi ſint ſoli, non erit hoc caſu ad ipſos priuilegiũ iſtud porrigendũ. *arg. l. 114. D. de R. I.* Tertio, nulla quoq; ratio fuit, quę Imperatorẽ moueret, vt idẽ tribueret fratrum filiis ſolis, quod conceſſit illis in cõcurſu cũ patruis. Ibi namque erat illa ratio, ne minimũ adimeret patruo, i. defuncti fratri ſuperſtiti, qui ante illã Nou. totã hereditatẽ fratris ſui ſibi retinebat, excluſis fratrũ prędefunctorum liberis, tanquã gradu remotiorib. *l. 3. C. de legit. hered §. ſi plures. Inſt. de leg. agn. ſucceſſion.* Ceſſante igitur ratione legis, meritò etiã ipſa legis diſpoſitio ceſſabit. 4. Præterea animus erat Iuſtin. cõſulere fratrũ liberis eo tãtùm caſu, quo antea per ius cõmune negligebantur, atq; à ſucceſſione per patruũ excludebantur, *d. l. 3. non autẽ*, quo caſu iam antea ſatis erãt tuti iure cõmuni, i. quando ſoli eſſent, neq; cũ patruo cõcurrerẽt. Iam .n. quia omnes pari gradu ſunt, pariter etiã & æqualiter vocãtur, ſicut & iure vet. ante prædictas *Nou. 118. & 127.* ſemper vocati fuerunt. Quintò, Adhęc ratio eſt, vt quibus proximorum nomẽ æquè cõpetit, quiq; ęquè Iure ſuo veniunt, æquas etiam ferant partes. Cum alii ex legis aut ſtatuti verbis, vt proximi vocantur, alii ſucceſſionis ſeu repræſentationis quodã iure ex aliorũ perſona veniũt, ęquitas poſtulat, vt & illis pars integra

ex lege conſeruetur,&his coniunctim nõ plus iuris deferatur,quã ille habiturus eſſet,cuius in locũ partemq; ſuccedunt,i.cuius perſonã repræſentant,vt erudite *Petrus Pithœus in notis ad d.t.26.*Deniq; nulla poteſt afferri idonea ratio differẽtię, quare fratrũ nepotes ſuccedant patruis magnis in capita (vt certũ eſt omni & veteri& nouiſſimo iure eos ſuccedere)fratrũ verò filii nõ debeãt in capita,ſed in ſtirpes vocari. Iam verò vbi eadem eſt ratio, nempè, quia ſicut fratrum nepotes ad ſucceſſionem patrui magni vocantur iure proprio, & ex ſuamet perſona, tãquam proximi: Sic filii fratrum, quando ſoli ſunt ad ſucceſſionem patrui.

13. D. *Intellexi probè,quibus hac ſententia nitatur fundamentis. Quia tamen vetus lex Attica iubet vtramq; partem audire, cupio etiam contrariæ opinionis rationes cognoſcere, & quomodo iis occurrendum ſit?*

M. Qui contrariũ tenent fere ſuis ipſi acuminibus ſeſe cõfigunt,quippe nimis argutas, atq; audaces coniecturas,&interpretationes cõminiſcũtur,contra verba & mentẽ Legiſlatoris. *Iuſtin.in d.Nou.*118. nam inde pleraſq; ſuas rationes tanquã tela ex pharetra depromunt: quas nõ erit difficile ex iis, quæ pro vera ſentẽtia iã attulimus, diluere. Cognitâ.n.& probè perceptâ luce veritatis, facilè errorũ & falſitatis nebulę diffugiunt,& euaneſcũt.Primũ igitur inquiũt,Ex Nou.118. conſtat, filios fratris in ſucceſſione patrui ſui præferri patruo defuncti,eumq; excludere. Vnde apparet ipſis cõcedi ius repręſentationis, quo in locũ patrui ſui aſcendant,vt ita iã ſecundum gradum obtinere videantur,cum reuera ſint in tertio gradu,perinde vt patruus defuncti. Si in filiis fratrũ eſt repręſentatio: erit ergo in iiſdẽ etiam facienda diuiſio in ſtirpes. Hãc.n. peperit repręſentatio. Reſpõdebis eſſe hanc fallaciã ſecundum nõ cauſam vt cauſſam. quod.n.patruo defuncti præferuntur fratres filii,id nõ tam ex iure repræſentationis fieri putandũ eſt,quàm inde,quia hęreditas ſemper facilius ac procliuius deſcẽdit,quã aſcẽdit. Ita rectè *Zaſ. p.8.n.18. & Hoto.d.q.illuſt.*14.quã rationẽ etiam Zaſ.cõprobat authoritate gloſſæ in fin.*t.Inſt. de ſucceſſ.cognatorũ.*Taceo quod caſus ille longè ſit diuerſus à noſtra

quæ

quæſtione, non enim agimus de cōcurſu filiorum fratrum cum aſcendentib. collateralib. defuncti, vt cum patruo, aut auunculo, ſed de fratrū filiis ſolis inter ſe ſuccedere volentib. Secundo aiunt, per *eand. N.* 118. generaliter ius repræſentationis tribui fratrūfiliis, & quidē ipſis ſolis tribui. Ergo hoc priuilegio gaudebūt, ſiue ſint ſoli, ſiue cum fratre defuncti, eodemq; patruo ſuo cōcurrant, & per cōſequens, hereditatē inter ſe diuidēt in ſtirpes, & nō in capita. Reſpōdeo, illā generalitatem orationis, quæ videtur, ſic reſtringendā eſſe ex antecedentib. ex toto contextu Nouellę illius, vt intelligatur ipſis tributū illud priuilegiū, ſiue vt Imp. vocat *προνόμιον*, eo duntaxat caſu, quo cum patruis ſuis concurrunt, non autē ſpecialiter, atq; etiā tūc, quando ipſi ſunt ſoli. Breuiter, negandū eſt antecedēs, non. n. ſimpliciter, nō omninò, neq; indiſtinctè Imp. illudpriuilegiū conceſſit filiis fratrum, vt parentes ſuos repręſentent in omni ſucceſſione, ſed certo quodā caſu, limitatè, reſtrictè, ac definitè, quando ſcil. vnà cum ipſis concurrit frater defuncti, qui cum ſit in ſecundo gradu, olim excludebat fratris filios, vtpote in tertio gradu defuncto coniunctos, *§. ſi plures, Inſtitut. de legitim. agn. ſuc.* hodie vero ex N. 118. ſimul cum ipſis ſuccedunt. Eſtque fallax hæc collectio: Soli fratrum & ſororum liberi habent hoc priuilegium, vt in parentum ſuorum locum ſubeant, & in eorum iura ſuccedant. Ergo etiam quando ſunt ſoli, id eſt, extra concurſum cum patruis eodem priuilegio vtentur, & in ſtirpes ſuccedent. Imò contrarium hoc eſt ipſius legiſlatoris conſilio & intentioni, qui quid voluerit iſtis verbis: *Huiusmodi priuilegium ſolis concedimus fratrum aut ſororum filiis, aut filiabus*: ſatis declarant, quæ mox ibi ſequuntur: *Nulli autem omnino alii perſonæ ex hoc ordine cognationis* (nempè collateralium) *venienti iſtud ius concedimus.* Tertio inquiunt: poſt fratres demum & fratrum liberos iubetur fieri diuiſio inter cæteros agnatos in capita, *d. N.* 118. *§. ſi vero.* Ergo inter ipſos fratrum filios fiet diuiſio in ſtirpes. Sed neganda eſt talis conſequētia: Cæteri agnati, qui ſunt remotiores fratrum liberis, ſemper in capita ſuccedunt. Ergo fratrum liberi

nunquam in capita ſuccedere debent. Imò hi quoq; aliquando in capita ſuccedunt, cum videlicet ſoli ſunt. Quartò, ſi (inquiunt) fratrum liberos ponamus ſuccedere in capita, inde ſequeretur, quod vnius eiuſdemq; hæreditas, nunc in ſtirpes, nunc in capita diuideretur, vt ex Bart. demonſtrat *Hotom. ill. q.* 14. Hoc autem eſt abſurdum. Sed nihil eſt abſurdi, etiamſi pro varietate caſuum vnius, eiuſdemque hæreditas alio, atque alio modo diuidatur, vt rectè *Hotoman. d. loco*: vbi etiam negat, agnatorum hereditates diuidi in ſtirpes: quæ diuiſio tatùm habeat locum inter eos, qui ex defuncti ſtirpe ſuccedunt, quod de agnatis dici non poteſt. Et ſanè idem ſunt in ſtirpes, & ex ſtirpibus ſuccedere. *l. 2. Cod. de ſuis & legit.* Quintò aiunt, fratrum liberi iam olim ſuccedebant in capita. Ergo ex d. Nou. hod. ſuccedere debent in ſtirpes. alioquin enim ſuperuacanea eſſet illius Nou. ſanctio. Sed reſpondebis, quamuis non totum ius vetus ſucceſſionum ea Nou. immutarit, non ideo tamen ex ſuperuacuo promulgatam eſſe, propterea ſcilicet capita, quæ immutauit, & in quibus a iure antea recepto receſſit. In cæteris vero retinendum eſt ius cauſæ, quod ante eam No. obtinuit. *arg. l. præcipimus, Cod. de appellat.* Sextò, proferũt *text. ex Authent. ceſſante. C. de legit. hered.* qui ſic habet: Vocantur primò fratres fratriſque præmortui filii in ſtirpes. Ecce, inquiunt, hic nulla fit mentio diuiſionis in capita. Reſpondendum eſt Auth. illam intelligendam ſecundum Nou. ex cuius corpore deſumpta eſt; nempe tum in ſtirpes vocari filios fratrum, ſi concurrant cum patruo, non etiam ſi ſint ſoli. Quòd ſi auctor dictæ Auth. (qui putatur fuiſſe Irnerius, qui & cæteras clauſulas ex Nouellis excerptas, quæ vulgò *Authentica* vocantur, paſſim Codici Iuſtiniani inſeruit:) ſi, inquã, hoc ſenſit Irnerius, fratrum liberos etiam cum ſoli ſunt, in ſtirpes ſuccedere, malè atq; imperitè ſenſit, ac præter mentem Iuſtiniani auctores *dictæ N.* 118. ideoque rectè *Azo, Iohannes Fabri*, aliique ea verba acceperunt de eo caſu, quo cum fratrum filiis concurrit patruus.

14. D. *Satis iam de ſucceſſione filiorum fratrum: quæ mihi*

mihi non tantum in feudis, ſed etiam in allodiis & Iure ciuili plurimum proderunt, vt poſthac non ſim reformidaturus veritatis contradictores. Quid autem ſi vaſallus, nec fratrum filios reliquerit?

M. Si nec fratres, nec fratrum filii extent, neque etiam fratrum nepotes (nam hi quoque patruo ſuo magno in capita ſuccedunt, vt ſup. audiuiſti. ſin autem cum patruo magno concurrant, ei præferuntur, vt docet *Hartman. de feudis obſ. 16. num. 7.*) tunc ad ſucceſſionem feudi primi admittuntur alii agnati transuerſales gradu proximi, excluſis remotioribus, *t. 11. libri ſecundi, in verb. deinde agnati vlteriores.* Quę verba ita vt dixi, interpretanda ſunt, id eſt, qui ex vlterioribus agnatis defuncto gradu proximi ſunt. Et ſi in eodem gradu plures ſint, hi pariter & æqualiter omnes ſuccedunt, diuiſione in capita, & non in ſtirpes facienda. Qua in re ius iſtud planè congruit cum Iure ciuili, vt videre eſt in *Auth. poſt fratres. l. 2. Cod. de legit. hered. N. 118. cap. 3. Vide etiam tit. 50. libri ſecundi.* ex quo tit. hoc notabis, interdum gradu proximiores vinci, atque excludi à gradu remotioribus, ſi nimirum hi nitantur prærogatiuâ genealogiæ ſeu lineæ & fibrarum, qua deſtituantur illi proximiores. Exemplum ibidem affertur, & aliud ab *Henric. Bocero diſputat. 15. claſſ. 4. theſi 3.*

15. D. *Quid ſi agnatus ſit ex linea collaterali aſcendentium: vt, ſi ſit patruus, vel patruus magnus defuncti, an hic quoque in feudo ſuccedet?*

M. Maximè, dummodo feudum ſit antiquum, adquiſitum ab iis, à quibus vterque, & qui ſuccedere vult, & cui ſucceditur, tanquam à communi ſtipite ortum trahat. Textus eſt apertus in *fin. tit. 16. libri ſecundi,* in verbb. *& ſi filius fratris mortuus fuerit, frater patris in beneficium aui defuncti ſuccedat:* quem text. ad hoc ponderant *Bald. Aluarott. Præpoſ. Martinus Laudenſis, aliique feudiſtæ. Vid. Hartm. de feud. obſ. 16. num. 5.* Dixi, dummodò feudum ſit antiquum. Aliud eſt enim in feudo nouo, de quo vide alium *text. in t. 11. libr. 2. verſ. ſi enim Titii auus.* Ratio differentiæ ex ſupra dictis patet; quia in feudo nouo agnati non

ſuccedunt. Nec turbet te, quod ſupra audiuiſti, aſcendentes non ſuccedere in feudis, id .n. verum eſt de iis, qui in linea recta aſcendunt; non autem de iis, qui in linea tranſuerſa.

16. D. *Sed ad quotum vſque gradum agnati ſuccedunt?*

M. Ex Iure ciuili meminiſti diſtinctionem inter agnatos & cognatos, nempe illos in infinitum ſuccedere, etiamſi, (vt exempli cauſſa ait Imperator) decimo gradu ſint, ſiue vt alibi; etiamſi longiſſimo gradu ſint: hos vero tantùm ad ſeptimum vſque gradum: qua de re dictum ad §. *ceterum, Inſt. de legit. agn. ſucceſſ. & §. vlt. de ſucceſſ. cognat. Item §. vltim. de ſeruili cognatione.* Sed Iure feudali cognati non veniunt in conſiderationem. *tit.11. libri ſecundi, verſ. ad cognatos enim.* De agnatis vero textus variant, aliquando enim tantum ad quartum gradum eos vocant, aliquando ad ſeptimum, aliquando in infinitum, §. *hoc quoque ſciendum. tit.1. libr.1. §. hoc quoque, t.8. & libr.2. tit.: 6. §. ſi vaſallus culpam. & tit. 50. in verbb. ex latere omnes per maſculos deſcendentes vſque in infinitum. tit.52. §. ſatis bene.* Antiqui illi ſapientes, qui nolebant ſucceſſionem vltra quartum gradum, id eſt, vltra fratres patrueles progredi, hac ratione nitebantur, quia vltra 4. gradum non dicatur feudum paternum. *Vid. d.t.8. libr. 1. & ibi Cuiac. Hotom,* tamen vitioſè ac peruerſe ſic eos ratiocinatos eſſe arguit, ex lege Lotharii Imp. Qui verò ad ſeptimum vſque gradum ſucceſſionem eſſe voluerunt, eorum hoc fundamentum fuit ex iure Longobardorum, quo omnis parentela, i. cognatio vſq; in 7. gradum, (quem ipſi *ſeniculum* vocant) numeretur: vt parens parenti per gradum & per parentelam hæres ſuccedat. Sic enim habent verba legis Longobardicæ, *t. 14. libr. 2.* Seniculum Longobardi vocant gradum, q. à gignẽdo, eſt enim generatio cauſſa graduum & ſemper generata perſona adiicit gradum, ſiue, Quot ſunt generationes, totidẽ ſunt gradus, vt docui ad *Inſt. t. de gradib.* Sic *geniculum* quidam libri legunt in §. *pen. libr. 1. t. 1.* vbi vulgo eſt *ad ſeptimum gradum*, vt ibidem notauit *Accurſius, & Cuiac.* quoq; ex vet. libris reponendum

pendum monet. Sic etiam quarti gradus & ſucceſſionis in infinitum ſimul fit mentio in fin. *tit.* 21. *libr.* 2. ex quo loco, ſicut etiam ex tit. 37. obſeruabis, non ſolum mortuo vaſallo proximo, agnatos ſuccedere, verùm etiam ob culpam aliquam feudum committenti, quæ culpa facit, vt quantum quidem ad feudum pro mortuo habeatur.

17. D. *Quomodo autem illos textus tàm varios putas in concordiam redigendos?*

M. Quantum quidem ad 4. gradum facilis eſt ratio, vt dicamus, hoc eſſe Ius vetus, & conſuetudine contrariâ abrogatum: Quoad cætera verò Interpp. hanc excogitarunt conciliandi rationem: vt ſiquidem feudum à primo auctore non ad deſcendentes, ſed ad collaterales tranſitum fecerit (quod ex pacto fieri poſſe ſupra audiuiſti) tunc ad ſeptimum vſque gradum duntaxat ſuccedant agnati: ſin autem feudum primò ad deſcendentes, & deinde ab illis ad collaterales peruenerit, tunc agnati in infinitum ſuccedant. *Vid. Hartm. de feud. obſ. 16. num. 9. & tribus ſeqq. Borch. cap. 7. num. 93. Moz. cap. 5. num.* 76. quæ diſtinctio & in Camera eſt recepta, teſte *Mynſing. cent. 2. obſ.* 95. & *Gail.* 2. *obſ.* 150. & in hac ſententia fuiſſe videtur etiam *Clarus q.* 79. *nu.* 3. & *Couarruuias* 3. *reſolut.* 5. *num.* 4. Differentiæ rationem hanc reddunt, quia hoc poſteriore caſu agnati nō tanquam agnati, ſed tanquam liberi primi adquirentis ſuccedunt, & proinde in infinitum. hæc enim eſt natura feudi, vt in infinitum tranſeat ad deſcendentes, vid. *Hartm. d. loco nu.* 13. & *Clar. d. loco.* Sed ſi verum amamus, in textibus feudalibus huius differentiæ, nec vola, nec veſtigium quod dicitur, extat: quare quidam etiam non putant recipiendam; ſed potius dicendum, agnatos indiſtinctè in infinitum ſuccedere in quolibet feudo, quamuis in praxi hodie metuendum videatur, vt hoc ægrè obtineamus, vid. *Hartm. Piſt. lib.* 2. *quæſt. iur. nu.* 26. *cum ſeqq.* & *Bocer. diſput.* 15. *nu.* 33. De eo tamen inter omnes conuenit, in feudo ligio agnatos etiamſi milleſimo gradu ſint, vel vltra, ſuccedere, vt ex doctrina Baldi refert *Duar. cap.* 11. *num.* 16.

18. D. *Quid ſi defunctus agnatus feudum refutauerit, an adhuc ad eius ſucceſſionem agnatus admittetur?*

M.Etiamſi vaſallus defunctus feudum refutaſſet, tamen adhuc in id ſuccedet agnatus: Intellige, primò ſi feudum fuerit paternum, deinde ſi agnatus proximus, qui ſucceſſionem ſperabat, non conſenſerit refutanti, tunc.n.ad id repetẽdum nullo modo regreſſum habet, *§.prætereà, vbi Accurſ.t.5.lib.1.v. tit.14. lib.2 & ibi Cuiac. & titu.*38.*cum ſeq.& titu.*49.*deniq; Contium in Meth.de feud.cap.*8.poteſt quidem vaſallus feudum refutare ſiue ei renunciare; verùm illa refutatio ſeu renunciatio tantùm quoad ipſe viuit tenet, ipſiq; præiudicat renuncianti, non etiam aliis, ad quos poſt eius mortem feudũ reuertetur, ſed quo ad illos, pro eo habetur ac ſi nulla vnquam interueniſſet refutatio. Verùm hac de re diſtinctius dicam infra inter modos amittendi feudi.

11. D.*Habes ne vlteri⁹, q́ de collateraliũ ſucceſſione moneas?*

M.Quod de renouatione Inueſtituræ iuſto tempore petendã ſup.dixi in ſucceſſione deſcendentiũ: idem hîc quoq; in agnatis repetitũ cẽſeri debet.nulla.n. hîc eſt differentia: quãuis Iure ciuili in petẽda bonorũ poſſeſſione diſtinguatur inter liberos ac parẽtes, & alios cognatos vel agnatos, & illis largi⁹ tẽp⁹ cõcedatur quàm his, vt audiuiſti, ad *§.cum igitur plures, Inſt. de bon.poſſ.ex l.*1.*§.largius, ff.de ſucceſ.edict.*ſic etiã ipſe hoc loco repetes quæ ſup.dixi de iis caſibus, quib. à ſucceſſione excludũtur deſcẽdentes: quãuis quoad priuationẽ feudi ob delictũ vaſalli anteceſſoris aliquantulũ interſit inter filiũ cæteroſq; deſcendẽtes, & agnatos. Illorũ.n.ſæpè durior eſt ac deterior cõditio, quàm iſtorum. Sed hac de re inf.cõmodi⁹, cũ dicem⁹ de feudo ob delictũ aperto, ad quẽ pertineat. Deniq; recordaberis hîc diſcriminis ei⁹ quod ſup.indicabã eſſe inter filiũ & agnatos. Illi videl. non licere feudũ patris amplecti, eiuſdem hæreditate repudiatã, quod his tamẽ licet. Differẽtiæ rationẽ ſuo loco expoſui. ſtrictius. n. filius patri obligatur quàm agnatus agnato: maioréq; reuerentiã debet filius patri, quam agnatus agnato: de quo vid. *Forner.c.* 13.*in fin.*

19.D.*Quid de ſucceſſione coniugum in feudis eſt Iuris?*

M.Potuiſſet quidem hæc quæſtio diſcuti ſuperi⁹ quãdo agebam⁹ de iis, qui à ſucceſſione feudi arcentur, vt ſunt fœminæ, aſcendẽtes, vt ſunt agnati in feudo nouo;

ſed

ſed quandoquidē huc reſeruata eſt, ſic de ea habendum eſt. Quanquam iure Prætorio vir & vxor deficientib. omnib. cognatis ſibi inuicē ſuccedant in allodialib. (de qua ſucceſſione prætoria, ſiue ſpecie bon. poſſeſſion. audiuiſti ad *t. Inſt. de bon poſſ. & habetur t. ff. & C. vnde vir & vx.*) tamē aliud eſt Iure feud. quo ſucceſſio inter coniuges nō eſt recepta, neq; in antiquo, neq; in nouo feudo: vt habetur *t.* 15. *lib.* 1. & *t.* 13. *lib.* 2. in quo t. obſeruabis, *ſi*, pro *An*, Græciſmo quodā poſitū, vt ſæpè etiā in C. Quare ſi vxor feudū acceperit, & ſine liberis mortua fuerit, feudū non adquiretur marito, ſed ad dominū reuertetur, atq; ita cōſolidatio fiet feudi cū proprietate, dd. locis. Ampliatio hui⁹ reg. 1. hæc eſt: adeò id verùm eſſe, vt ꝓcedat, etiāſi de feudo ſimul fuerint inueſtiti cōiuges. nā & hoc caſu pars deficientis domino adquiritur; non autē ſuperſtiti cōiugi, vt *t.* 85. *li.* 4. *feud. & ibi Cuia.* Ratio hui⁹ iuris hæc poteſt adferri; quia nō tantùm nobis licere debet in bonis feudalib. quantū in allodialib. hæc .n. pleno iure noſtra ſunt: at feuda ſunt beneficia gentilitia, & à ſeniore recognoſcēda, quo inuito nō debent ab vna familia in alterā deriuari, vt nemini mirum eſſe debeat, ꝙ cōiunx cōiugi nō ſuccedat. *Hot. in diſp. feud. c.* 19. & *in comment. ad li.* 2 *feud. t.* 13. hanc aſſignat rationē, quia Conſtitutiones Imperatorū Conradi & Lotharii, quæ ſucceſſionē in feudis permiſerunt, cū olim nulla eſſet, nullā faciant mentionē mariti, & vxoris: tū quia beneficiū conceſſum mulieri eâ mortuâ extinguatur. De vxore etiā hæc ratio eſt, cur illa nō ſuccedat marito; quia fœminę à ſucceſſione feudorū arcentur, vt ſup. copioſè dictum. Et ſane ſi filia patri nō ſuccedit, quantò minùs vxor marito, quæ ipſi nec cognata, nec affinis eſt. Coniuges enim non ſunt affines inter ſe, ſed principium dant affinitati inter alios: vt dixi *ad t. De Gradib.*

20. D. *Nullone igitur caſu coniuges ſibi inuicē ſuccedunt?*

M. Exceptio hæc traditur in ipſo textu feudali, *d. t.* 15. *li.* 1. *in ver. niſi ſpecialiter inueſtitus fuerit*, id eſt, niſi expreſſo pacto ita cōuenerit, vt coniunx coniugi ſuccederet. Vid *Hart. t.* 43. *obſ.* 16. *n. vlt.* Ratio exceptionis eſt, ꝗa magna vis eſt pactorū, ſicut in aliis cōtractib. ita hîc quoq; vt ſup. docui. Exēplū illuſtre eſt in familia Landgrauie-

rum, Haſſiæ, de quo & *Duar. cap. 9. de feud. num. 19. & c. 11. num. 16.* ſe conſultum reſpondiſſe ſcribit. Cum enim Henricus Haſſiæ Landgrauius, huius, qui nunc rerum potitur, Mauritii Landgrauii propatruus, duxiſſet filiā Philippi Comitis in Catzenelnbogen, qui fuit vltimus ſuæ familiæ, curauit ſe vna cum vxore ſua viuo adhuc ſocero de eo comitatu inueſtiri ab Epiſcopo Herbipolenſi; eaque occaſione comitatus ille Henrico ſine maſculis liberis defuncto ad Haſſiæ Landgrauios peruenit. Vide etiam illuſtre hac de re ipſa conſilium Simonis Piſtoris, quod eſt in ordine X. poſt *Conſilia Modeſtini, vol. 1.*

21. D. *Quid ſi feudum ſit fœmineum?*

M. Ne tum quidem maritus vxori, vel hæc illi ſuccedet, quæ eſt altera ampliatio, nuſquam enim hoc feudum reperitur exceptum.

22. D. *Quid ſi feudum marito in dotem datum ſit, an non tum ſaltem maritus id lucrabitur?*

M. Ne tùm quidem in eo feudo maritus vxori ſuccedet: quę eſt tertia ampliatio regulæ noſtræ, compræhenſa *tit. 13. lib. 2.* Sed hoc loco, memineris diſtinguere inter patrem & filiam: pater enim non poteſt ſine domini, & in feudo antiquo etiam agnatorum conſenſu, feudum pro filia in dotem dare, *§. donare. t. 9. lib. 2.* idque etiā tunc facere prohibetur, quādo nulla alia bona habet, vnde filiam dotare poſſit, vt docet *Wurmſ. titu. 51. obſ. 19.* Ipſa autem mulier pro ſe feudum in dotem dare poteſt, *d. t. 13. & tit. 17. lib. 2.* ſicut etiam poteſt quis fundi alieni vſumfr. in dotem dare, *l. 6. & l. 18. C. de vſufr. l. 7. §. 2. & l. 66. ff. de iure dot.* ſic etiam poteſt res fideicommiſſo obnoxia in dotem dari, *l. 6. mulier, §. pen. ff. ad SC. Treb. No. 39.* Sed his duabus conditionibus filia feudum in dotem dare poteſt. 1. Si dos inæſtimata ſit. 2. ne apponatur pactum de lucro dotis.

23 D. *Quæ eſt huius differentiæ ratio?*

M. Fortaſsè illa, quia mulier dominium dotis naturaliter ſemper retinet, *l. 30. in reb. C. de iure dot.* At in patre dotis datio eſt quædam alienatio, quæ vaſallo in feudis prohibetur, *d. §. donare, & tit. 55. lib. 2. ita ferè & Zaſ. part. 9. num. 7. & Clar. q. 36.* quæ tamen ratio non ſatis-

ſatisfacit Hotom qui ad *t.9.& tit.13.lib.2.* tentat, poſſe etiam patrem vaſallum genero ſuo feudum, titulo dotis concedere, dummodo is ſit homo militaris, æquè idoneus, atque ſuus ſocer, ita tamen vt reditus tantùm prædiorum ſoluantur genero, & feudum mortuo ſocero ſine liberis redeat ad dominum: quia, inquit, etiam extraneo, dummodo ſit miles, feudum cedi poteſt, id eſt, poteſt quiuis etiam extraneus ſubinfeudari, *titu.34. lib.2.* in quo tamen vir doctiſſimus parum conſtare ſibi videtur, cum alibi ſcribat; Omnem ſubinfeudandi poteſtatem vaſallo ademptam videri per *conſtit. Frideric. I. de prohibita feudi alienat.* Illud extra dubium eſt, poſſe patrem vaſallum ex fructibus feudi dotem conſtituere filiæ, quāuis non requiſito conſenſu ſenioris, vel agnatorum, de quo *Zaſ. part 9. num.* 8. Horum enim ipſe pleno iure dominus eſt: Ideoque de ipſis pro arbitrio ſtatuere, *arg. l.21. in re mandata, C Mandat.*

24. D. *Quid ſi ſtatutum adſit, vt maritus vxore ſine liberis mortua dotem lucretur?*

M. Hoc ſtatutum (quod eſt creberrimum) ad feudalia bona nihil pertinet: vt rectè *Bald. Laudenſis, alij, ad d.t.15. lib.1.* Et hæc quarta ſit regulæ ampliatio.

24. D. *Si feudum à muliere in dotem datum ſit marito, vter præſtabit iuſiurandum fidelitatis?*

M. Maritus fidelitatem domino iurabit nomine vxoris. Exemplum illuſtre eſt in hiſtoria Boëmica, & Auſtriaca in Rege Ottocaro & Rudolpho I. de quo vide *Æneam Syluium Hiſtor. Boëm. cap.77. & Ioan. Auentinum 7. Annal.* Idem exemplum attingit *Hotom. ad t.13. lib.2. feud. & Cuiac. ad tit.12. lib.1.*

25. D. *An non ſaltem aliquam partem bonorum feudaliũ coniugis ſuperſtes coniunx lucrabitur?*

M. Ne partem quidem, v. g. quartam aut tertiam, (quæ vxori ſuperſtiti iure Rom. aut legib. Longobard. interdum dicitur,) poteſt maritus ei in feudo aſſignare, vt diſertè cautum eſt §. *vlt. titu.8. lib.2.* vbi Accur. vide. Atque hæc quinta eſt regulę ampliatio.

26. D. *Quid ſi feudum ſit mere hæreditarium, vel tranſitorium ad quoſlibet hæredes, an non tunc locum habet Edictum vnde vir, & vxor?*

M. Ita ſanè volunt Interpp. vt videre poteris apud *Schrad.p.7.c.7.n.28.& apud Roſenth.c.7.q.133.* Et hæc noua eſſet exceptio regulæ, ſi modo vera. Verum textu hac de re deſtituimur.

27.D.*Sed an fiſcus aliquando in feudum ſuccedit, ſi videlicet omnes & deſcendētes, & agnati è medio ſublati fuerint?*

M.Iure quidem ciuili bona vacantia, quæ hæredem nullum habent, neq; legitimū, neq; honorariū, pertinent ad fiſcū, ex l.Iul.& Pap.*vid.l.96.§.1.ff.de leg.1 l.pen.C. de præpoſitis ſacri cub.li. 12.& t.C.de bonis vacant.li. 10.cuius t.l.vlt.* fiſcus abuſiue aliquoties appellatur ærarium, quæ duo propriè loquendo plurimum differunt, vt ſatis colligitur ex panegyrico Plinii, aliisque locis, & docet Aſconius Pædian. Quæ bona vacantia negant Impp.in *l.1. C.d. titu. de bonis vacant.* deberi ciuitatibus fortè ſibi ea vindicantibus, velut ex permiſſu, aut priuilegiorum ſuorum obtentu. Ita, inquam, Iure ciuili obtinet. Sed aliud eſt iure feudi, quo fiſcus nō ſuccedit deficientibus vaſalli & liberis, & agnatis. Quin potius tunc feudū reuertitur ad dominū, *arg.t.1.t.14.t.20.lib.1. & t.12.t.28.in §.his conſequenter li. 2.feud.* ni fortè & dominus ipſe non reliquerit vllos hæredes. Quo caſu exiſtimauerim ius Ciuil. de ſucceſsione in bona vacantia ſuum vigorem obtinere, cū nunquam Iure feudali fuerit abrogatum, *arg.§.Strenuus li.2.t.1. iuncta l.ſancimus, C.de teſtament.& l.præcipimus, C. de appellat.* An autem bonis vaſalli ob crimen aliquod publicatis poſsit fiſcus etiam feuda occupare, alia eſt quæſtio, de qua vide diſtinctionem *Clari q.84.§.feudum.*

CAPVT XVII.

De Ganerbinatu, von Ganerben / vnd Ganerbſchafft.

D.*Poſt expoſitam Succeſſionis feudalis doctrinam faciamus hic digreſſionem quandam, non valdè opinor alienam ab inſtituto, & videamus nonnulla de iure eorum qui à noſtris hominib. vocantur* Ganerben: *quos equidem in tractatione cauſarum Feudalium interdum nominari audiui, ſed*

nondum

nondum plenè cognoſcere potui quales tandem hi eſſent, quove iure cenſeretur. Hoc igitur abs te expecto, vt me doceas.

M. Vocemus ſanè ficto nomine Ganerbios, & ius ipſum Ganerbinarum.

Credo autem paucos reperiri qui horum notitiam habeant certam atq; exploratam. Mihi quidem de eorum iure pro re nata ex aliis diſcendi cauſa quærenti hoc aliquando contigit, vt nonnulli ingenuè faterentur ſe neſcire: aliqui verò obſcurè; alii variè reſponderent. Neque id ſanè mirum, non enim quiſquam de his, quod equidem ſciã, ex profeſſo literis aliquid mandauit: Quamuis & in Conſtit. Imperii ſiue Reichs Abſchieden aliquoties, & alicubi in Speculo Saxonico, & in conſiliis Modeſtini Piſtoris nominentur Die Ganerben. Locum Iuris Saxonici *art.* 17, etiam *Hot. laudat in Lexico verb. feud. in verbis, heredes accelerantes.* Operæpretium itaque me facturum arbitror, ſi hac tota de re, quæ ego non indiligenti habita inquiſitione adhuc indagare potui, colligam & proponam. Et tibi autem & aliis hæc tantò gratiora fore confido, quantò difficilius erit apud alios talia reperire. Ibo autẽ per hæc quinque capita, dicturus videlicet, primum, quid verbi ſit Ganerben, & qualia ſint bona quæ vocantur Ganerbengüter. Secundò, quæ ſit origo huiuſce Germanici inſtituti, quis eius finis, ſiue cui bono res inuenta ſit. Tertio, quomodo conſtituantur die Ganerben & Ganerbengüter: ſiue, quid ad cõſtitutionẽ Ganerbinatus requiratur: Quomodo etiã differat à Maioratu, & à prælegato familiæ. Quarto, quo iure cẽſeantur huiuſmodi & homines & bona: an, & quanam in re ab aliis communiter vaſallis & bonis feudalibus diſtent. Quinto, quomodo Ganerbinatus extinguatur. Ad hæc capita non incommode reuocari poſſe exiſtimo quicquid de iure Ganerbiorum ſeu Ganerbinatus quæri aut diſputari poteſt: & his quoque capitibus facilè adiici poterit, ſi quid à nobis fuerit prætermiſſum, & ab aliis poſthac in vſu vitæ obſeruatum. Nam hæc talia vſu potius quam ex libris diſcenda ſunt, recteque & laudabiliter facerent illi, qui obſeruationes practicas conſcribunt, & edunt, ſi eiuſmodi fin-

gularia potius colligerent, & nobiſcum communicarent, quam alia ſexcenties dicta repetentes.

1 Igitur ad nomen quod attinet, id Germanicum eſſe, & quidem compoſitum ab **Erben** / quod hæredem nobis denotat, cuius facilè adparet. Sed prior compoſitionis ſyllaba, ſeu pars cuiuſmodi ſit, quidve ſibi velit non omnibus obuium eſt. Nonnulli Etymon ei adſignant à **Gehen**/quod eſt Germanicis *ire* ſeu *proficiſci*, vt ſint **Ganerben** / quaſi **Gangerben**. Videri etiam poſſit deductum à **Gehe** / quod *feſtinum* vel *feſtinantem* ſignificat, atque ita ſenſiſſe videtur auctor iuris Saxonici, quando licèt anguſtius definit Ganerbios ad quos hæreditas à linea deſcendenti veluti cito & feſtinanter tranſit, **vff welche das Erb niderwartz eylet vnd gehet.** Quam ſignificationem etiam reſpexerunt qui Latine Ganerbios verterunt hæredes accelerantes, vt ſupra ex *ſpeculo Saxonico & Hotom. lex.* locum protuli. Latius quoque eadem dictio ſumitur, **daß nemblich alle die Ganerben heiſſen die ſich gleich nahe zu der Sipp ziehen / es ſey Mann oder Weib.** Sed hæc iſtius verbi notio non eſt amplius in vſu. Alii, & quidem rectius aut certè probabilius, putant corruptum ſiue contractum eſſe nomen ex eo, quod integrum foret, **gemein Erben** / quaſi dicas *communes hæredes*. Vnde ab aliquibus etiam *condomini* adpellantur. Fuerunt enim tales antiquitus ita coniuncti, ſicut apud Græcos qui vocantur ὁμόδειπνοι, vel ὁμόκαπνοι, (**die bey einem Rauch vnnd Fewr leben / vnd auß einem Hafen eſſen.**) Poſſunt etiam dici ὁμόφυλοι & κοινωνοὶ: ſic collegia Canonicorum (quæ hodie ſunt opulentiſſima) initio hoc modo fundata inſtitutaque ſunt, vt Canonici ex eadem olla cibarentur, à quo primæuo more viuendi, quantum receſſerint, palam eſt, dum videlicet quisquè ferè pro ſe viuit, & propriam alit aulam ac familiam. Ius Saxonicum alibi de his ita loquitur: **Burger oder Burgkmann heiſſen die Ganerben vnnd Edelleuth / ſo vor alters vnter einem Burgkherren vff einer Burgk gewohnet haben / da ſie dann der Burgk Burger genennt worden.** Item alibi; **Burglehen heiſſen ſolche Lehen / da jhr viel Edelleuth oder Ganerben / wie mans jetzt nennet in einer Burg**

oder

oder Schloß zuſammen haben Lehen vnd Lehensrecht von Fürſten vnnd Herren / denen die Burg zugehöret.

Maneat igitur illud, Ganerbios videri dictos eſſe quaſi Gemein Erben / communes hæredes & condominos: Et Ganerbengüter / ſiue Ganerbſchafft dici ea bona, quæ prædicta lege a condominis ſiue Ganerbiis poſſidentur.

De origine autem & fine huiuſce inſtituti, hæc ferè ſunt quæ accepi. Extitit hæc res in Germania ea tempeſtate, quando vis potior erat iure; (da das Fauſtrecht im Schwang gieng) & χειρόδικαι præualebant, vt ſecundum Varronem, Qui potè plus, vrgeret atq; opprimeret imbecilliores, piſces, vt ſæpè minutos magnus comeſt, vt aues enecat accipiter: ac nimis ſæpè verum euadit, quod verſu Marcelli Palingenii Stellati dicitur: *Cui vis eſt, ius non metuit. ius obruitur vi.* Tum ergò ante promulgatam pacem publicam, (quam vocamus, den Landtfrieden,) cum paſſim itinera latrociniis intuta atque infeſta eſſent, & latrones atq; prædones aſyla ſua in arcibus apud eiuſdem farinæ homines, qui ſimiliter ex rapto viuebant, haberent, alii honeſtiores & generoſioris animi ac ſpiritus nobiles, quibus inuiſa eſſent eiuſmodi latrocinia etiam ipſi arces munitiores ſibi extruxerunt, in quas ſeſe cum familiâ ac rebus pretioſioribus, tanquam in receptus tutos, & ſecuras manſiones, ingruentibus latrociniorum & depopulationum tempeſtatibus, conferrent. Quoque maior eſſet ipſorum inter ſe coniunctio, peculiares quaſdam confraternitates certis pactis inter ſe inſtituerunt, in eum finem, vt ſe ſuasque facultates contra vim & incurſiones hoſtiles coniunctis viribus defenderent. Cum autem ſe ſolos ſibi ipſis ad defenſionem ſui & ſuorum contra vim potentiorum nondum ſufficere animaduerterent: in tutelam ſeſe ac protectionem vicinorum quorundam Principum tanquam vaſallos contulerunt. Fuit igitur inter Ganerbios quædam ſocietas, fraternitas & confœderatio, ſui defendendi cauſa coita, certisque adſtricta legibus, quas leges ſeu conuentiones adpellarunt, den Burgfrieden. Ex quo intelligimus, etiam ſub

gularia potius colligerent, & nobiſcum communicarent, quam alia ſexcenties dicta repetentes.

1 Igitur ad nomen quod attinet, id Germanicum eſſe, & quidem compoſitum ab Erben / quod hæredem nobis denotat, cuius facilè adparet. Sed prior compoſitionis ſyllaba, ſeu pars cuiuſmodi ſit, quidve ſibi velit non omnibus obuium eſt. Nonnulli Etymon ei adſignant à Gehen / quod eſt Germanicis *ire* ſeu *proficiſci*, vt ſint Ganerben / quaſi Gangerben. Videri etiam poſſit deductum à Gehe / quod *feſtinum* vel *feſtinantem* ſignificat, atque ita ſenſiſſe videtur auctor iuris Saxonici, quando licèt anguſtius definit Ganerbios ad quos hæreditas à linea deſcendenti veluti cito & feſtinanter tranſit, vff welche das Erb niederwartz eylet vnd gehet. Quam ſignificationem etiam reſpexerunt qui Latine Ganerbios verterunt hæredes accelerantes, vt ſupra ex *ſpeculo Saxonico & Hotom. lex.* locum protuli. Latius quoque eadem dictio ſumitur, daß nemblich alle die Ganerben heiſſen die ſich gleich nahe zu der Sipp ziehen / es ſey Mann oder Weib. Sed hæc iſtius verbi notio non eſt amplius in vſu. Alii, & quidem rectius aut certè probabilius, putant corruptum ſiue contractum eſſe nomen ex eo, quod integrum foret, gemein Erben / quaſi dicas *communes hæredes*. Vnde ab aliquibus etiam *condomini* adpellantur. Fuerunt enim tales antiquitus ita coniuncti, ſicut apud Græcos qui vocantur ὁμόδειπνοι vel ὁμόκαπνοι, (die bey einem Rauch vnnd Fewr leben / vnd auß einem Hafen eſſen.) Poſſunt etiam dici ὁμόφυλοι & κοινωνοὶ: ſic collegia Canonicorum (quæ hodie ſunt opulentiſſima) initio hoc modo fundata inſtitutaque ſunt, vt Canonici ex eadem olla cibarentur, à quo primæuo more viuendi, quantum receſſerint, palam eſt, dum videlicet quiſquè ferè pro ſe viuit, & propriam alit aulam ac familiam. Ius Saxonicum alibi de his ita loquitur: Burger oder Burgkmann heiſſen die Ganerben vnnd Edelleuth / ſo vor alters vnter einem Burgkherren vff einer Burgk gewohnet haben / da ſie dann der Burgk Burger genennt worden. Item alibi; Burglehen heiſſen ſolche Lehen / da jhr viel Edelleuth oder Ganerben / wie mans jetzt nennet in einer Burg

oder

oder Schloß zuſammen haben Lehen vnd Lehensrecht von Fürſten vnnd Herꝛen / denen die Burg zugehöret.

Maneat igitur illud, Ganerbios videri dictos eſſe quaſi Gemein Erben / communes hæredes & condominos: Et Ganerbengüter / ſiue Ganerbſchafft dici ea bona, quæ prædicta lege a condominis ſiue Ganerbiis poſſidentur.

De origine autem & fine huiuſce inſtituti, hæc ferè ſunt quæ accepi. Extitit hæc res in Germania ea tempeſtate, quando vis potior erat iure; (da das Fauſtrecht im Schwang gieng) & χειροδικαι præualebant, vt ſecundum Varronem, Qui potè plus, vrgeret atq; opprimeret imbecilliores, piſces, vt ſæpè minutos magnꝰ comeſt, vt aues enecat accipiter: ac nimis ſæpè verum euadit, quod verſu Marcelli Palingenii Stellati dicitur: *Cui vis eſt, ius non metuit, ius obruitur vi.* Tum ergò ante promulgatam pacem publicam, (quam vocamus, den Landtfrieden;) cum paſſim itinera latrociniis intuta atque infeſta eſſent, & latrones atq; prædones aſyla ſua in arcibus apud eiuſdem farinæ homines, qui ſimiliter ex rapto viuebant, haberent, alii honeſtiores & generoſioris animi ac ſpiritus nobiles, quibus inuiſa eſſent eiuſmodi latrocinia etiam ipſi arces munitiores ſibi extruxerunt, in quas ſeſe cum familiâ ac rebus pretioſioribus, tanquam in receptus tutos, & ſecuras manſiones, ingruentibus latrociniorum & depopulationum tempeſtatibus, conferrent. Quoque maior eſſet ipſorum inter ſe coniunctio, peculiares quaſdam confraternitates certis pactis inter ſe inſtituerunt, in eum finem, vt ſe ſuaſque facultates contra vim & incurſiones hoſtiles coniunctis viribus defenderent. Cum autem ſe ſolos ſibi ipſis ad defenſionem ſui & ſuorum contra vim potentiorum nondum ſufficere animaduerterent: in tutelam ſeſe ac protectionem vicinorum quorundam Principum tanquam vaſallos contulerunt. Fuit igitur inter Ganerbios quædam ſocietas, fraternitas & confœderatio, ſui defendendi cauſa coita, certiſque adſtricta legibus, quas leges ſeu conuentiones adpellarunt, den Burgfrieden. Ex quo intelligimus, etiam ſub

capite de pactis feudalib. non incōmodè hac ipſa de re explicari potuiſſe. Poterat etiam locus dari huic argumento in cap. de ſucceſſione feudi.

Cæterùm vt ſolent etiam bonæ res paulatim ad deteriorem ſtatum inclinare atq; degenerare, ita etiam de hac ſocietate ſeu confœderatione factum eſt, vt ſcil. quamuis initio ex honeſtiſſimis & probatiſs. cauſis inſtituta fuerit, tamen in abuſum tandē venerit, & nobiles illi Condomini ſiue Ganerbii freti arcibus ac munitionib. ſuis nō ſolū in defenſionē ſui incubuerint, verum etiā alios per vim inuadere atq; opprimere cœperint, aut etiā aliquos ſuæ ſocietatis iniuſta patrātes receptarint. Quocirca ipſorū inſolentia & audacia publicis legib. & Imperialib. conſtitutionib. tandem fuit refrenanda. Nam Imp. Maximilianus I. in Comitiis Auguſtæ celebratis anno 1500. inter alia, quibus pacem publicam ſaluberrimè ſanciuit, prohibuit, ne condomini ſiue Ganerbii eum qui in bannum imperialem incidiſſet, quamuis alioqui participet ius illius arcis, quæ inter plures communis eſt, ingredi eam patiantur, ſed proſcriptum à ſua ſocietate excludant, foresque ipſi occludant, quam primum declaratio banni ipſis inſinuata fuerit. ſin ſecus faxint, & nihilominus bannitum ſiue proſcriptum permiſerint gaudere poſſeſſione arcis communis & fructuum perceptione, maximeq; ſi perſonam eius ſecum tolerauerint; tum vt ipſi quoq; receptatores in pœnam pacis publicæ violatæ incidiſſe declarētur ac pronuncientur: quod planè cōgruit cū diſpoſitione iuris ciuilis Romani *l.1.D.de recep.* vbi peſſimū genus receptatum eſſe dicitur, & perinde puniendum præcipitur atq; ipſi latrones: quia ſine ſuſceptatorib. aut receptatorib. nemo diu latere poteſt, ſiue, vt Paulus ait *li.5.t.3.* ſublatis ſuſceptoribus, cupido graſſantium conquieſcit. Pœna autem illa Comitiis Wormatienſib. anni 1495. cōſtituta eſt ferè quadruplex, quam vernacula lingua referam. 1. Daß jhr Leib vnnd Gut allermeniglich erlaubt ſeyn ſoll/ vnnd niemands daran freueln ſoll oder mag. 2. Daß alle Pflicht vnd Recht auch Anforderung/ die ſie haben/ ſollen gegen denen ſo jhnen verhafft/ todt vnnd ab ſeyn. 3. Daß ſie alle

alle Lehen verfallen haben. 4. Daß ſie vor vnredlich gehalten werden. Repetita eſt autem illa conſtitutio, & renouata aliis Comitiis Wormacienſibus, anni 1521. deinde in Auguſtanis anno 1548. denique inſerta in ordinatione Cameræ anno 1555. part. 2. tit. 13.

Exempla huiuſmodi arcium & munitionum, quæ vocantur Ganerbenheuſer / hæc nunc liceat commemorare. Prima eſt arx *Rotenburgenſis*, quæ non procul diſſita eſt Norimbergâ, & olim pertinuit ad Wildenſteinios. Ab his vendita eſt coronæ Bohemiæ, & tandem peruenit ad Electorem Palat. reſeruato tamen directo dominio. Huius arcis condomini ſunt pluſquam ſeptuaginta nobiles, quorum vnus Burggrauius Iudicis loco eſt. Nam (vt hoc obiter dicam) veteribus Germanis nihil aliud fuit Graff ſiue *Grauio*, quàm Iudex. Quomodo & in libb. feud. & in legibus Longobardic. ſæpè *Comes* vſurpatur pro *Iudice*, vt videre eſt *tit. 27. lib. 2. feud. & notauit Hotom. in lexico feud. item Cuiac. ad tit. 1. lib. 1. feud. Vide etiam Petrum Hegium in quæſtionib. Iuris quæſt. 2.* Hinc compoſita Burgkgraffe / Landtgraffe / Pfaltzgraffe / Marckgraffe / Zentgraffe / Saltzgraffe Wettgraffe / Dinggraffe, id eſt, iudex pedaneus, Gehgraffe / qui cognoſcit de flagrantibus criminibus, &c. Et iure Saxonico comitatus hoc modo definiũtur: Graffſchafft iſt nichts anders / dann eine Iurisdiction oder eine Gegent vnd Weichbildt / welche vor alters den Grafen durch die Keyſer verliehen worden / auff daß ſie an jhre Statt daſelbſt Gerichtszwang hielten / vnnd jederman richteten / dieweil man dem Keyſer / (als dem vor Alters alle Gericht zuhören) nicht vmb alle Sachen hat mögen beſuchen. Secundò, aliud exemplũ præbet *Friburgum* in Veterauiâ, quæ arx etiam eſt celebris Ganerbinatus, habens item Burgrauium peculiarẽ & leges inter condominos conſtitutas multis dotata priuilegiis, & immediatè ſubiecta Imperatori, tanquam domino feudi. Tertiò aliud exemplum eſt in Arce *Saltzburgo* ad Salam in Francia Orientali, vbi & Imp. Conradi (qui cognomentum Salici inde adeptus eſt) regia olim fuit & lex Salica primum lata eſt à Pharamundo eiusq; conſiliariis quatuor, qui in ipſa lege no-

minantur. Hæc arx hodiè etiam eſt domus Ganerbica, ſimiliter ſuum habens Burggrauium & ſua Regalia. Neque arces ſolum Ganerbicæ quædam ſunt, verum etiam ciuitates nonnullæ: vt Creutzenachum oppidũ ſitum ad Rhenum, condominos habet Electorem Palatinum & Marchionem Badenſem. ſic Schmalcaldia dum viuerent Comites ac Principes Hennenbergenſes ex parte dimidiâ ad ipſos, ex altera pertinuit ad Landgrauios Haſſiæ, hodie Landgrauius ſolus eâ potitur. Tale quidpiam fuit olim Hebron, de quo in ſacris literis habetur, & in Decreto Gratiani, *Can. Hebron.* 13. *quæſt.* 2. De origine & vſu Ganerbinatus hæc ſufficiant.

Sequitur nunc vt de modo conſtituendi eius iuris videamus. Conſtituuntur autem Ganerbii & bona (vt ſic vocem) Ganerbica, pactis & conuentionibus ipſorum inter ſe condominorum, qui in confœderationem & ſocietatem huiuſmodi ſeſe contulerunt, ſeque ſibi inuicem certis conditionibus deuinxerunt: Quibus ferè accedit etiam confirmatio atque protectio ſuperiorum ac potentiorum, vt Imperatoriæ maieſtatis, aliorumvè Principum, quemadmodum in ſuperioribus exemplis videre licuit. Cæterum diligenter diſcernendus eſt Ganerbinatus, tùm à pacto quod vocant Erbeinigung / & receptum eſt inter familias quorundam Principum, de quo apud *And. Geil* videre eſt, tum à Maioratu & legato familiæ, de quo latè diſputat *Gomeſius in ll. Taurinorum, fol.* 198. *Arius Pinellus in l.* 1. *C. de bon. maternis, part.* 3. *&* *Fernand. Vaſquius lib.* 1. *Illuſt. controuer. cap.* 8. *num.* 7. *& alibi quoque.* Germani hoc legatum vocant, Vorſchickungen / quæ quidem res vſitatiſſima eſt. Sed hoc intereſt inter illas & Ganerbinatum, quod Legata eiuſmodi familiæ potiſſimum ſpectant ac reſtringuntur ad vnam duntaxat familiam eiuſdem nominis, & originis communis, ita vt ſemper natu maior vſumfructum ex ea re prælegata ſibi habeat, quoad viuit; eo defuncto, idem ius ſtatim deuoluatur ad proximum, qui tunc ætate maximus in ea familia fuerit, atque ita deinceps. Ganerbinatus autem latius extenditur, nimirum vt ad diuerſas quoque familias pertineat,

ita tamen, vt vno mortuo, ſuccedat alius ex eadem familia, aut ſi non extet vel nolit, portio deficientis adcreſcat cæteris condominis.

Illud hîc, quando de conſtitutione Ganerbinatus agimus, minimè eſt prætereundum: poſſe aliquem non modò allodialia ſeu patrimonialia ac propria ſua bona ſic alterare, vt fiant bona Ganerbica, ſed etiam feudalia, dummodo in his nullum generetur præiudicium vel Agnatis, qui par ius ſuccedendi in feudis habent (vt in antiquis, & in his quæ ex pacto & prouidentia) vel filiabus in nouo feudo ſuccedentibus, ſi hoc dictum ſit. Fieret autem his maximum præiudicium, ſi legitima ipſarum interuerteretur. Quod autem poſſit quis propria bona ſeu allodia ſua facere Ganerbica, id hac ratione nititur; quia vnusquiſque rei ſuæ legem quam velit dicere poſſit, vtpote liber eius moderator & arbiter, *l. in re mandata 21. C. Mandati.* aliis vero præiudiciũ creare non poteſt. nec enim debet alteri per alterum iniqua inferri conditio, nec cuiquam ſuum ius inuito auferri, per iura vulgò notiſſima. Ita ſcio, Nobilem quendam ditiſſimum cum haberet duo feuda, & plura allodia ſatis lauta agitaſſe apud animum ſuum, tàm illa, quàm iſta conuertere in bona Ganerbica, idque in fauorem adgnatorum (quorum etiam voluntatem & adſenſum ſuper ea re per literas explorabat, adhibiturus etiam conſenſum domini feudi:) & ad familiæ ſuæ conſeruationem: qui tamen nobilis priusquam excogitata exequi poſſet, & conſenſum ſenioris impetraret, (agnati enim iam lubentes conſenſerant) rebus humanis exemptus fuit.

De iure Ganerbiorum quo cenſeantur, hæc pauca comperi: Nullam inter ipſos & alios vaſallos ferè differentiam eſſe; exceptis illis pactis & conditionibus ſocietatis & fœderis inter ipſos mutui. Quanquam enim aliquis in ipſorum ſocietatem receptus, & cõdominus factus fuit; in aliis tamen rebus perſona ipſius non mutatur, neque deſinit eſſe vaſallus aut ſubditus illius domini, cuius erat ante, quàm in Ganerbinatum daret nomen aut cooptaretur. Quod illam habet rationem, quia pacta inter me & te compoſita non debent tertio

alicui nocere, cum ſint res inter alios actæ. Et licèt interdum totum collegium ſiue corpus condominorum ſua habeat priuilegia & regalia ab Impp. ſibi conceſſa: tamen ea non ſunt ſingulorum cõdominorum, ſed pariter omnium. Sic neque ſtatus imperii (Reichsſtandt) fiunt omnes, tametſi nonnunquam Baronatus & ſimilia feuda poſſideant. Inter ipſos autem Ganerbios pacta conuenta, dummodo non ſint cõtra bonos mores, & contra leges ac ius publicum, proculdubio obſeruãda ſunt, *arg. l. 1. l. 38. cum ſimilib. D. de pact. & l. 1. D. de conſtit. pec.* Solet autem plerumq; inter eos qui ganerbinatum conſtituunt, de eo conuenire inter ſe, vt maximus natu in ea gente ſit adminiſtrator bonorũ, & pro onere adminiſtrationis partem aliquam fructuum ſibi habeat præcipuã, reliqui fructus diuidãtur æquis portionibus inter omnes gentiles & adgnatos, qui quidem ſint puberes, maximè ſi vel ſtudiis vel rei militari dent operam.

Quod deniq; attinet ad modum extinguendi tollẽdiq; ganerbinatus, quemadmodum ſocietas quælibet renunciatione ſocii tollitur, *§. Manet, Inſt. De ſocietate,* ita iſti quoq; fraternitati & confœderationi inter condominos puto poſſe renuntiari ab eo, cui non amplius libet in illa ſocietate & communione ſtare, in qua certè inuitus detineri nemo debet. Similiter etiam à Protectore ſiue domino illius arcis, in qua Ganerbinatus eſt conſtitutus, liberabitur renunciatione, argumento eorum quæ alibi tradita ſunt de refutatione feudi facta à vaſallo.

Hæc de Ganerbiis habui quæ adferrẽ nõ tàm quod vbiq; plenè adquieſceret animus, quam vt aliorũ ſtudia excitarem, didactra libenter debiturus ei, qui plura aut meliora me docuerit. Adhuc enim non potui inuenire qui de hoc iure (quod recèns cuſo vocabulo Ganerbinatum adpellari poſſe dixi) ex profeſſo ſcripſerit. Ne quid autem diſſimulem, nève ingrato ſilentio tegã eorum nomina, quorum inſtructione pleraq; horum cognoui, erudierunt me ἀφθόνως Clariſſimi & Prudentiſſimi exercitatiſſimiq; viri, *D. Philip. Camerar. D. Abel. Straſburg.* & *D. Georg. Remus,* Iuriſconſulti ac Philologi præſtan-

præſtantiſſimi, & Conſiliarii inclytæ Reip. Norimbergenſis. Nec parum quoq; à ſe contulit opt. ſenex, fide & probitate ſpectatiſs. *Matth. Schilherus*, eiuſdē Reip. Senatui ab Epiſtolis Secretioribus: Quibus vt alia beneficia refero accepta, ſic quoq; διδακτρα hîc me debere libens meritò profiteor, debiturus & aliis, qui me plura meliorave docuerint.

Capvt XVIII.

De Præscriptione *feudi:*

1. D. *Poſteaquam & de Inueſtitura & de ſucceſſione feudi ſatis dictum, tempus eſſe videtur exponere etiam alios feudi conſtituendi & adquirendi modos, ex quibus tertium ſuperius faciebas caput præſcriptionem, de qua deinceps velim diſſeras.*

M. Probè meminiſti Oeconomiæ noſtræ: quanquam autem ex Interpretibus nonnulli ſunt, qui *præſcriptionem* præmittant *ſucceſſioni*, quod per hanc, ſicut & inueſtituram feudum primò acquiratur, quod prius nullum fuerat: Et præſcriptionem vocant *præſumtam* quandam *inueſtituram*, cum per ſucceſſionem quæratur alicui, quod iam antea quoque fuerat apud eius maiores: tamen parum videtur referre quoad ordinem vel etiam rem ipſam, vtrum præſcriptionem explices ante ſucceſſionem, an contra hanc ante illam: dummodo ſcias hunc eſſe peculiarem ac ſeparatum à cæteris acquirendi feudi modum, in quo omnes interpretes conueniunt. Vt autem diſtinctè procedamus in hoc argumento, quod *Iulius Clarus quæſt.* 45. non immerito vocat intricatum; velim te attēdere ad quinque diuerſas quæſtiones. Primò enim quærendum eſt, an & quomodo vaſallus feudum adquirat præſcriptione contra dominum, quæ ſola eſt propria huius loci. Secundo, An & quomodo vice verſa ſenior præſcriptione adquirat proprietatem, ita vt is qui prius erat pleno iure dominus fundi, fiat alterius vaſallus. Tertiò, An & quomodo dominus ſiue ſenior præſcribat libertatem prædii feudalis contra vaſallum. Quar-

tò, an etiam vaſallus proprietatem feudi contra dominum ſibi acquirere poſſit præſcriptione. Quintò & vltimo, an feudum in extraneum alienatum a vaſallo absque conſenſu domini & agnatorum præſcribi ab eo poſſit. Agnoſcis ipſe, multum intereſſe inter has quinque quæſtiones. Nam primæ duæ pertinent ad feudum conſtituendum; reliquæ vero ad extinguendum & tollendum. De his igitur ordine ſi lubet, me interrogare poteris.

2. D. *Faciam: ſed illud mihi prius velim explices, quomodo dicatur feudum præſcribi, ſiue per præſcriptionem adquiri, cum præſcriptio non tàm ſit acquiſitio rei, quàm exceptio actionis?*

M. Verum eſt præſcriptionem propriè loquendo nihil aliud eſſe, quam exceptionem, quæ opponitur actioni ad eam elidendam & ſubmouendam, exemplo Græcorum, qui eodem modo dixerunt παραγραφὴν Sic Tertullianus librum ſcripſit De præſcriptione aduerſus hæreticos, quo in libro varias exceptiones perſecutus eſt, quibus Chriſtiani Orthodoxi & Catholici aduerſus hæreticorũ inſultus ſe munire ac tueri poſſunt: Et notauit eruditiſſimus *Cuiacius initio tractatus ſui de diuerſis temp. præſcriptionibus. Vide & Donellum li. 5. comment. cap. 4.* Verùm tamen receptum eſt vulgò, vt etiam præſcriptio perinde vt vſucapio dicatur modus acquirendi, *argum. tit. Inſtit. De vſucap. & long. temp. præſcript. & §. Ex his itaque. Inſtit. per quas perſon. & l. 21. ei à quo, in fin. D. de vſucapionib.*

3. D. *Quomodo igitur vaſallus feudum præſcribit aduerſus dominum, quæ erat prima in hac re abs te propoſita quæſtio?*

M. Si quis per triginta annos rem aliquam vt feudum poſſederit, & ſeruitium domino exhibuerit, quãuis de ea re non ſit inueſtitus, præſcriptione tamen 30. annorum ſe tueri poteſt, quæ regula ſumitur ex §. *ſi quis per triginta, tit. 26. lib. 2. eandemq́; probat Accurſ. ad tit. vlt. lib. 1. feud in verbis, per triginta annos,* & de ea quidam, (vt & *D. Hotom.*) accipiunt quoque textum in *tit. 33. in prin. lib. 2. feud* Quamuis *Accurſ.* ibidem in verbis, *aliquo tempore*, rectè moneat, eum locum poſse intelligi de vno

anno,

anno, ſiue de ſcientia & patientia domini annua, vt habetur in §. *fin. tit. 26. lib.* 1. qua de re mox latius dicetur. Obſeruabis autem in ſuperiore regula haſce quatuor conditiones, ſiue hæc quatuor requiſita. I. Oportet vt res fuerit poſſeſſa. II. Vt fuerit poſſeſſa tanquam feudum ſiue animo vaſalli, ſiue iure & titulo feudi, non alio. III. Vt per triginta annos. IV. Vt poſſeſſor ſeruitium exhibuerit domino ſiue obſequium feudiſticum præſtiterit. His, inquam, quatuor concurrentibus, vera eſt præſcriptio; quæ hunc habet effectum, vt perinde quaſi inueſtitura interueniſſet (quæ reuera non interuenit, ſed præſumitur tantum,) poſſit vaſallus tanti temporis præſcriptione ſe aduerſus dominum tueri, ſi is fortè neget, rem feudalem eſſe & pleno iure ſibi vindicare velit. *Vid. & Modeſtin. Piſtor. conſil.* 31. *volum.* 2.

4. D. *Priusquam pergas quaſo hac requiſita ſeu conditiones iſtas breuiter mihi explices?*

M. Quædam horum facilè intelligere poteris ex iis quæ dicta ſunt ad *tit. Inſtit. De vſucapion.* vt nouâ explicatione ferè opus non eſſe videatur. Verbi gratia: Primò dicebam requiri poſſeſſionē. nam ſine hac neq; vſucapio, neq; præſcriptio contingit, aut procedit. *l.* 25. *D. de vſucap. c.* 3. *de R. I. lib.* 6. Nec ſatis eſt poſſeſſionem inchoatam fuiſſe, niſi etiam cōtinuata fuerit: nam interrupta non proderit ad vſucapionē aut præſcriptionem. Vnde ſic inſcribitur *tit. in ff. De vſurpationibus & vſucapionibus.* Quot autem modis interrumpatur ſeu vſurpetur poſſeſſio, aliàs audiuiſti, & exponitur à *Petro Peccio ad d. cap.* 3. Atq; hanc continuationem putant interpretes ſatis indicari ipſa particula (*per*) ſequuti *Accurſ. ad d.* §. *ſi quis per* 30. *n.* 2. Obſeruabis autem, quēadmodum iure ciuili vtilitatis cauſa recepta eſt acceſſio poſſeſſionum, vt dixi ad §. *Diutina, Inſtit. De vſucap.* ita etiam in feudis eandem habere locum. *argumento* §. *ſtrenuus, tit.* 1. *lib.* 2. Secundò, dixi oportere, vt res titulo feudi; pro feudo, animo vaſalli ſiue vt feudum fuerit poſſeſſa. Nam ſi alio titulo, puta, pignoris, fundum aliquis poſſederit, non poterit eum pro feudo vſucapere, ſiue ius feudi in eo præſcribere, ſed ius erit domi-

no quandocunque voluerit pignus luere & recuperare: de quo *vide tit.pen.& vlt.lib.1.feud.* Non enim poteſt quiſquã ſibi ipſi cauſſam poſſeſſionis ſuæ mutare, *l.3.§.Illud quoq́, D.de adquir.poſſ.cũ ſimilib.* Nec ius luẽdi pignoris tollitur præſcriptione triginta annorum, de quo *vide Cuiac.ad dictũ t.vlt.& Borch.c.7.de feud. par.3. n.6.& plenius in tract.de vſuris,cap.6.n.* 10.*& aliquot ſeq. Zaſ.in §.Actionum,n.63.Inſtit.De actionibus.* Tertiò requiri aiebam poſſeſſionẽ triginta annorum, eoſq; cõpletos eſſe oportet, adeò vt ſi vel vnus dies deſit, nõ ſit completa vſucapio vel præſcriptio, *arg.l.26.§. Quoties, D.ex quib.cauſſis maiores,& dixi ad t.De vſucap.* Nec te moueat, quod Iure ciuili vſusfructus aliæq; ſeruitutes longi temporis præſcriptione acquirantur, exemplo rerum immobilium decem annis inter pręſentes& viginti inter abſentes, *l.vlt.in fin.C.de præſcript.long.temp.* vnde dicendum videbatur, etiam ad ius feudi præſcribendum tanti temporis ſpatium ſufficere potuiſſe, cũ ius feudi ſimile ſit vſufructui: Nam cũ in feudi pręſcriptione maius verſetur præiudicium, quàm in præſcriptione vſusfructus, &c. Meritò etiam longius tempus ad eam requiri debere feudiſtis viſum eſt. *Vid.Iul.Clarum quæſt.19.nu.*1. Feuda enim inducunt vmbrã quandam ſeruitutis, vt ex Baldo retulit *Zaſ.p.7.n.7.* veriſſimè, quia plurima ſunt capita mutuę obligationis inter dominũ & vaſallũ, vt infra cognoſces. Ergò vbi maius verſabatur periculũ ac pręiudicium, ibi cautius erat agendum, & tardius cõcedenda præſcriptio. Quartò dixi neceſſariũ eſſe ad feudi præſcriptionẽ, vt vaſallus domino ſeruitium exhibuerit. *d.§ ſi quis per triginta, tit. 26.lib.2.* & quidem ſatis eſt vel ſemel intra triginta annos ſeruitium aliquod pręſtitum fuiſſe, etiãſi nõ quotannis neq; ſæpius vaſallus ſeruierit: vt cõmuniter tradiderunt interpretes ad *d.§.ſi quis per. Zaſius p.6. n.* 30. pro qua ſententia facit, quod textus vtitur ſingulari numero *ſeruitium*; quamuis inſtare quis poſſet, infirmum hoc argumentum videri, cum non raro etiam ſingularis numerus collectiuè vſurpetur de pluribus: Sed à communi opinione non temerè eſt recedẽdum. Quod autẽ quidam diſtinguunt inter *exhibitionẽ ſeruitii &*

tii & præſtationem, non videtur recipiendum; cum idem potius vtrumq; valeat.

5. D. *Sed quid ſibi vult quod de vno anno dicitur in §. fin. t. 26. lib. 1. ſi vnus annus ſufficit ad acquiſitionem feudi, quorſum requirimus triginta?*

M. Quod de anno ibi dicitur, de quo & Accurſ. interpretatur textum *tit. libr. 2. in verb. aliquo tempore*, id nihil pertinet ad præſcriptionem feudi, de qua nos hîc agimus; ſed ad conditionem iuriſiurandi deferendam vaſallo, qui ſciente & patiente domino per annum in poſſeſſione feudi fuit, vt is domino fortè inueſtituram negante iuret, ſe vel patrem ſuum de eo inueſtitum fuiſſe. Ab eo autē qui per triginta annos rem pro feudo poſſedit, & ſeruitium inde præſtitit, non exigitur huiuſmodi iuſiurandum, quia inueſtitura ex tam longâ patiētiâ domini interueniſſe præſumitur. *vid. Zaſ. d. p. 6. ſub n. 31. Fornerium c. 5. de feud. in verſic. Non obſtat quod de vnius anni ſpatio dicitur. vid. etiā Franc. Balb. in tract. de præſcript. p. 4. q. 11. n. 2.*

6. D. *Rurſum obiicitur ex cap. quodam extraordinario, quod incip. In beneficiis, vbi dicitur ius adquiri longi temporis præſcriptione. Non igitur 30. annorum, quæ dicitur longiſſimi tempor. præſcriptio, cum longi tēporis præſcriptio tantum ſit vel 10. vel 20. annorum, teſte Paullo libr. 5. ſent. t. 2. & t. 8. & tot. t. C. de præſcr. longi temp.*

M. Poſſet quis reiicere auctoritatē huius capituli, vt quod tanquā extraordinarium non ſit receptum in foro. Sed ſi quis omnino illud vrgere velit, argumēto eorū quæ ſcribit *Hart. Piſtor. lib. 2. quæſt. 13. n. 59.* alterâ vtar reſponſione ex ipſo textu illius capituli deſumptâ; nempè, ibi agi de bonæfidei poſſeſſione, quæ contēta eſſe poteſt longo tempore, id eſt, decem vel viginti annis. At longiſſimi temporis præſcriptionem, de qua nos agimus, etiam procedere Iure ciuili cum mala fide, *l. 3. C. de præſcript. 30. vel 40. an.* Dixi, *I. ciuili*, nam aliud eſt iure Canonico, quo poſſeſſor malæ fidei nullo vnquā tempore præſcribit. *c. 2. & ibi Dynus, Petrus Peck. & alii de R. Iur. in 6. c. 5. vigilanti. ext. de præſcr.* Præterea ibi facta eſt inueſtitura in feudo alieno à nō domino: nos autē loquimur de eo caſu, quo nulla in-

gularia potius colligerent, & nobiſcum communicarent, quam alia ſexcenties dicta repetentes.

1. Igitur ad nomen quod attinet, id Germanicum eſſe, & quidem compoſitum ab Erben / quod hæredem nobis denotat, cuiuis facilè adparet. Sed prior compoſitionis ſyllaba, ſeu pars cuiuſmodi ſit, quidve ſibi velit non omnibus obuium eſt. Nonnulli Etymon ei adſignant à Gehen/quod eſt Germanicis *ire* ſeu *proficiſci*, vt ſint Ganerben / quaſi Gangerben. Videri etiam poſſit deductum à Gehe / quod *feſtinum* vel *feſtinantem* ſignificat, atque ita ſenſiſſe videtur auctor iuris Saxonici, quando licèt anguſtius definit Ganerbios ad quos hæreditas à linea deſcendenti veluti cito & feſtinanter tranſit, vff welche das Erb niederwartz eylet vnd gehet. Quam ſignificationem etiam reſpexerunt qui Latine Ganerbios verterunt hæredes accelerantes, vt ſupra ex *ſpeculo Saxonico & Hotom. lex.* locum protuli. Latius quoque eadem dictio ſumitur, daß nemblich alle die Ganerben heiſſen die ſich gleich nahe zu der Sipp ziehen / es ſey Mann oder Weib. Sed hæc iſtius verbi notio non eſt amplius in vſu. Alii, & quidem rectius aut certè probabilius, putant corruptum ſiue contractum eſſe nomen ex eo, quod integrum foret, gemein Erben / quaſi dicas *communes hæredes*. Vnde ab aliquibus etiam *condomini* adpellantur. Fuerunt enim tales antiquitus ita coniuncti, ſicut apud Græcos qui vocantur ὁμοδείπνοι vel ὁμοκάπνοι, (die bey einem Rauch vnnd Fewr leben/ vnd auß einem Hafen eſſen.) Poſſunt etiam dici ὁμόφυλοι & κοινωνοὶ: ſic collegia Canonicorum (quæ hodie ſunt opulentiſſima) initio hoc modo fundata inſtitutaque ſunt, vt Canonici ex eadem olla cibarentur, à quo primæuo more viuendi, quantum receſſerint, palam eſt, dum videlicet quisquè ferè pro ſe viuit, & propriam alit aulam ac familiam. Ius Saxonicum alibi de his ita loquitur: Burger oder Burgkmann heiſſen die Ganerben vnnd Edelleuth / ſo vor alters vnter einem Burgkherren vff einer Burgk gewohnet haben / da ſie dann der Burgk Burger genennt worden. Item alibi; Burglehen heiſſen ſolche Lehen / da jhr viel Edelleuth oder Ganerben / wie mans jetzt nennet in einer Burg

oder

oder Schloß zuſammen haben Lehen vnd Lehensrecht von Fürſten vnnd Herzen / denen die Burg zugehöret.

Maneat igitur illud, Ganerbios videri dictos eſſe quaſi Gemein Erben / communes hæredes & condominos: Et Ganerbengüter / ſiue Ganerbſchafft dici ea bona, quæ prædicta lege a condominis ſiue Ganerbiis poſſidentur.

De origine autem & fine huiuſce inſtituti, hæc ferè ſunt quæ accepi. Extitit hæc res in Germania ea tempeſtate, quando vis potior erat iure; (da das Fauſtrecht im Schwang gieng) & χειρόδικαι præualebant, vt ſecundum Varronem, Qui potè plus, vrgeret atq; opprimeret imbecilliores, piſces, vt ſæpè minutos magn⁹ comeſt, vt aues enecat accipiter: ac nimis ſæpè verum euadit, quod verſu Marcelli Palingenii Stellati dicitur: *Cui vis eſt, ius non metuit. ius obruitur vi.* Tum ergò ante promulgatam pacem publicam, (quam vocamus, den Landtfrieden,) cum paſſim itinera latrociniis intuta atque infeſta eſſent, & latrones atq; prædones aſyla ſua in arcibus apud eiuſdem farinæ homines, qui ſimiliter ex rapto viuebant, haberent, alii honeſtiores & generoſioris animi ac ſpiritus nobiles, quibus inuiſa eſſent eiuſmodi latrocinia etiam ipſi arces munitiores ſibi extruxerunt, in quas ſeſe cum familiâ ac rebus pretioſioribus, tanquam in receptus tutos, & ſecuras manſiones, ingruentibus latrociniorum & depopulationum tempeſtatibus, conferrent. Quoque maior eſſet ipſorum inter ſe coniunctio, peculiares quaſdam confraternitates certis pactis inter ſe inſtituerunt, in eum finem, vt ſe ſuasque facultates contra vim & incurſiones hoſtiles coniunctis viribus defenderent. Cum autem ſe ſolos ſibi ipſis ad defenſionem ſui & ſuorum contra vim potentiorum nondum ſufficere animaduerterent: in tutelam ſeſe ac protectionem vicinorum quorundam Principum tanquam vaſallos contulerunt. Fuit igitur inter Ganerbios quædam ſocietas, fraternitas & confœderatio, ſui defendendi cauſa coita, certiſque adſtricta legibus, quas leges ſeu conuentiones adpellarunt, den Burgfrieden. Ex quo intelligimus, etiam ſub

capite de pactis feudalib. non incõmodè hac ipſa de re explicari potuiſſe. Poterat etiam locus dari huic argumento in cap. de ſucceſſione feudi.

Cæterùm vt ſolent etiam bonæ res paulatim ad deteriorem ſtatum inclinare atq; degenerare, ita etiam de hac ſocietate ſeu confœderatione factum eſt, vt ſcil. quamuis initio ex honeſtiſſimis & probatiſſ. cauſis inſtituta fuerit, tamen in abuſum tandẽ venerit, & nobiles illi Condomini ſiue Ganerbii freti arcibus ac munitionib. ſuis nõ ſolũ in defenſionẽ ſui incubuerint, verum etiã alios per vim inuadere atq; opprimere cœperint, aut etiã aliquos ſuæ ſocietatis iniuſta patrãtes receptarint. Quocirca ipſorũ inſolentia & audacia publicis legib. & Imperialib. conſtitutionib. tandem fuit refrenanda. Nam Imp. Maximilianus I. in Comitiis Auguſtæ celebratis anno 1500. inter alia, quibus pacem publicam ſaluberrimè ſanciuit, prohibuit, ne condomini ſiue Ganerbii eum qui in bannum imperialem incidiſſet, quamuis alioqui participet ius illius arcis, quæ inter plures communis eſt, ingredi eam patiantur, ſed proſcriptum à ſua ſocietate excludant, foresque ipſi occludant, quam primum declaratio banni ipſis inſinuata fuerit. ſin ſecus faxint, & nihilominus bannitum ſiue proſcriptum permiſerint gaudere poſſeſſione arcis communis & fructuum perceptione, maximeq; ſi perſonam eius ſecum tolerauerint; tum vt ipſi quoq; receptatores in pœnam pacis publicæ violatæ incidiſſe declarẽtur ac pronuncientur: quod planè cõgruit cũ diſpoſitione iuris ciuilis Romani *l. 1. D. de recep.* vbi peſſimũ genus receptatum eſſe dicitur, & perinde puniendum præcipitur atq; ipſi latrones: quia ſine ſuſceptatorib. aut receptatorib. nemo diu latere poteſt, ſiue, vt Paulus ait *li. 5. t.* 3. ſublatis ſuſceptoribus, cupido graſſantium conquieſcit. Pœna autem illa Comitiis Wormatienſib. anni 1495. cõſtituta eſt ferè quadruplex, quam vernacula lingua referam. 1. Daß jhr Leib vnnd Gut allermenigklich erlaubt ſeyn ſoll/ vnnd niemands daran freueln ſoll oder mag 2. Daß alle Pflicht vnd Recht auch Anforderung/ die ſie haben/ ſollen gegen denen ſo jhnen verhafft/ todt vnnd ab ſeyn. 3. Daß ſie alle

alle Lehen verfallen haben. 4. Daß ſie vor vnredlich gehalten werden. Repetita eſt autem illa conſtitutio, & renouata aliis Comitiis Wormacienſibus, anni 1521. deinde in Auguſtanis anno 1548. denique inſerta in ordinatione Cameræ anno 1555. part. 2. tit. 13.

Exempla huiuſmodi arcium & munitionum, quæ vocantur Ganerbenheuſer / hæc nunc liceat commemorare. Prima eſt arx *Rotenburgenſis*, quæ non procul diſſita eſt Norimbergâ, & olim pertinuit ad Wildenſteinios. Ab his vendita eſt coronæ Bohemiæ, & tandem peruenit ad Electorem Palat. reſeruato tamen directo dominio. Huius arcis condomini ſunt pluſquam ſeptuaginta nobiles, quorum vnus Burggrauius Iudicis loco eſt. Nam (vt hoc obiter dicam) veteribus Germanis nihil aliud fuit Graff ſiue *Grauio*, quàm Iudex. Quomodo & in libb. feud. & in legibus Longobardic. ſæpè *Comes* vſurpatur pro *Iudice*, vt videre eſt *tit. 27. lib. 2. feud. & notauit Hotom. in lexico feud. item Cuiac. ad tit. 1. lib. 1. feud. Vide etiam Petrum Hegium in quæſtionib. Iuris quæſt. 2.* Hinc compoſita Burgkgraffe / Landtgraffe / Pfaltzgraffe / Marckgraffe / Zeutgraffe / Saltzgraffe Wettgraffe / Dinggraffe, id eſt, iudex pedaneus, Gehgraffe / qui cognoſcit de flagrantibus criminibus, &c. Et iure Saxonico comitatus hoc modo definiūtur: Graffſchafft iſt nichts anders / dann eine Iuriſdiction oder eine Gegent vnd Weichbildt / welche vor alters den Grafen durch die Keyſer verliehen worden / auff daß ſie an jhre Statt daſelbſt Gerichtszwang hielten / vnnd jederman richteten / dieweil man dem Keyſer / (als dem vor Alters alle Gericht zuhören) nicht vmb alle Sachen hat mögen beſuchen. Secundò, aliud exemplū præbet *Friburgum* in Veterauiâ, quæ arx etiam eſt celebris Ganerbinatus, habens item Burgrauium peculiarē & leges inter condominos conſtitutas multis dotata priuilegiis, & immediatè ſubiecta Imperatori, tanquam domino feudi. Tertiò aliud exemplum eſt in Arce *Saltzburgo* ad Salam in Francia Orientali, vbi & Imp. Conradi (qui cognomentum Salici inde adeptus eſt) regia olim fuit & lex Salica primum lata eſt a Pharamundo eiusq; conſiliariis quatuor, qui in ipſa lege no-

minantur. Hæc arx hodiè etiam eſt domus Ganerbica, ſimiliter ſuum habens Burggrauium & ſua Regalia. Neque arces ſolum Ganerbicæ quædam ſunt, verum etiam ciuitates nonnullæ: vt Creutzenachum oppidũ ſitum ad Rhenum, condominos habet Electorem Palatinum & Marchionem Badenſem. ſic Schmalcaldia dum viuerent Comites ac Principes Hennenbergenſes ex parte dimidiâ ad ipſos, ex altera pertinuit ad Landgrauios Haſſiæ, hodie Landgrauius ſolus eâ potitur. Tale quidpiam fuit olim Hebron, de quo in ſacris literis habetur, & in Decreto Gratiani, *Can. Hebron. 13. quæſt. 2.* De origine & vſu Ganerbinatus hæc ſufficiant.

Sequitur nunc vt de modo conſtituendi eius iuris videamus. Conſtituuntur autem Ganerbii & bona (vt ſic vocem) Ganerbica, pactis & conuentionibus ipſorum inter ſe condominorum, qui in confœderationem & ſocietatem huiuſmodi ſeſe contulerunt, ſeque ſibi inuicem certis conditionibus deuinxerunt: Quibus ferè accedit etiam confirmatio atque protectio ſuperiorum ac potentiorum, vt Imperatoriæ maieſtatis, aliorumvè Principum, quemadmodum in ſuperioribus exemplis videre licuit. Cæterum diligenter diſcernendus eſt Ganerbinatus, tùm à pacto quod vocant **Erbeinigung** / & receptum eſt inter familias quorundam Principum, de quo apud *And. Geil* videre eſt, tum à Maioratu & legato familiæ, de quo latè diſputat *Gomeſius in ll. Taurinorum, fol. 198. Arius Pinellus in l. 1. C. de bon. maternis, part. 3. & Fernand. Vaſquius lib. 1. Illuſt. controuer. cap. 8. num. 7. & alibi quoque.* Germani hoc legatum vocant, **Vorſchickungen** / quæ quidem res vſitatiſſima eſt. Sed hoc intereſt inter illas & Ganerbinatum, quod Legata eiuſmodi familiæ potiſſimum ſpectant ac reſtringuntur ad vnam duntaxat familiam eiuſdem nominis, & originis communis, ita vt ſemper natu maior vſumfructum ex ea re prælegata ſibi habeat, quoad viuit; eo defuncto, idem ius ſtatim deuoluatur ad proximum, qui tunc ætate maximus in ea familia fuerit, atque ita deinceps. Ganerbinatus autem latius extenditur, nimirum vt ad diuerſas quoque familias pertineat,

ita tamen, vt vno mortuo, ſuccedat alius ex eadem familia, aut ſi non extet vel nolit, portio deficientis adcreſcat cæteris condominis.

Illud hîc, quando de conſtitutione Ganerbinatus agimus, minimè eſt prætereundum: poſſe aliquem non modò allodialia ſeu patrimonialia ac propria ſua bona ſic alterare, vt fiant bona Ganerbica, ſed etiam feudalia, dummodo in his nullum generetur præiudicium vel Agnatis, qui par ius ſuccedendi in feudis habent (vt in antiquis, & in his quæ ex pacto & prouidentia) vel filiabus in nouo feudo ſuccedentibus, ſi hoc dictum ſit. Fieret autem his maximum præiudicium, ſi legitima ipſarum interuerteretur. Quod autem poſſit quis propria bona ſeu allodia ſua facere Ganerbica, id hac ratione nititur; quia vnuſquiſque rei ſuæ legem quam velit dicere poſſit, vtpote liber eius moderator & arbiter, *l. in re mandata* 21. *C. Mandati.* aliis vero præiudiciũ creare non poteſt. nec enim debet alteri per alterum iniqua inferri conditio, nec cuiquam ſuum ius inuito auferri, per iura vulgò notiſſima. Ita ſcio, Nobilem quendam ditiſſimum cum haberet duo feuda, & plura allodia ſatis lauta agitaſſe apud animum ſuum, tàm illa, quàm iſta conuertere in bona Ganerbica, idque in fauorem adgnatorum (quorum etiam voluntatem & adſenſum ſuper ea re per literas explorabat, adhibiturus etiam conſenſum domini feudi:) & ad familiæ ſuæ conſeruationem: qui tamen nobilis priuſquam excogitata exequi poſſet, & conſenſum ſenioris impetraret, (agnati enim iam lubentes conſenſerant) rebus humanis exemptus fuit.

De iure Ganerbiorum quo cenſeantur, hæc pauca comperi: Nullam inter ipſos & alios vaſallos ferè differentiam eſſe; exceptis illis pactis & conditionibus ſocietatis & fœderis inter ipſos mutui. Quanquam enim aliquis in ipſorum ſocietatem receptus, & cõdominus factus fuit; in aliis tamen rebus perſona ipſius non mutatur, neque deſinit eſſe vaſallus aut ſubditus illius domini, cuius erat ante, quàm in Ganerbinatum daret nomen aut cooptaretur. Quod illam habet rationem, quia pacta inter me & te compoſita non debent tertio

alicui nocere, cum ſint res inter alios actæ. Et licèt interdum totum collegium ſiue corpus condominorum ſua habeat priuilegia & regalia ab Impp. ſibi conceſſa: tamen ea non ſunt ſingulorum cõdominorum, ſed pariter omnium. Sic neque ſtatus imperii (Reichsſtandt) fiunt omnes, tametſi nonnunquam Baronatus & ſimilia feuda poſsideant. Inter ipſos autem Ganerbios pacta conuenta, dummodo non ſint cõtra bonos mores, & contra leges ac ius publicum, proculdubio obſeruãda ſunt, *arg. l. 1. l. 38. cum ſimilib. D. de pact. & l. 1. D. de conſtit. pec.* Solet autem plerumq; inter eos qui ganerbinatum conſtituunt, de eo conuenire inter ſe, vt maximus natu in ea gente ſit adminiſtrator bonorũ, & pro onere adminiſtrationis partem aliquam fructuum ſibi habeat præcipuã, reliqui fructus diuidãtur æquis portionibus inter omnes gentiles & adgnatos, qui quidem ſint puberes, maximè ſi vel ſtudiis vel rei militari dent operam.

Quod deniq; attinet ad modum extinguendi tollẽdiq; ganerbinatus, quemadmodum ſocietas quælibet renunciatione ſocii tollitur, *§. Manet, Inſt. De ſocietate,* ita iſti quoq; fraternitati & confœderationi inter condominos puto poſſe renuntiari ab eo, cui non amplius libet in illa ſocietate & communione ſtare, in qua certè inuitus detineri nemo debet. Similiter etiam à Protectore ſiue domino illius arcis, in qua Ganerbinatus eſt conſtitutus, liberabitur renunciatione, argumento eorum quæ alibi tradita ſunt de refutatione feudi facta à vaſallo.

Hæc de Ganerbiis habui quæ adferrẽ nõ tàm quod vbiq; plenè adquieſceret animus, quam vt aliorũ ſtudia excitarem, didactra libenter debiturus ei, qui plura aut meliora me docuerit. Adhuc enim non potui inuenire qui de hoc iure (quod recèns cuſo vocabulo Ganerbinatum adpellari poſſe dixi) ex profeſſo ſcripſerit. Ne quid autem diſſimulem, nève ingrato ſilentio tegã eorum nomina, quorum inſtructione pleraq; horum cognoui, erudierunt me ἀφθόνως Clariſſimi & Prudentiſſimi exercitatiſſimiq; viri, *D. Philip. Camerar. D. Abel. Straſburg.* & *D. Georg. Remus,* Iuriſconſulti ac Philologi præſtan-

præſtantiſſimi, & Conſiliarii inclytæ Reip. Norimbergenſis. Nec parum quoq; à ſe contulit opt. ſenex, fide & probitate ſpectatiſs. *Matth. Schilberus*, eiuſdẽ Reip. Senatui ab Epiſtolis Secretioribus: Quibus vt alia beneficia refero accepta, ſic quoq; *δίδακτρα* hîc me debere libens meritò profiteor, debiturus & aliis, qui me plura meliorave docuerint.

CAPVT XVIII.

De PRÆSCRIPTIONE *feudi:*

I. D. *Poſtcaquam & de Inueſtitura & de ſucceſſione feudi ſatis dictum, tempus eſſe videtur exponere etiam alios feudi conſtituendi & adquirendi modos, ex quibus tertium ſuperius faciebas caput præſcriptionem, de qua deinceps velim diſſeras.*

M. Probè meminiſti Oeconomiæ noſtræ: quanquam autem ex Interpretibus nonnulli ſunt, qui *præſcriptionem* præmittant *ſucceſſioni*, quod per hanc, ſicut & inueſtituram feudum primò acquiratur, quod prius nullum fuerat: Et præſcriptionem vocant *præſumtam* quandam *inueſtituram*, cum per ſucceſſionem quæratur alicui, quod iam antea quoque fuerat apud eius maiores: tamen parum videtur referre quoad ordinem vel etiam rem ipſam, vtrum præſcriptionem explices ante ſucceſſionem, an contra hanc ante illam: dummodo ſcias hunc eſſe peculiarem ac ſeparatum à cæteris acquirendi feudi modum, in quo omnes interpretes conueniunt. Vt autem diſtinctè procedamus in hoc argumento, quod *Iulius Clarus quæſt.* 45. non immerito vocat intricatum; velim te attẽdere ad quinque diuerſas quæſtiones. Primò enim quærendum eſt, an & quomodo vaſallus feudum adquirat præſcriptione contra dominum, quæ ſola eſt propria huius loci. Secundo, An & quomodo vice verſa ſenior præſcriptione adquirat proprietatem, ita vt is qui prius erat pleno iure dominus fundi, fiat alterius vaſallus. Tertiò, An & quomodo dominus ſiue ſenior præſcribat libertatem prædii feudalis contra vaſallum. Quar-

tò, an etiam vaſallus proprietatem feudi contra dominum ſibi acquirere poſſit præſcriptione. Quintò & vltimo, an feudum in extraneum alienatum a vaſallo abſque conſenſu domini & agnatorum præſcribi ab eo poſſit. Agnoſcis ipſe, multum intereſſe inter has quinque quæſtiones. Nam primæ duæ pertinent ad feudum conſtituendum; reliquæ vero ad extinguendum & tollendum. De his igitur ordine ſi lubet, me interrogare poteris.

2. D. *Faciam: ſed illud mihi prius velim explices, quomodo dicatur feudum præſcribi, ſiue per præſcriptionem adquiri, cum præſcriptio non tàm ſit acquiſitio rei, quàm exceptio actionis?*

M. Verum eſt præſcriptionem propriè loquendo nihil aliud eſſe, quam exceptionem, quæ opponitur actioni ad eam elidendam & ſubmouendam, exemplo Græcorum, qui eodem modo dixerunt παραγραφήν. Sic Tertullianus librum ſcripſit De præſcriptione aduerſus hæreticos, quo in libro varias exceptiones perſecutus eſt, quibus Chriſtiani Orthodoxi & Catholici aduerſus hæreticorũ inſultus ſe munire ac tueri poſſunt: Et notauit eruditiſſimus *Cuiacius initio tractatus ſui de diuerſis temp. præſcriptionibus. Vide & Donellum li. 5. comment. cap. 4.* Verùm tamen receptum eſt vulgò, vt etiam præſcriptio perinde vt vſucapio dicatur modus acquirendi, *argum. tit. Inſtit. De vſucap. & long. temp. præſcript. & §. Ex his itaque. Inſtit. per quas perſon. & l. 21. ei à quo, in fin. D de vſucapionib.*

3. D. *Quomodo igitur vaſallus feudum præſcribit aduerſus dominum, quæ erat prima in hac re abs te propoſita quæſtio?*

M. Si quis per triginta annos rem aliquam vt feudum poſſederit, & ſeruitium domino exhibuerit, quãuis de ea re non ſit inueſtitus, præſcriptione tamen 30. annorum ſe tueri poteſt, quæ regula ſumitur ex §. *ſi quis per triginta, tit. 26. lib. 2.* eandemq; *probat Accurſ. ad tit. vlt. lib. 1. feud in verbis, per triginta annos,* & de ea quidam, (vt & *D. Hotom.*) accipiunt quoque textum in *tit. 33. in prin. lib. 2. feud* Quamuis *Accurſ.* ibidem in verbis, *aliquo tempore*, rectè moneat, eum locum poſſe intelligi de vno

anno,

anno,ſiue de ſcientia & patientia domini annua,vt habetur in §.*fin.tit.26.lib.* 1. qua de re mox latius dicetur. Obſeruabis autem in ſuperiore regula haſce quatuor conditiones,ſiue hæc quatuor requiſita. I. Oportet vt res fuerit poſſeſſa. II. Vt fuerit poſſeſſa tanquam feudum ſiue animo vaſalli,ſiue iure & titulo feudi,non alio. III. Vt per triginta annos. IV. Vt poſſeſſor ſeruitium exhibuerit domino ſiue obſequium feudiſticum præſtiterit. His, inquam, quatuor coucurrentibus, vera eſt præſcriptio; quæ hunc habet effectum, vt perinde quaſi inueſtitura interueniſſet (quæ reuera non interuenit,ſed præſumitur tantum,) poſſit vaſallus tanti temporis præſcriptione ſe aduerſus dominum tueri,ſi is fortè neget, rem feudalem eſſe & pleno iure ſibi vindicare velit. *Vid. & Modeſtin. Piſtor. conſil.* 31. *volum.*2.

4. D. *Priusquam pergas quaſo hac requiſita ſeu conditiones iſtas breuiter mihi explices?*

M. Quædam horum facilè intelligere poteris ex iis quæ dicta ſunt ad *tit.Inſtit.De vſucapion.*vt nouā explicatione ferè opus non eſſe videatur. Verbi gratia: Primò dicebam requiri poſſeſſionē. nam ſine hac neq; vſucapio,neq; præſcriptio contingit,aut procedit.*l.*25. *D.de vſucap.c.*3.*de R.I.lib.*6. Nec ſatis eſt poſſeſſionem inchoatam fuiſſe, niſi etiam cōtinuata fuerit:nam interrupta non proderit ad vſucapionē aut præſcriptionem. Vnde ſic inſcribitur *tit. in ff. De vſurpationibus & vſucapionibus.* Quot autem modis interrumpatur ſeu vſurpetur poſſeſſio,aliàs audiuiſti,& exponitur à *Petro Peccio ad d. cap.* 3. Atq; hanc continuationem putant interpretes ſatis indicari ipſa particula (*per*) ſequuti *Accurſ.ad d.*§. *ſi quis per* 30.*n.*2.Obſeruabis autem,quēadmodum iure ciuili vtilitatis cauſa recepta eſt acceſſio poſſeſſionum,vt dixi ad §.*Diutina, Inſtit. De vſucap.* ita etiam in feudis eandem habere locum. *argumento* §.*ſtrenuus,tit.*1.*lib.*2. Secundò,dixi oportere, vt res titulo feudi;pro feudo,animo vaſalli ſiue vt feudum fuerit poſſeſſa. Nam ſi alio titulo,puta,pignoris,fundum aliquis poſſederit, non poterit eum pro feudo vſucapere,ſiue ius feudi in eo præſcribere, ſed ius erit domi-

tii & præſtationem, non videtur recipiendum; cum idem potius vtrumq; valeat.

5. D. *Sed quid ſibi vult quod de vno anno dicitur in §. fin. t. 26. lib. 1. ſi vnus annus ſufficit ad acquiſitionem feudi, quorſum requirimus triginta?*

M. Quod de anno ibi dicitur, de quo & Accurſ. interpretatur textum *tit. libr. 2. in verb. aliquo tempore*, id nihil pertinet ad præſcriptionem feudi, de qua nos hîc agimus; ſed ad conditionem iuriſiurandi deferendam vaſallo, qui ſciente & patiente domino per annum in poſſeſſione feudi fuit, vt is domino fortè inueſtituram negante iuret, ſe vel patrem ſuum de eo inueſtitum fuiſſe. Ab eo autẽ qui per triginta annos rem pro feudo poſſedit, & ſeruitium inde præſtitit, non exigitur huiusmodi iuſiurandum, quia inueſtitura ex tam longâ patiẽtiâ domini interueniſſe præſumitur. *vid. Zaſ. d. p. 6. ſub n. 31. Fornerium c. 5. de feud. in verſic. Non obſtat quod de vnius anni ſpatio dicitur. vid. etiã Franc. Balb. in tract. de præſcript. p. 4. q. 11. n. 2.*

6. D. *Rurſum obiicitur ex cap. quodam extraordinario, quod incip. In beneficiis, vbi dicitur ius adquiri longi temporis præſcriptione. Non igitur 30. annorum, quæ dicitur longiſſimi tempor. præſcriptio, cum longi tẽporis præſcriptio tantum ſit vel 10. vel 20. annorum, teſte Paullo libr. 5. ſent. t. 2. & t. 8. & tot. t. C. de præſcr. longi temp.*

M. Poſſet quis reiicere auctoritatẽ huius capituli, vt quod tanquã extraordinarium non ſit receptum in foro. Sed ſi quis omnino illud vrgere velit, argumẽto eorũ quæ ſcribit *Hart. Piſtor. lib. 2. quæſt.* 13. *n.* 59. alterâ vtar reſponſione ex ipſo textu illius capituli deſumptâ; nempè, ibi agi de bonæfidei poſſeſſione, quæ contẽta eſſe poteſt longo tempore, id eſt, decem vel viginti annis. At longiſſimi temporis præſcriptionem, de qua nos agimus, etiam procedere Iure ciuili cum mala fide, *l. 3. C. de præſcript. 30. vel 40. an.* Dixi, *I. ciuili*, nam aliud eſt iure Canonico, quo poſſeſſor malæ fidei nullo vnquã tempore præſcribit. *c. 2. & ibi Dynus, Petrus Peck. & alii de R. Iur. in 6. c. 5. vigilanti. ext. de præſcr.* Præterea ibi facta eſt inueſtitura in feudo alieno à nõ domino: nos autẽ loquimur de eo caſu, quo nulla in-

teruenit inueſtitura. Quæ cum ita ſint, non poſſum probare quod ſcribit *Iul. Clarus quæſt. 29. & repetit q. 45. n. 1.* ſi quis diuturno tempore, id eſt, per decem annos poſſederit rem aliquam vt feudum, per talem curſum decẽnii præſumi prçceſſiſſe ſolemnem conceſſionem feudalem. Quod quia manifeſtè repugnat *d. §. ſi quis per triginta.* merito etiam aliis diſplicuit. De hac porrò præſcriptione iuris feudalis, factâ a vaſallo contra dominum, alias etiam quæſtiones mouet *Accurſ. ad d. §. ſi quis per* 30. de quibus remittit nos ad *l. pen. & quæ ibi notantur Cod. de præſcript. 30. vel* 40. Vnde tu quoque, cum vſus inciderit, earum reſolutionem petere poteris. Illud hoc loco non eſt prætereundum, hanc tricennalem præſcriptionem, quæ à Theodoſio Iuniore introducta eſt, eleganter à *Caſſiodoro libr. 5. var. epiſtol.* 37. vocari *patronam generis humani*, quia nimirum adfert finem controuerſiarum, & velut ſecuris eſt litium: Quam ob cauſſam ipſa quoq; vſucapio bono publico introducta eſſe dicitur, *l. 1. D. de vſucap. l. vlt. D. pro ſuo.* Meminit eius tricennalis præſcriptionis etiam Sidonius Apollinaris, apud quem non rectè *lib. 8. epiſtolar.* aliqui legere voluerunt, *triennalem*, cum verum ſit, *tricennalem.* Atque hæc de prima quæſtione, id eſt, quomodo vaſallus præſcribat ius feudi contra dominum.

7. D. *Sed quid iuris eſt in rebus Eccleſiaſticis, ciuitatum ſiue reipublicæ & regalibus, an etiam in his feudũ præſcribitur triginta annis?*

M. Immo contra Eccleſiam & rempubl. communiter volunt Dd. non præſcribi feudum, niſi quadraginta annorum curriculo, & contra Eccleſiam Romanam requirunt etiam centum annorum lapſum. *vide Zaſ. p. 6. num. 31. & Franciſc. Balbum d. quæſt. 12. n. 4. Mynſing. cent. 4. obſ. 29.* In qua ſententia etiam eſt *Guil. Fornerius cap. 1. de feud.* cui adhærendum puto, quamuis non ignorem quoſdam exiſtimaſſe quod hîc quoque ſufficiant triginta anni: Quos nuperrimè ſequutus eſt amicus noſter *Henricus Bocerus claſſe 4. diſput. 14. n. 47.* tribus allatis rationibus, quas ibi videre licet. De centenaria porrò ſiue ſeculari præſcriptione, qua ſola

Eccleſia Romana gaudere dicitur,vide *Auth. Quas actiones,C. de Sacroſanct.Eccl.& c.vlt.16. quæſt. 3. cap.13.ad audientiam,& c. ſeq.extra de præſcriptionibus, vbi Cuiac.* Ad regalia quod adtinet præſcribenda,requirunt tempus immemorabile.

8. D. *An ergo & ſenior ſiue dominus proprietatem præſcribit contra vaſallum, vt is amiſſa proprietate iam incipiat eſſe vaſallus alterius?*

M. Maximè, hoc enim poſtulat natura correlatiuorum. Si quis igitur à me per triginta annos ſeruitia adceperit pro fundo aliquo,tanquam is feudalis eſſet;iã feudalis eſſe incipit, licèt antea pleno iure meus fuerit. Tanti enim temporis lapſu amiſſâ proprietate ſiue directo dominio vtile tantum retineo, vt ex non vaſallo efficiar vaſallus.vide *Zaſ.p.6.n.35.Clar. quæſt.19. & 45.Mynſinger.d.obſ.*29.Et plures ad hanc rem allegat *Henric.Roſenth.de feudis cap.6.concluſ.*148.eaque res difficultatem nullam habet.

9. D. *An etiam dominus libertatem feudi præſcribere poteſt contra vaſallum?*

M. Poteſt,ſi videlicet rem per triginta annos pro libera poſſederit, nemine ab eo inueſtituram illius poſtulante. Etiamſi enim poſt tanti temporis lapſum aliqui veniant,& ad ſe tanquam proximos defuncti vaſalli agnatos feudum illud pertinere prætendant, non ſunt audiendi, ſed poterit eos dominus repellere triginta annorum ſiue longiſſimi temporis præſcriptione. Ita *Zaſ.p.6.de feud. n. 33. ex doctrina Baldi, Præpoſiti & Guli.de Cune.*eaque ſententia in Camerâ imperii recepta eſt,teſte *Mynſingero cent.* 7. *obſ.* 28. Sed hîc illud memineris,agnatis non antè incipere currere præſcriptionem,quàm ipſis ius acquiſitum ſit in feudo, id eſt, mortuo vaſallo,vel aliàs feudo ob culpã priuato.Nam nota eſt regula: Agere non valenti præſcriptioné non currere.*l.*1.*§. Ne autem,C.de annali except.l.* 1.*C.de diuerſis temp.præſcript.* cuius ratio eſt æquiſſima;quia vbi nõ adeſt negligentia, quæ alicui imputari poſſit, ibi non debet eſſe pœna. *arg. l. Sancimus. C. de pœnis.* Iam verò agnatus viuente vaſallo ad feudum agere non poteſt. *§. donare, tit.9.lib.1.feud.§. Titius filios.tit.26. lib.2.& tit.*

31. & 37. *cum ſimilibus.* Viuentis enim nulla eſt hereditas: *l.* 1. *D. her. vel act. vend.* Huic ſimile eſt, quod Iure ciuili poteſt qui ſeruitutem aliquam vrbanam debet, libertatem prædii ſui vſucapere, *l.* 4. §. *fin. D. de vſucap. l.* 6. *D. vrb. prædior.* Item, quod vſusfructus non vtendo amittatur, & cum proprietate conſolidetur, vt audiuiſti ad *tit. Inſtitut. de vſufructu.* quamuis hæc non eſt dicenda vſucapio vel præſcriptio, quæ non habet locum in iis quæ amittuntur non vtendo, vt docet *Paullus libr.* 1. *ſent. tit.* 17. *vide Cuiac. in l. ſequitur, & in l. Iuſto. D. de vſucapionibus, & Hotoman. de feud. cap.* 20. cumque vnaquæque res ſui naturâ ſit libera, *arg. l.* 8. *C. de ſeruitut. & aq.* facilè ad ſuam naturam reuertitur, *arg.* §. *cum in ſuo ſolo. verſ. Quod ſi aliqua, Inſtit. De rerum diuiſ.* Atque hæc de libertate feudi à domino contra vaſallum præſcribenda, quæ omnia intelligere debes de eo caſu, quo dominus feudum poſſidet. Nam ſi vaſallus rem poſſideat, etiamſi per triginta annos nullum domino præſtiterit obſequium, quia fortè non petebatur, nec ipſe ſe offerebat (quod facere nō cogitat) tamen nullo tempore poterit dominus libertatem prædii ſui præſcribere, §. 1. *tit.* 21. *libr.* 1. *feud.* §. *Etiamſi vaſallus, &* §. *licet vaſallus, tit.* 26. *libr.* 2. *feudor. Hotom. d. cap.* 20.

10. D. *Poteſtne etiam vaſallus proprietatē vel directum dominium præſcribere contra dominum?*

M. Non poteſt: Tum, quia licèt poſſeſſio per beneficium ad eum pertinere dicatur. §. *vlt. tit.* 8. *libri ſecundi.* tamen nō poſsidet pro ſuo, ſed pro alieno, id eſt, non animo domini, ſed tanquam vaſallus non ſibi, ſed alteri poſsidet: quo caſu non procedit præſcriptio, *l.* 2. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *an.* Tum quia eſt in mala fide, id eſt, ſcit rem eſſe alienam: Mala aūt fides vſucapionem impedit. Et quamuis iure ciuili longiſsimi tēporis poſſeſsio etiam cum mala fide procedat, tamen aliud eſt iure canonico conſtitutum, *c.* 3. *de Reg. Iur. in* 6. *cap.* 5. *vigilanti, & cap. vlt. extra de præſcript. vt & ſupra monui.* Cuius iuris diſpoſitionem hîc magis ſequendā interpretes tradiderunt. Iisdem de cauſsis nec Emphyteuta poteſt proprietatem præſcribere; Neq; conductor ſeu

procu-

procurator alienarum rerum. *l.* 12. *cum ſponſus*, §. *In vectigalib. D. de Publiciana. l.* 7. §. *vlt. C. De præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.* Neq; vſufructuarius rei in qua vſumfructũ habet. §. *Idem placet. verſic. fructuarius. Inſt. Per quas perſon. l.* 8. *Cod. de vſufructu. l.* 10. *in fin. D. de acq. rer. dom.* Neq; creditor rem ſibi obpignoratam. *l.* 10. *Nec creditores, C. de pignor. act.* Recteque ſcribit *Fornerius cap.* 5. *de præſcriptione feudi*, Præberetur anſa perfidiæ, ſi hoc caſu admitteremus præſcriptionem, cum à ſociis coniunctisq; perſonis minus nobis caueamus, & facilius nobis obrepere poſsint, noſtramq; rem à nobis neglectã & iacentem intercipere, ſibiq; vſurpare.

11. D. *Sed de vectigalibus ſiue Emphyteuticis prædiis quod dixiſti, obſtare videtur l.* 15. §. *ſi de vectigalibus, D. de damno infecto.* Vbi dicitur per longũ tẽpus acquiri poſſe ædes vectigales, i. emphyteuticas, quarum in poſſeſſionem ex cauſſa damni infecti quis miſſus eſt.

M. Variæ ſunt ad hanc antinomiam reſponſiones. Reſpondet Accurſius quod videre potes in gloſſa vtriusq; legis, ſed illa mihi omniũ veriſsima videtur ſolutio, quã & Hotom. probat *c.* 20. *de feud.* ipſum quidem emphyteutã vſucapere non poſſe, aliũ verò poſſe. Ita *Accurſ. ad d.* §. *ſi de vectigalib.* Quomodo etiã prædium vſufructuarium, licèt ab ipſo vſufructuario nõ poſsit vſucapi, tamẽ ab alio, qui ab eo nactus eſt cauſam, poteſt. *l.* 36. *D. de vſu & vſufruct. leg.* Et manifeſta eſt diuerſitatis ratio, non enim in re eſt vitium, quod vſucapionem prohibeat, ſed in perſona tantum, quâ mutata, i. re translata in bonæ fidei poſſeſsionem, nihil amplius eſt quod obſtet vſucapioni, quo min⁹ procedat.

12. D. *Cum igitur, quod facilè concedo, nõ poſſit vaſallus contra dominum præſcribere proprietatem prædii feudalis, an non ſaltem præſcribet ſeruitia feudalia ſiue immunitatem & libertatem ab illis, ſi dominus per longiſſimũ tempus nulla ab ipſo exegerit?*

M. Non poterit vaſallus ne quidẽ libertatẽ acquirere ſeruitiorũ feudalium, etiamſi per triginta annos neque ipſe aliqua obtulerit domino (quod vt paulo ante dixi, facere non cogitur) neque dominus eum de ipſis ſibi præſtandis interpellauerit, fortè quia

non indigebat. Eademque ratione nec ciuitas, quæ principi ſuo militare ſubſidium præſtare debet tempore belli, eius libertatem præſcribere poterit aduerſus principem, qui diutiſſimè nullum exegit ſubſidiũ, nullâ videlicet vrgente neceſſitate exercitus colligendi. Ita ex doctrina *Bartoli ad l. In filiis, n. 2. C. de agricolis & cenſitis, lib. 11. annotant Andr. Geil. lib. 2. obſ. 60. n. 4. & 5.* Onera (inquiunt Imperatores) etſi neceſſitas nõ exigit, tamen patria non remittit. quædam enim, vt ibidem ait *Accurſ. ex l. Ei fundo. D. de ſeruitutib.* haberi poſſumus, etſi nobis vtilia non ſint, id eſt, quamuis nõ aſſiduè iis vtamur. Accedit quod ea quæ meræ ſunt facultatis, (vt exigere ſeruitia vel non exigere) nullo vnquam tempore præſcribi dicuntur, neq; amitti non vtendo, *c. vlt. vbi gl. extra de priuilegiis. vide Roſenthal. De feud. c. 6. concl. 156. & ſeq.* Alii tamen putant præſcriptionem liberationis currere, ſi dominus cum indigeret operâ vaſalli, aliorum auxiliis inſuper deſtitutus, tamen per triginta annos vaſallum non interpellarit, atque ita effecerit, vt ipſi aliqua deſidia imputari poſſit; vaſallus autem fuerit in bona fide, credens ſcilicet non eſſe feudum, ſed allodium; puta, quia in alterius ius ſucceſſerat, ideo probabili ignorantia ducebatur: *arg. l. qui in alterius, D. de reg. iur.* quæ ſententia probabilis mihi videtur. vide *Franciſc. Balbum de præſcript. d. quæſt. 12. n. 15. & ſeq.*

13. D. *Reſtat ex ſuperiori diſtributione vltima explicanda quæſtio, an videlicet feudum à vaſallo abſque conſenſu domini & agnatorum alienatum poſſit præſcribi triginta annis ab extraneo, ſiue tertio, in quem alienatio facta eſt?*

M. Nobiliſſima ſanè hæc quæſtio eſt, quæ rurſum bipartita conſtituenda eſt. Aut enim hoc quærimus, an præſcriptio valeat contra dominum: Aut de agnatis quæritur, an illis obſtet. Dicam prius de domino. Eſt autem hac de re maxima inter gloſſographos, & Dd. contentio atque altercatio: An exceptio triginta annorum obſtet domino volenti vindicare bona feudalia per vaſallum abſque ſuo conſenſu alienata, vel quæ vaſallus ab alio vſucapi patitur. nam & hæc ſpecies

cies quædam eſt alienationis, *l. 28. D. de verb. ſignif.* Alii aiunt, alii negant. Vtriusque partis auctores & ſectatores vide apud *Vurmſerum tit. 57. obſ. 13. num. 1. & 2. & apud Franciſc. Balbum d. quæſt. 12. num. 9. & 2. ſeqq. Item apud Iohannem Angelum de Biſutio in conſilio quodam quod eſt inter reſponſa Zaſii libr. 2. conſil. 15.* Quidam diſtinguunt inter ſcientiã & ignorantiã domini, vt contra eum quidẽ qui ſcit alienationẽ feudi, currat præſcriptio 30. annorũ, contra ignorantẽ non currat; quã diſtinctionẽ cõmuniter reprobari teſtatur *Vurmſerus d. loco in fine*, vtpote cõtrariã textui in *§. præſcriptione autẽ, tit. 9. li. 2. feud.* Alii deniq; diſtinguunt inter eum qui bona fide poſſidet rem feudalem a vaſallo, & inter eum qui mala fide, vt ſcilicet ille pręſcribat contra dominum per 30. annos; hic non niſi tempore immemoriali, cuius in contrarium memoria non extet. Diſtinguunt quoq; quidam inter primum emtorem bonæ fidei & ſecundum ſimiliter bonæ fidei; & illum quidem volunt præſcribere 30. annis; hunc autem decem vel viginti. Ita *Schraderus par. 5. cap. 4. num. 9. & 11.* Inter eos qui aiunt, domino præſcriptionẽ 30. annorum obſtare, eſt etiam *Cuiacius lib. 4. feud. tit. 49. & in fine lib. 5. feud. ad Nou. Conſtantini De prædiis militaribus, eiusque fidelis diſcipulus D. Borcholdus cap. 7. de feud. p. 3. num. 13. cum 3. ſeqq. in quo ſequuntur gloſſam ad §. Præterea, tit. 40. libr. 2. feud.* Ad textus autem in *d. §. Præterea. & in c. imperialem, tit. 55.* vbi dicitur, nullã obſtante præſcriptione: item nullius temporis præſcriptione impediente poſſe dominum reuocare omnes alienationes feudi, ſine ſuo permiſſu factas, ita reſpondent: ibi tantum prohiberi ſeu excludi longi temporis præſcriptionem 10. vel 20. annorum: quam ad rem adducunt auctoritatem Guntheri libr. 8. qui conſtitutionem Friderici prohibitoriam alienationis feudi, id eſt d. tit. 55. paraphraſi poëtica illuſtrauit. Is enim longi temporis præſcriptionem nominat. Verſus hi ſunt:

Si quis habens feudum, pretio ſeu vendere totum
Seu pro parte velit, dominiq; licentia deſit;
Seu dare ſeu vadio ſupponere cogitet, illud

Qui dedit amittet; nec qui ſuſcepit habebit,
Nullaq; vel longi præſcriptio temporis obſtet,
Quò minus ad dominum redeant translata priorem.

Ita illi. Mihi longè alia mens eſt, & contrarium verius videtur, quod pace diſſentientium, quorũ memoriã veneror, dictũ velim. Habeo aſſentiẽtes nõ ſolum veteres illos patres, *Pileum, Ardizonẽ, Iſerniã, Hoſtienſem, Socinũ, Lud. Romanũ,* & alios quos allegat *Iohannes Angelus de Bſutio in d. conſil. 15 num. 11. & 43.* ſed etiam recentiorum aliquos, vt *Matth. de Afflictis ad §. preterea, de capitulis Conradi. item in deciſ.* 254. *Iul. Clarum quæſt.* 45. *num.* 2. & 4. *Duarenum de feud. cap. 8. num. 4. Fornerium cap. 5. in fin. Hotoman. cap. 20. prope finem & Giphanium in tractatu de feudis, ſub cap. de præſcriptione feudi*: quibus acceſſit deniq; *And. Fachineus libr. 7. controu. iur. c. 61. Et Iul. Clar.* quidẽ d. loco, ſcribit, poſſeſſorem rei feudalis irrequiſito domino alienatæ, non poſſe eã prȩſcribere cõtra dominũ ſpatio triginta vel 40. annorũ; ſed tantùm per curſum centum annorum. Nec dubitat ibidẽ dicere, hanc reſolutionẽ eſſe magis cõmunem: cuius rationem aſſignat hanc; quia poſſeſſor, cui ius commune reſiſtat, non ſit audiendus, ſi alleget præſcriptionem. Fornerii hæc ſunt verba: Quod dicitur tit. 55. dominum reuocare poſſe alienationem feudi, nullâ præſcriptione obſtante; id nonnulli ita diluunt, vt præſcriptio intelligatur 10. vel 20. annorum, non triennalis: quod mihi non placet. Itaq; verius eſſe crediderim, hanc quoq; tricennalem intelligi ac reiici, quoties feudum contra præcepta legum, dominiq; voluntatem alienatur, vt ſingulare ſit, nullâ poſſeſſione, nullâ exceptione domini directi ius conuelli poſſe. Nam cum malæ fidei poſſeſſori non ſuffragetur, malȩ autem fidei poſſeſſor ſit is qui contra leges & interdicta mercatur, *l. 7. C. de agricolis & cenſitis*; non dubium eſt alienati contra Impp. conſtitutiones feudi præſcriptionẽ defendi non poſſe. Hotomannus eodem modo ait, hîc in re feudali omnem præſcriptionẽ remoueri, quomodo iure ciuili per legem Iuliam repetũdarum. Nimirum hoc vult dicere, legẽ eſſe impedimento huic vſucapioni ſeu præſcriptioni, vt loquitur *Bona Fides,*

D. de

D.de Reg.iur.& lex hoc ipſo quod prohibuit alienationẽ feudi inuito domino, etiam vſucapionẽ prohibuiſſe videtur, *arg.d.l.28.D. de verb.ſig.* atq; ita vitio quodã ipſam rẽ affeciſſe, perinde vt *l.12. Tabb.& l. Attinia, itẽ l.Iulia & Plautia*, cũ prohibuerũt vſucapi res furtiuas & vi poſſeſſas *§.furtiua, Inſt.de vſuc.* Idẽ tamẽ Hoto. poſterius putat totũ iſtud ius fuiſſe abrogatũ per conſtitutionẽ Frider. II. quæ extat *li.3.conſt.Neapolitanar.tit.38.* qua admittitur tricẽnalis præſcriptio feudi: ſed ex hoc ipſo ſatis adparet, conſtitutionem *Frid. I.* ſic accipiẽdam eſſe, quod in ea prohibeatur & remoueatur etiã triginta annorum præſcriptio. nam alioquin altera illa conſtitutione Friderici II. non fuiſſet opus.

14. D. *Vt tanto melius poſſim aliquãdo ſuſcipere veritatis defenſionẽ in tanta multitudine diſſentientium, quæſo mihi & fundamenta plura huius ſententiæ commoſtres, & doceas me, quo pacto ad locum Guntheri, quo Cuiacius aliiq; nituntur reſpondendum ſit?*

M. Nihil ferè amplius deſiderabis, ſi prædictum in hac materia conſilium pulcherrimum apud Zaſium relegeris, niſi quod Guntheri nullam ibi mentionem facit, qui eo tẽpore recens lucẽ aſpexerat; fortaſſe nõdum viſus eius cõſilii auctori. Rationes autẽ ſententiæ noſtræ potiſſimum ſunt iſtæ, quarum vberiorem explicationẽ ex illo conſilio licet petere. Primùm, quia Impp. vniuerſali oratione vtũtur, *Nulla obſtante præſcriptione:* Item, *Nullius tẽporis præſcriptione impediente, d. t. 40.& t.55.lib.2.feud.* Quare cum ll. generaliter loquentes etiam generaliter ſint accipiendæ, valde profectò inconueniens eſſet, & cauillationi proximum, ea verba reſtringere tantùm ad præſcriptionem longi temporis. nam vbi textus non diſtinguit, neq; noſtrum eſt diſtinctionem adhibere: & qui totum dicit vel negat nihil excludit. Secundò, quia ſi dicamus tantum prohibitam eſſe eo loco præſcriptionem longi temporis, id eſt, decem vel viginti annorum, nondũ plenè ſatisfactũ erit fini, ſcopo & cõſilio legiſlatoris: Voluit.n. Imperator cõſulere vtilitati publicę totius regni, vt ea incorrupta perſiſteret. Imminueretur autẽ & violaretur illa, ſi liceret alienare feuda, & alienati feudi reuo-

catio excluderetur præſcriptione, non quidē decē vel 20.ſed tamen 30. annorum. Quid ita? Quia non amplius poſſent vaſalli cum dominis ſuis expeditionem ſuſcipere, neq; ſubſidium & adiutoriũm militare ipſis præſtare, quas hoſtenditias Feudiſtæ vocant. Hæc vtilitas æquè militat in longiſſimi atq; in longi temporis præſcriptione. Tertiò, quia Imp. voluerũt ſuas illas cõſtitutiones prohibitorias perpetuò & in omne æuum valere: Ergò contra alienationē ab ipſis prohibitam nulla ne lõgiſſimi quidē temporis præſcriptio currere debet. Quarto, quia abſurdum foret dictu, conſtitutionē Friderici I. quę extat *d.t.55.* fruſtratoriè promulgatam eſſe. planè autem fruſtratoria & ſuperuacanea eſſet, ſi tantùm excluderet 10. vel 20. annorũ præſcriptionem, non etiam 30. quia illa iam ante erat excluſa. fuiſſet enim ab omni ratione alienum, vaſallum quidem 30. annis præſcribere ſuum ius, quod vocant vtile dominium, idq; tanto tempore dominum perdere, & eundem citiùs amittere, vel plenum dominium vel directũ, cum tamē in hoc maius verſetur præiudicium. Quare vt hoc abſurdum effugiamus, ſtatuendum eſt, per conſtitutionem illam Friderici prohiberi præſcriptionē aliquam quæ ſit vltra vicenariam, id eſt, etiam longiſſimam, nempe triginta vel quadraginta annorũ, quæ antea in feudis erat recepta, & domino obſtabat alienationē reuocare volenti, alioqui noua illa conſtitutio nihil operabitur, cũ tamen cõſtet ex ipſius Friderici conteſtatione, quod voluerit pleniùs ac pinguius prouidere dominis quã antea fecerat Lotharius. Quintò, quia actio in perſonã, qua dominus vaſallũ cogere poteſt ad recognoſcendũ feudum & fidelitatē pręſtandam, non niſi 30. ann. pręſcribitur, *arg. l. ſicut. & l. vlt. C. de præſcript. 30. vel 40. an. l. 1. & ibi gl. in verb. triginta, D. de conſtituta pecunia.* Ergò nõ poteſt citiùs præſcribi proprietas contra dominũ, puta 10. vel 20. annis. Eſſent. n. pugnantia, aliquē priuatum eſſe dominio, & tamē adhuc retinere actionē, qua cauſam dominii ſibi conſeruet. Sextò, quia etiã alienatio feudi ad pias cauſas facta vltra triginta annos reuocari poteſt, ſi vaſallus ſcil. feudum iudicauerit pro anima, vt feudiſtę loquuntur.

nam

Digitized by Google

nam legatis ad pias cauſſas Iure ciuili tantùm quadraginta annorũ obſtat præſcriptio.§.*pro temporalib. Nou. de Eccleſiaſticis titulis.* Voluit ergo Fridericus etiã longiſſimã præſcriptionẽ excludere, cum & antea minor præſcriptio hoc caſu nõ curreret: alioqui planè ſuperuacanea eſſet ipſius conſtitutio. Septimò, argumẽtum ſumi poteſt ex particula (*hactenus*) vſurpata ab Impp. *d.t.*55.quã volunt Dd. cõprehendere tẽpus 40. & vltra annorum.*c.venerabilis.& ibi Dd.c.cum ex officii.extra.de præſcriptionibus.* Videtur ergo etiã quadraginta annorum præſcriptio hoc caſu ſublata. Fateor tamen hoc fundamentũ paulò imbecillius eſſe, ſicut & illud octauum, quod ducitur à fortiori, hoc modo: In feudis ſublata eſt præſcriptio 10.vel 20.annorũ, vt gloſſa & plerique omnes Dd.fatẽtur: Ergo multo magis ſublata cẽſeri debet præſcriptio 30. vel 40.annorũ.Cõnexi ratio, quia illa eſt fauorabilis, vtpote quæ habeat titulum & bonam fidẽ; hæc vero eſt odioſa. Si ergo tollitur quod eſt fauorabilius, multo magis ſublatum cenſeri debet quod eſt odioſum. Sed, vt dixi, hoc argumentum infirmius videtur, quo tamen *Iohan. Angelus d. loco* etiam inter cætera vſus eſt: nimirum, vt *Quæ non proſunt ſingula, multa iuuent.* Verum vbi firmiores adſunt multo melius conſulit cauſæ, qui inferiores prætermittit, ne etiam benè firmas reddat ſuſpectas. Nona ratio hæc eſſe poteſt; quia omnis alienatio feudi eſt prohibita, *d.tit.*55. Ergo etiã omnis præſcriptio, *arg.l.*28.*D. de verb.ſig.* Si omnis præſcriptio: ergo etiam triginta & quadraginta annorum, non tantùm decem & viginti: quia hæc non eſſet omnis præſcriptio, ſed tantùm lõgi temporis. Decimò, vbi eadem ratio militat, ibi idem ius ſtatui debet. Atqui in prohibenda præſcriptione feudi 30. annorum eadem ratio militat, quæ in prohibitione præſcriptionis longi temporis. Nam æquè aduerſatur vtilitati dominorũ feudi & publicæ totius imperii Romani præſcriptio longiſſimi tẽporis atq; longi: Ergo de illa idẽ fieri debet iudiciũ, vt ſcilicet dicamus, tam eſſe ſublatã atq; excluſam longiſſimi tẽporis quàm longi præſcriptionẽ. Accedat vndecimo gloſſæ autoritas in *tit.* 8. *libr.* 2. *in verbis, per longa tem-*

pora:vbi ait,idem eſſe intelligendum de longiſſimo tẽpore,maximè hodiè;quia alienatio videturprohibita: vt ita poſſimus gloſſam gloſſæ opponere, cum in alio loco contrarium ſtatuat, nempe in §. *præterea*, *tit*. 40. *lib*.2.in qua etiam ponderandum eſt verbum finale,(*vt puto*) quod certè non tam affirmantis quam hæſitantis eſt. Cum ergò ipſa gloſſa ibi non firmet pedes, vt dicitur, lubrica etiam veſtigia eſſe neceſſe eſt eorum qui illam ſequuntur,cum præſertim ipſi textui vim faciat. Eſt autem & à gloſſa & à communi opinione recedendum, quoties vel falſæ ſunt,vel probabilibus rationibus conuinci poſſunt, vt præclarè docetur à *Ioh. Angelo in d.conſil.* 15. *nu.* 43. Et maſcula eſt vox *Zaſii in commentario ad* §. *Rurſus,n.*28.*Inſtit.De actionibus*. Ego, inquit, in nullius verba iuraui, a nullius fune pendeo: id quod mihi ex textibus fundatũ videtur, hoc ſequor, ſecurus opinionum huius vel alterius. Quam in ſententiam idem alibi quoq; multa ſcribit, maximè in ſingularibus intellectibus.

15. D. *Intellexi fundamenta ſententiæ illius, quæ vult, dominum non excludi præſcriptione triginta annorum, quò minus poſſit reuocare feudum à vaſallo alienatum. Sed nonnullos mihi ſcrupulos iniicit gloſſa d.* §. *præterea,tit*.40. *quæ ne videatur ſine ratione in contrarium diſcedere, aliquot indicat argumenta quibus moueatur. Hæc igitur velim paucis diluas, atque ita ſcrupulum mihi omnem exemeris.*

M. Nihil te moueant,quęcunq; in contrarium afferuntur.nam primò nihil obſtat quod dicitur,Omnẽ actionem excludi ſpatio 30.vel 40.annorum, *l. Sicut,l. omnes,C.de præſcript.*30.*vel* 40.*an*.id .n. de illis eſt intelligendum, quibus antea nulla fuerat præfixa meta: non autem eſt trahendum ad eos caſus, quib. expreſſe inhibetur & vetatur præſcriptio, vt in feudis conſtat prohibitam per Lotharium & Frider. Deinde illa Friderici poſterior eſt *dd.ll.C.*Ergò hac in parte eas abrogat *l.*4.*ff.de conſtit.princip.*Quod ſecundo loco ait gloſſa:Non eſſe veriſimile, Imp. Fridericũ voluiſſe tam leuiter vno verbo euertere totam illam obſeruationem de præſcriptione longiſſimi temporis multis vigiliis

exco-

excogitatam, *arg. l. 35. C. de inoffic. teſt.* ad id reſpondendum eſt, non eſſe hic opus coniecturis, cum apertè & certò nobis conſtet de voluntate legiſlatoris, omnem præſcriptionem feudi excludentis, quam voluntatem expreſſe arguunt verba vniuerſalia, quibus vtitur vt & ſup. ponderabamus. Secundo, eandē oſtendit identitas rationis: Tertiò, ne fruſtratoria ſit & ſuperuacanea eius conſtitutio, & alia quæ ſuperius inter fundamenta attuli. Tertiò, quod in gloſſa dicitur de pœna deſidiæ, & quod contemtores iuris ſui meritò eo careant, cum iura vigilantibus ſubueniant, *l. 24. in fin. D. Quæ in fraud. creditor.* Vnde videtur inferendū, domino obſtare præſcriptionē 30. annorum, idque quamuis fortè cōcedi poſſit de ſciente, tamē de ignorante verum nō eſt. hic. n. deſes fuiſſe, & ſuum ius contempſiſſe dici nō poteſt. Sed & hæc & aliæ rationes *d. l. ſicut, C. de praeſcr. 30. ann.* in feudis locum non habent, in quibus ſimul etiam publica vtilitas verſatur, vt paulò ante dictum.

16. D. *Quid autem ad locum Guntheri reſpōdebis, qui certè cum nominat longi temporis præſcriptione diuerſæ ſententiæ autoribus multum patrocinari videtur?*

Nullaq; vel longi præſcriptio temporis obſtet, &c.

M. Minimè illis patrocinatur, ſi rectè rem conſideres. non enim ait, quod longi duntaxat temporis præſcriptio non obſtet domino, quò minus ad ipſum redeat feudum translatum; longiſſimi verò tēporis præſcriptio ei obſtet ac noceat, (quo modo *Cuiac.* & *Borcholdus* acceperunt) quaſi ſcilicet dixiſſet Guntherus, nulla niſi longiſſimi temporis præſcriptio obſtet. Non inquam ita; ſed hoc potius vult Poëta quod etiam in conſtitutione Friderici I. continetur: nullā quantuuis lōgi tēporis ſiue etiā longiſſimi præſcriptionē, obſtare domino debere, quo minus alienata repetat & recuperet. Accedit quod Longobardi, à quib. magna ex parte ius feudale profectū eſt, lōgi tēporis præſcriptionē vſurpare ſolēt pro lōgiſſimi tēporis, i. 30. annorū ſpatio, nec aliud ferè nouerunt præſcriptionis genus quàm iſtud, vt in ipſorum ll. quæ trib. libris comprehenſæ extant, videre licet.

17. D. *Nullane igitur differentia eſt facienda inter bonæ & malæ fidei poſſeſſorē feudi?*

M. Quantum quidem ad reuocationẽ feudi alienati, nihil quicquã inter ipſos intereſt. nam æquè poteſt dominus ab vtroq; rem auferre: ſed tamen quoad pretium & quoad fructuum perceptionem, multum intereſt. Nam ad pretiũ quod adtinet, ſicut iure ciuili malæ fidei emtor, id eſt, qui ſciens emit rem alienam, non habet actionem de euictione. *l.27. Cod. de euictionibus*; ſed pretium perdit, & cogitur rem domino vindicanti reſtituere. ita hîc quoq;. Secus eſt in emtore bonæ fidei, id eſt, qui ignorans feudum eſſe rem emerit, cum putaret eſſe allodialem. huic enim aduerſus venditorẽ competit actio ex emto nomine pretii, *d t.* 55. idq; his verſibus expreſſit poëta feudalis *Guntherus d. lib.* 8. *Ligurini*:

Empterique bonæ fidei præſtetur in illum

Actio, quæ pretium cogat redhibere ſolutum. Vbi eleganter actionem de euictione vocat eam *quæ cogat pretium ſolutum redhibere.* Legebatur autẽ ibi vulgò vitioſè, *Prætoriq;*, pro *Emptoriq;*, priusquã *Pithœus* & *Cuiac.* ita correxiſſent: quos Hoto. quoq;, ſed tacit⁹ ſequitur. Differentiæ ratio manifeſta eſt, quia malę fidei poſſeſſor ſibi imputare debet, quod non abſtinuerat ab emtione rei, quam alienam eſſe ſciebat, & cuius euictionẽ facile præuidere potuit: Sed bonæ fidei emtori nihil eſt quod imputari poſſit. *Vide Hartmann. Piſtor. libr.* 2. *quæſt.* 10. In fructibus quoque, quos poſſeſſor ex fundo percepit, ſimiliter diſcrimen ſeruandum eſt inter bonam & malam fidem. nam malæ fidei poſſeſſor cogitur omnes fructus reſtituere; bonæ fidei poſſeſſor non item, de quo *vide Bernhard. Vurmſerum, & quos ille allegat tit.* 51. *obſ.* 21. *n.* 3.

18. D. *Quid ſentis de illa diſtinctione inter primum & ſecundum feudi emtorẽ, quorũ vterq; tamen bonâ fide rem feudalem, ſed abſq; conſenſu domini mercatus ſit?*

M. Volunt quidem Interpp. ſecundum hunc emtorẽ non ſolùm triginta annis, ſed etiam longo tempore feudũ cõtra dominũ præſcribere, vt *Aluarottus & Prapoſitus.* quos refert & ſequitur *Schraderus par.* 5. *cap.* 4. *num.* 11. Sed non rectè huc torſiſſe videtur §. *Quod autẽ ad eas res. Inſtit. de vſucapion. & l.* 7. § *ſi quis ſciens, D. de libera-*

liberali cauſa. quorum locorum longe alius eſt ſenſus, vt cuiuis inſpicienti patebit. Nihil etiam hanc diſtinctionem iuuat textus in *tit.9.lib.2. Feud.* in verbis: *Qui ſecundo loco beneficium acceperat, non amittebat.* Neque enim de præſcriptione feudi ibi ſermo eſt, neque de ſecundo emtore feudi, ſed de eo ipſo cui vaſallus inſcio domino feudum vendidit, vel ſubinfeudauit.

19. D. *Quid ſi dominus ab extraneo illo, in quem ſine ipſius conſenſu vaſallus feudum tranſtulerat, ſeruitia feudalia receperit?*

M. Iam hoc facto dominus ſibi præiudicat, & locum habebit præſcriptio aduerſus eum, non quidem plenæ proprietatis, aut directi dominii, ſed tamen iuris feudalis, vt extraneus ille incipiat vaſallus eſſe domini: nam illa receptio ſeruitiorum eſt ratihabitio quædam ipſius alienationis, *vid. Schraderum d.c.4.nu.*10.

20. D. *Poſito quod præſcriptio* 30.*annorum obſtet domino feudi, poteritnè aliquando contra eam dominus in integrum reſtitui?*

M. Ita quidem volunt, ex capite iuſtæ ignorantiæ dari reſtitutionem, qua præſcriptio reſcindatur, ſequuti Bartolum, vt latè videbis apud *Franciſ. Balbum d p.4. q.29.* Sed de eo non immeritò dubites.

21. D. *Quid ſi quis cum cepiſſet præſcribere, nondum impletâ præſcriptione amiſerit poſſeſſionem?*

M. Habebit actionem Publicianam ad repetendam rem, ſed non à domino, *argum. l. pen. ff. De public. in rem act.* Sed de actionibus feudi nomine competentibus, infra ſeorſim dicemus.

22. D. *Dixiſti de præſcriptione feudi aduerſus dominum. Quid autem de agnatis, an & quo tempore contra hos currit præſcriptio?*

M. Iuri reuocandi, quod competit agnatis in feudo antiquo illicitè alienato in remotiorem aliquem ex agnatis, nunc anno præſcribitur; nunc triennio. Anno, ſi ſciuerint, nec alienationi contradixerint intra annum: Triennio, ſi ignorauerint. Sed ſi feudum in extraneum, qui non ſit ex numero agnatorum alienetur, indiſtinctè triginta anni ad præſcriptionem requiruntur, quæ eſt communis opinio Dd. vt videre eſt apud

Balbum d.q. 12. *nu.* 19. quam tamen diſtinctionem inter alienationem factam extraneo & remotiori agnato non iniuriâ videtur reprehendere *Hart. Piſt p.*4.*q.*8.*nu.* 31.*cum mult. ſeqq.* in qua quæſtione 8. etiã alia huc pertinentia plenè diſcuſſa reperies: verbi gratia: An præſcriptio vni obſtans noceat etiam cæteris, & ſimilia, ſicut idem q. 10. prolixè diſputat; an feudo per agnatum reuocato heres eius qui alienauit etiam teneatur de euictione, & conueniri poſſit ad refundendũ pretiũ; quę omnia hîc perſequi intempeſtiuũ & nimis longũ foret. ſatis eſt in quibuſdã loca velut ſedes materiarum indicaſſe; ad quæ recurras vſu exigente.

23. D. *Quia cum feudis ſæpe etiam Iurisdictionem coniunctam eſſe aliàs dixiſti, quid de iurisdictione præſcribenda ſentiendum eſt?*

M. Hanc quæſtionem meritò difficilem & arduam vocat *Franciſc. Balbus de præſcriptionib. in ſecunda parte, quinta partis, quæſt.* 3. de qua ibidem ipſum conſule. & longè fuſiſſimè tractat de ea *Iohannes Igneus ad* §. *Non aliàs, in l. Neceſſarios, D. de S.C. Silan. num.* 122. *cum multis ſeqq.* Noſtrum non eſt falcem hoc loco in alienam meſſem immittere, cum præſertim breui expectemus commentarium de Iuriſdictione clariſſimi collegæ noſtri.

24. D. *Sed habetne feudum præſcriptione acquiſitum eandem & communem cum aliis propriis feudis naturam?*

M. Omninò habet, nihilque diſcrepat à quouis ordinario feudo, teſte *Duareno c.*8. *de feud.n.* 6. vbi ait. Ab omnibus hoc celebrari.

Capvt XIX.

De aliis quibuſdam feudi conſtituendi modis.

1. D. *Dixiſti de inueſtitura, ſucceſſione & præſcriptione feudi. Sed ſunt ne alij quoque præter hos tres feudi conſtituendi & acquirendi modi?*

M. Pleriq; Interpretes hîc pauſam faciunt. Et ſanè in libris feudorum plures modi non reperiuntur. *Hoto. in diſp.*

in diſp. de feud. c. 17. putat, ſe ſex facere, & cum ipſius partitione ferè congruit *Anton. Cont. in methodo cap.* 7. 8. 9. vbi nouem modos facit. Sed Hotoman. priores tres v.g. Donatio, emtio, permutatio, non tàm ſunt adquirendi modi, quàm cauſę ſeu tituli poſſidendi. Alii addunt quartum modum, videlicet ſententiam iudicis, quæ tranſierit in rem iudicatam, de quo modo *vide Henric. Roſenthal. cap. 6. concluſ.* 133. nam ſi iudex ortâ cõtrouerſia inter me & te, pronuntiauerit, me in feudum abs te habere aliquem fundum, & vaſallum tuum eſſe, quamuis reuera vaſallus non fuerim, & fundus nõ fuerit feudalis, ſed allodialis, poſthac tamen feudalis cenſebitur; idq; ideò, quia res iudicata pro veritate habetur, *l.* 207 *ff. de Reg. iur. cum ſimilib.*

2. D. *Suntne & alij modi acquirendi feudi?*

M. Reperitur etiam apud hiſtoricos illuſtris modus conſtituendi feudi: nempe vis bellica. Nam ſi potentior aliquis princeps inferiorem à ſe deuictum cogat, vt bona quæ prius pleno iure poſſederat tanquam propria, ea in poſterum tanquam feuda teneat, & à victore ceu vaſallus recognoſcat, iam feudum conſtitutum eſt; de quo vide *Antonium Contium in princip. c. 9.* Neque hoc mirum. Cum enim ius belli omnia bona victi addicat victori, pro beneficio accipere & præclarè ſecum actũ putare debet victus, ſi prædiorum ſuorum vtile dominium ſibi relinquatur à victore, qui totum auferre poterat. Nam cui quod plus eſt licet, non debet quod minus eſt, non licere; vt eſt in regula vtriuſq; iuris. Plus autem eſt omnia bona auferre, & minus eſt, aliquid iuris auferre, videlicet proprietatem, & aliquid eidem relinquere, nempe ius vaſalli, quod vocant *vtile dominium.* Sic Berégarius Longobardorum Rex ab Othone Imp. deuictus regnum ſuum ab eo in feudum accepit.

3. D. *Eſtne & alius modus conſtituendi feudi?*

M. Conſtituitur etiam feudũ, ſi quis infirmior quàm vt ſuæ defenſioni & honorũ ſuorũ ſufficere ipſe poſſit, metũ hoſtilis impreſſionis, aut depopulationis allodia ſua in tutelã potẽtioris alicuius principis conferat, dominiumq; eorũ in illũ transferat, iure feudi ſibi ſuisq; hæredib. retento; Iam enim bona, quæ prius allodialia

ſeu patrimonialia fuerunt, plenoq; iure ad ipſum pertinuerunt, ſeudalia eſſe incipiunt. Hunc quoq; modum annotatum reperio ab Ant. Contio, ſed inueſtituræ tanquam ſpeciem ſubiicit: in quo nonnihil ab eo diſſentio, & potius ſeparatum ac proprium quendã modum conſtitui poſſe puto, licèt non negem, inueſtituram accedere.

4. D. *Etiam ne Teſtamento feudum conſtitui poteſt?*

M. Rectè quæris. Etſi enim iam ſup. dictum eſt, nullam de feudo diſpoſitionem vltimæ voluntatis valere; tamen ab ea quæſtione plurimum hæc præſens differt. Illa erat de vaſallo, hæc de domino. Illa, de feudo iam conſtituto, & acquiſito; hæc, de conſtituendo & acquirendo. Quanquam autem hac de re nullam reperio in iure feudali extantem prohibitionem: aſſentior tamen Hotomano, qui putat in *Diſput. De feud. cap.* 34. feudum niſi inter viuos conſtitui non poſſe; eaque in re diſtare ab vſufr. qui teſtamento conſtitui poteſt. Rationem ipſe hanc reddit, quòd eius demum vaſallus quiſque ſit, à quo inueſtituram accepit, 2. *F.* 3. *&* 32. Poteſt & hæc eſſe ratio; quia qui vaſallum ſibi conſtituit, ideo hoc facit, vt habeat à quo ſibi præſtentur ſeruitia militaria. At his non indiget mortuus. Teſtamentum autem non niſi poſt mortem vires habet. Præterea nuſquam inter modos conſtituendi feudi Teſtamentum numeratur.

FINIS LIBRI PRIMI.

CVN-

CVNRADI RITTERSHVSII PARTITIONVM FEVDALIVM Liber II.

CAPVT I.

Feudi conſtituti & acquiſiti IVS *quale ſit: Et primùm quid Vaſallus debeat Seniori tàm belli quam pacis tempore.*

1. D. *Expoſitis conſtituendi & adquirendi feudi modis tùm illis tribus qui à feudiſtis in his duobus libris afferuntur, tùm illis qui moribus additi ſunt & ab aliis interpretibus, maximè ab Antonio Contio obſeruati: Proximum nunc eſſe videtur, vt dicas de iure feudi iam conſtituti & acquiſiti: Quid, inquam, commodi illud afferat, non modo vaſallo, verùm etiam ſeniori, ad quid alter alteri obligetur, quidque in feudo iuris habeat vaſallus, tùm dominus, ſiue quod vtrique in eo liceat vel non liceat: Quibus item remediis vel hic vel ille ſuum ius conſeruet, ac tueatur. Quibus de rebus te deinceps diſſerentem audire cupio?*

M. Rectè meminiſti ſuperioris Oeconomiæ, & reſpondebo tibi ad ſingula, de quibus me interrogaueris, dummodò hoc memineris, remedia illa, quibus tùm vaſallus, tùm ſenior ſua iura tueri poſſunt, eorumque explicationem, videri potius reſeruanda ad caput De actionibus feudi nomine competentibus.

2. D. *Quotuplex igitur eſt ius feudi iam conſtituti & acquiſiti?*

M. Duplex, Perſonale ſcilicet & reale. Vtrumq; rurſus bipartitum. nam & ratione vaſalli conſiderandum eſt, & ratione ſenioris. Ita rectè diſtinguit *Hotom. c. 30.* eumque ſecutus *Giphanius*. Neque hoc mirum tibi vi-

deri debet, ex vno eodemque negotio, vt ex contractu feudali, duplex ius oriri, vnum in perſonam, alterum in rem; nam & in iure noſtro meminiſti hoc fieri in contractu pigneratitio, ex quo non tantùm obligatio perſonę oritur, qua & debitor qui dedit, & creditor qui pignus accepit ſibi mutuò obſtringantur; ſed etiam ius in rem, quo ipſa res oppignorata afficiatur. Vnde ex pignore, itemque ex hypotheca non tantùm oritur & competit actio pigneratitia, quæ eſt in perſonam, ſed & hypothecaria, quæ in rem, vt audiuiſti ad §. *vlt. Inſtit. quibus modis re contr. oblig.* & § *item Seruiana, Inſtit. De actionibus.* Similiter & ex dotis datione. Sic hoc loco etiam in feudo.

3. D. *Quid vocas ius perſonale in feudo?*

M. Obligationem, quæ definitur vinculum iuris, quo perſona aſtringitur neceſſitate ad aliquid dandum vel faciendum, *initio tit. Inſt. De oblig.*

4. D. *Quid ius reale?*

M. Ius illud quod in ipſam rem feudalem habet vterque tàm vaſallus quàm dominus, quo ipſis aliquid licet, vel non licet in re feudali. Agamus diſtinctè; primùm de iis quæ ſunt propria huius vel illius: Deinde de iis, quæ amborum communia. Et primùm quidem de iure perſonali, quo vaſallus obſtrictus eſt ſeniori ſuo, ſiue quid vaſallus debeat domino. Secundò, de eiuſdem iure reali in feudo, quid, inquam, & quatenus vaſallo in eo liceat. Tertio, De iure perſonali ſenioris ad quid viciſſim ille teneatur vaſallo. Quarto, & vltimò, de eiuſdem iure reali; ſiue quid ſenior in re feudali poſſit vel non poſſit.

5. D. *Rectè partiris: de ſingulis ordine iam interrogabo.*

Primùm igitur quid feudi nomine vaſallus debet ſeniori?

M. Quanquam hoc aliquo modo intelligi poſſit ex capitibus iuriſiurandi feudalis, (de cuius formula ſupra egimus) tamen quo res manifeſtior euadat, amplius etiam explicanda videtur. Igitur eorum quæ vaſallus domino debet duo ſunt genera; quorum vnum ſpectat ad obſequium, fidem, honorem & reuerentiam patrono

patrono exhibendam. Alterum cõſiſtit in operis & ſeruitiis vaſallicis ſiue feudalibus, quæ tamen ipſa quoq; ex illo obſequio & reuerentiâ, tanquam ex fonte profluunt. Fruſtra enim fidem & reuerentiam vaſallus iactauerit, ſi non reipſa eam declaret, præſtatione ſeruitiorum, ſicut fruſtra fides in Deum iactatur, niſi per caritatem erga Deum & proximum demonſtretur. Reuerentia autem hæc nominatur cùm alibi, tùm *li.2.feud. titu.* 22. vbi gloſſa hac in re comparat vaſallum cum liberto, qui ſimiliter eam debet patrono; rectéque adnotat *Accurſ.* iſtud ſaluâ reuerentiâ, ſumptum eſſe ex *l.9.C.de condict. ob cauſ. dat. & ex l.* 8. *C. de liberali cauſa.* Liberto ſemper honeſta & ſancta videri debet perſona patroni, vt eleganter ait *Vlp. in l.9.ff.de obſequiis, & idem in l.*10.*§.vlt.ff.de in ius vocando,* ſemper honorem habẽdum eſt patrono, vbi nota obiter Græciſmum, qualis eſt etiam in *l.vlt.ff.de ſenatoribus, & in l.* 12. *§. facti, ff.de captiuis & poſtl. & l.* 19. *ff. de nouationib. & alibi quoque in π.* cuiuſmodi exempla multa ſunt apud Lucretium, Varronem & alios optimos autores. De illa porrò comparatione vaſalli cum liberto prolixè videatur *Eberhard. in loco à liberto ad vaſallum, & Zaſius in ſingularibus intellectib. ad l ſi non ſortem, §.libertus.D.de condict. indeb.*

6.D. *Quis eſt huius reuerentiæ effectus?*

M. Multiplex ſanè: huic enim eſt primò quod vaſallus non poteſt aduerſus dominum famoſam actionem inſtituere (quæ autem ſint famoſæ actiones, dictum eſt ad *tit.Inſtit. De pœna temerè litig.* & explicatur ſub *tit. ff.de his qui notant.infam. & ſub tit.C.Ex quibus cauſis infam.irrog.*) Nam neque liberto contra patronum famoſa actio vel exceptio accommodari debet, *l.* 11.*§.* 1.*ff.de dolo malo, l.* 4. *§. Aduerſus, ff.de doli mali & metus except. l.*2. *& l.* 5. *ff. de obſequiis, l.* 4. *Cod. eod.* Sed ita res temperatur, vt in factum actio, vel exceptio detur, ne tamen in damno ſit libertus, aut in lucro iniuſto patronus, vt traditum eſt dictis locis, *iuncta leg.* 1. *§. Interdictum, ff. de vi & vi armata, Vid. & Modeſtin. Piſtor. Conſil.* 62. *vol.*1.

7. D. *An interdicto Vnde vi, vaſallus contra dominum experiri poteſt?*

M. Ita putat Vincentius in Speculo doctrinali, quē citat *Iac. Cuiacius* & probare videtur *lib. 2. feud. tit. vlt.* Sed mihi contrarium verius videtur, quod etiam video placere *G. Fornerio cap. 16. de feud. num.* 3. neque certè textus d. tit. illud ſignificat, quod *interdictum vnde vi,* cōpetat vaſallo: ſed potius ſecundum ius ciuile intelligēdus eſt. Ex eadem reuerentia hoc quoque manat, quod dominum deferre aut accuſare vaſallus nequit, §. *Item ſi delator, tit. 24. lib. 2. & §. ſimiliter tit.* 33.

8. D. *Quid ſi crimen perduellionis dominus commiſerit?*

M. Hoc caſu impunè vaſallus ipſum deferet & accuſabit, vt recte hanc exceptionem addit gloſſa *in d. §. Itē ſi delator.* in verbo, *perdit, arg. §. cauſas, N.* 115. Nam & filius patrem maieſtatis reum facere poteſt ſine metu exheredationis. Valet autem argumentum ab exheredatione ad priuationem feudi, vt infra dicetur.

9. D. *Quid ſi vaſallus accuſet dominum vt ſuam ſuorumq; iniuriam perſequatur?*

M. Hoc quoque caſu excuſabitur, quæ eſt altera exceptiō annotata ab eodem *Accurſio in d. gl. arg. l. 11. ff. de accuſationibus.*

10. D. *Nunquid teſtimonium dicere vaſallus contra dominum poteſt?*

M. Quemadmodum iure ciuili libertorum aduerſus patronos illicitæ atq. improbæ voces pœnę obiectione præcluduntur, & nec volentes ad teſtimonium admittendi ſunt, *l. 12. C. de teſtib. l. 4. ff. eod. Paulus lib. 5. ſent. tit.* 15. ſicut item clienti contra patronum teſtimonii dictio non fuit, teſte *Dionyſio Halicarnaſſeo libr. 2. & Plutarch. in vita Romuli:* ita nec vaſallus teſtimonium contra dominum reddere debet, neque in ciuili, neque in criminali cauſa, *d. §. ſimiliter lib. 2. feud. tit.* 33. vbi in fine refertur aliorum ſententia aliter exiſtimantium, & diſtinguentium inter cauſam ciuilem modicam & magnam: vt in illa admittatur teſtimonium vaſalli, in hac reiiciatur, perinde vt in criminali. Sed hæc diſtinctio non videtur vſu recepta ac potius ſine diſcrimine repudiatum

teſtimo-

teſtimonium etiam in cauſa ciuili ſiue modica ſeu magna. Notabis ibidem in textu probabilem emendationem Cuiacii, qui tranſponit epitheton [*Modica*] in poſteriorem locum, hoc modo: *in ciuili modica licere.*

11. D. *Quid ſentis de illa diſtinctione inter volentem & coactum dicere teſtimonium?*

M. Accurſ. quidem putat ad *d. tit.* 24. excuſandum eſſe eum, qui neceſſitate vrgente teſtimonium dixerit: at eũ qui ſua ſponte, non item. Mihi tamen hæc diſtinctio non probatur; quamuis aliàs non ignorem officii neceſſitatem excuſatam eſſe ſolere. Sed omnis teſtis cogi debet, *toto tit. Decretal. de teſtibus cogendis vel non.* Semetipſum verò offerens ad teſtimonium non admittitur tanquam ſuſpectus: Vnde etiam hoc vnum caput ex interrogatoriis generalib. teſtium eſſe ſolet, *An teſtis ſe obtulerit.*

12. D. *Sed an poteſt vaſallus dominum adigere ad iusiurandum calumniæ?*

M. Non poteſt. vetuit enim hoc conſtitutio Friderici I. in Roncalia. (Ita legendum in §. *in quibus, d. t.* 33.) & meritò: nam neque iure ciuili libertus à patrono hoc iusiurandum rectè exigit, *l.* 16. & *l.* 34. §. *qui iusiurandum*, vbi verior eſt lectio ff. Noricarum, quæ etiam in Baſilicis probatur, *ff. de iureiurando, l.* 7. §. 3. *ff. de obſequiis.* Etſi autem illi textus tantùm de ſpeciali iureiurando calumniæ, quod ante Iuſtinianum in vſu iudiciorum fuit, loquuntur; tamen etiam in generali, quod a Iuſtiniano introductum eſt, idem iuris erit; quoniam & ratio eadem eſt, nempe quia qui iusiurandum calumniæ ab aduerſario ſuo exigit, is metuere videtur, ne non exacto aut præſtito illo calumnietur. Talis autem metus, talis ſuſpicio inter libertum & patronum, inter vaſallum & ſeniorem locum habere minimè debet.

13. D. *An vice verſa dominus à vaſallo iusiurandum calumniæ exigere poteſt?*

M. Imò idem etiam à parte domini intelligendum eſſe putat feudiſta, *d.* §. *In quibus, titu.* 33. ex ea ratione; quia vt eſt in æquiſſimo prætoris edicto (de quo vide *Duarenum in diſputat.*) Quod quiſque iuris in alterum

ſtatuit, eo ipſe vti debet, *l. vlt. C. de fructibus & litium expenſis*. Giphanius tamen ad *l.* 2. *Cod. de iureiurando propter calumniam dando*, hanc productionem conſtitutionis Friderici a perſona vaſalli ad perſonam domini non probat. Et certè iure ciuili conſtat, patrono quidem hoc iusiurandum remiſſum eſſe, non etiam liberto, vt rectè obſeruat *Cuiac. lib.* 4. *feud. tit.* 36. Accedit quod non vt vaſallus domino, ita & hic illi reuerentiā debet, aut fidelitatem iurat, *Zaſ. part.* 7 *num.* 57. *Duaren. cap.* 13. *de feud. num.* 8.

14. D. *An poteſt vaſallus dominum in ius vocare ſine venia?*

M. Hac de re diſſentientes ſunt opiniones: putant enim aliqui non eſſe neceſſariam vaſallo veniȩ petitionem vel impetrationem; alii contra neceſſariam exiſtimant. Priorem ſententiam amplectitur *Iaſon ad l. ſi non ſortem, §. libertus, ff. de condict. indebiti*; eamque communem opinionem eſſe teſtatur *Zaſius ad §. pœnales, num.* 26. *Inſtit. De actionibus*. vbi hanc aſſignat rationem differentiæ, inter libertum & vaſallum; quia libertus, vtpote nouus homo, multò plus debeat patrono, quàm vaſallus ſeniori: Ille à patrono habet nouam vitam; hic à ſeniore nihil præter feudum, vt nimirum non ſit, contra libertum hanc petitionem veniȩ negligētem competere patrono actionem pœnalem in 50. aureos (de qua ad Inſt. dictum) aliud autē ſit in vaſallo. Et hæc ſententia probatur etiam *Iulio Claro, quæſt.* 25. *& Hartm. Hart. obſer.* 44. *ſub tit. de feudis*, *nec non & Giphanio*. In poſteriore ſententia ſunt *Speculator in tit. de feud. §. Quoniam, nu.* 33. *quæſt. verſic.* 17. *Guido Papæ deciſ.* 551. *n.* 1. *Matth. de Afflict. deciſ.* 265. *num.* 36. *Oldendorp. claſ.* 1. *action.* 4. *Nic. Eberhardi in loco à liberto ad vaſallum, num.* 15. *Weſembecius in parat. π. de in ius vocando, num.* 6. vbi eam vſu ſeruari teſtatur. Allegant plerique pro eadem ſententia etiam gloſſæ autoritatem *d. titu.* 12. in verbis, *ſaluâ reuerentiâ*. Sed gloſſa quamuis breuiter & ambiguè loquatur, tamen potius in altera ſententia eſſe videtur. Camera Imperialis hac in re variè iudicauit, vt etiam in aliis quibuſdam. Aliquādo enim voluit Veniȩ petitionē neceſſariam eſſe, & quidem actis inſerendam, vt teſta-

tur

tur additio ad *Hart.d.obſ.*44.aliquando contrarium tenuit,vt videre eſt apud *Mynſinger.cent.*4.*obſ.*92.*& Andr. Gail.in lib.de pignorationib. obſ.*15.*num.* 4.*ſed Zaſius* in eo parum ſibi conſtitiſſe videtur, ſi conferas d.locum *de actionibus cum part.*7.*de feud.num.*49.*& intellectib.ſingularibus d.*§.*libertas,l.ſi non ſortem.*

15.D.*Quid nos in hac tanta varietate opinionum & velut fluctibus ſtatuemus?*

M.Sequemur cuiuſq; loci conſuetudinem & ſtylum curiæ,ſeu morem iudiciorum,quod quidem rectiſſimè voluiſſe mihi videtur *gloſſ.in dd. verbis*: *ſalua reuerentia*; cum ait,*In his ambagibus locum eſſe conſuetudinibus.*Quę verba non rectè inuertit *Iul. Clar. d. quæſt.* 25. vbi addit etiam negationem: in conſuetudinibus (inquit) non eſt locus his ambagibus. *Eberhard.quoque d. loco,* tandem fatetur, vaſallum honeſtè ac tutò facturum, impetrando veniam agendi à iudice, quamuis non ſit neceſſarium. Quomodo etiam Canoniſtæ interdum de conſenſu parentum in matrimoniis liberorum adhibendo dicere ſolent honeſtum eſſe, licèt non ſit neceſſarius,vt dixi aliàs ad *tit.Inſt.De nuptiis.*Placet etiam diſtinctio *Rol.à Valle conſil.*18.*num.*15.*vol.*2.quando vaſallus principem ſuum in ius vocat,tunc veniam omninò eſſe petendam: ſecus quando inferiorem aliquem à principe dominum. Illud autem firmiter tenebis, quicquid ſit,tamen nunquam ob non petitam veniam poſſe vaſallum feudo priuari. hæc enim inter cauſas amittendi feudi non numeratur: dabiturq; potius pœnale iudicium in 50.aureos:quod &*Melch.Clingium* voluiſſe video *conſ.*60.quod extat *vol.*1.*inter conſ. Mod. Piſt.*

16. D. *Intellexi effectus reuerentiæ domino debitæ à vaſallo. Quid autem ſi feudum fuerit extinctum,an ſimul etiam reuerentia extincta cenſebitur?*

M. Imò feudo etiam refutato ſeu abdicato vaſallus dominum olim ſuum adhuc colere & obſeruare debet ob memoriã priſtinæ neceſſitudinis,in memoriã fidelitatis & iuriſiurandi,ſine prioris amicitiæ, cuiꝰ reliquiæ durare videtur:vt eſt text.*& gl.elegans t.* 38.*li.*2.*F.* vbi obſeruanda eſt vera lectio, quam reſtituit *Cuiac.*& ſenſus ipſe flagitat: Poſt refutationem autem ad ſer-

uiendum quidem non tenetur;ſed eum tunc offendere non debet. Inter capitula quoque extraordinaria de feudis vnum extat, in quo ſic diſtinguitur, vt ſi voluntate vtriusq; facta ſit ſeparatio, tum finiatur fidelitas: ſin autem vaſallus vel ſuâ ſolius voluntate vel iudicio parium, id eſt, convaſallorum dimiſerit feudum, duret fidelitas. Huic ſimile eſt in iure ciuili, quod etiam inter coniuges, ſoluto licèt per diuortium matrimonio, tamen adhuc durat reuerentia, & honor priſtini matrimonii: vnde fit, vt actiones famoſę inter eos locum nō habeant, nec furti, ſed rerum amotarum actio, vel condictio furtiua, quæ non infamant, inter virum & vxorem detur, *l.1.2.& 3.totoq; titulo, ff. rerum amotarum.* Sic etiam qui præcepta officii & morum tradidére, volunt, vt qui quondam inter ſe amici fuerunt, etiam diſſoluto amicitiæ vinculo, tamen ab iniuriis atque contumeliis inuicem abſtineant, ob memoriam eius quæ inter ipſos fuit amicitiæ.

17. D. *Sequitur de altera iuris perſonalis parte vt dicas, nimirum de obligatione ſeruitiorum, & operarum, qua vaſallus domino obſtrictus eſt. Igitur de ſeruitiis & operis illis quid ais?*

M. Sicut libertus patrono obligatur ad præſtationem operarum, ſi quæ inter manumittendum ipſi impoſitæ, & iureiurando promiſſæ ſint, de quibus explicatur *toto tit. C. de operis libertorum*: Ita etiam hoc iure vaſallus domino ſeruitia præſtare debet: Et regulariter quidem hæc ſunt militaria, quod ex plurimis locis librorum feudalium eſt manifeſtum. Vnde etiam vaſalli milites appellantur, vt ſup. audiuiſti. Interdum verò hæc ſeruitia etiam poſſunt eſſe paganica ſeu pacifica; quæ vel certa exprimuntur in ipſa inueſtiturâ, vel generaliter atque indefinitè promittuntur, vt eſt in *fin. tit.23. lib. 2. feud.* in ipſa feudi definitione. Si certa fuerint expreſſa ſeruitia, non alia præter illa debentur, quia incluſio vnius aut aliquorum, eſt excluſio cæterorum, §. *vlt. & ibi gloſſa tit.51. lib.2.* Sed hìc priusquam pergamus, obſeruabis inſignem differentiam inter *reuerentiam, honorem* ac *fidem*, & *ſeruitia*. Nam reuerentiam quidem, fidelitatem, & taciturnitatem in retinendis

dis arcanis ſemper præſtabit vaſallus domino ſuo, etiam non requiſitus, quãuis eum nemo admonuerit, vt rectè *Weſembecius cap.* 10. *de feud. num.* 14. Sed ſeruitia vltrò offerre, aut ſeſe repræſentare non tenetur, verum expectare poteſt, dum vocetur, vt habetur expreſſum, *tit.* 21. *lib.* 1. *& lib.* 2. *tit.* 7. vbi gloſſa in verbo requiſitus, & in §. *Etſi, & in* §. *licet, tit.* 26. *&* §. *Ad hoc, tit.* 28. *&* §. *Non cogitur, tit.* 37. Huic ſimile eſt quod inter libertum & patronum quoque ſtipulatio operarum tum demum cõmittitur; id eſt, tum incipiunt deberi, & peti poſſunt, cũ patronus eas popoſcerit. Abſurdum enim eſt, credere, alio die deberi officium, quàm quo is vellet cui præſtandum eſt, vt eleganter *Caius in l.* 22. *in pr. ff. De operis libert.* cui ſimiliter *Vlp. in l.* 13. §. *Iudicium, ff. eod.* operas ait cedere incipere poſteaquam indictæ fuerint fieri: namque poſſet, vt alieno atque incommodo tempore & vaſallus & libertus operas offerrent: ſiquidem diuinare non poſſunt quando vel ſeniori vel patrono commodum ſit, ſuâ operâ vti; ideoq; iudicium voluntatis illius expectari melius eſt.

18. D. *Nunquam ne ergò vaſallus vltrò accurrere, ſeſeq; ad ſeruiendum domino offerre debet?*

M. Exceptio vna, qua etiam inuocatus præſto eſſe debeat, affertur in *d.* §. *licet, tit.* 26. & obſcurè indicatur in § *ſi à morte, tit.* 39. nempe ſi vaſallus ſciat domino magnum periculum imminere. tunc enim vltrò ſuum adiutorium ei præbebit: quod ita intelligo, ſi aut ignarus ſit dominus eius periculi ſibi impendentis, aut ſciat quidem in quanto verſetur periculo; ſed vaſallum non poſſit ad opem ferendum euocare miſſo ad ipſum nuntio; puta, quia obſidione premebatur: quomodo etiam Accurſius accepiſſe videtur *d.* §. *licet, in verbo, periculum.*

19. D. *Cum, vt aiebas, plerumq; ſeruitia feudiſlica ſint militaria officia, de his prius explicandum videtur, quàm de aliis. Quid igitur de militaribus ſeruitiis habes dicere?*

M. Si dominus expeditionem in hoſtem ſuſcipiat, (quod Feudiſtæ vocabulo Longobardico vocant *Guerram* alicui facere, *tit.* 28. *in prin. li.* 2. *Hotom. in Lexic. verb.*

uiendum quidem non tenetur;ſed eum tunc offendere non debet. Inter capitula quoque extraordinaria de feudis vnum extat, in quo ſic diſtinguitur, vt ſi voluntate vtriusq; facta ſit ſeparatio, tum finiatur fidelitas: ſin autem vaſallus vel ſuâ ſolius voluntate vel iudicio parium,id eſt, convaſallorum dimiſerit feudum, duret fidelitas. Huic ſimile eſt in iure ciuili,quod etiam inter coniuges, ſoluto licèt per diuortium matrimonio, tamen adhuc durat reuerentia, & honor priſtini matrimonii:vnde fit, vt actiones famoſę inter eos locum nō habeant, nec furti,ſed rerum amotarum actio, vel condictio furtiua, quæ non infamant, inter virum & vxorem detur, *l.1.2.& 3.totoq; titulo,ff. rerum amotarum*. Sic etiam qui præcepta officii & morum tradidére,volunt, vt qui quondam inter ſe amici fuerunt, etiam diſſoluto amicitiæ vinculo,tamen ab iniuriis atque contumeliis inuicem abſtineant, ob memoriam eius quæ inter ipſos fuit amicitiæ.

17. D. *Sequitur de altera iuris perſonalis parte vt dicas, nimirum de obligatione ſeruitiorum,& operarum, qua vaſallus domino obſtrictus eſt. Igitur de ſeruitiis & operis illis quid ais?*

M. Sicut libertus patrono obligatur ad præſtationem operarum, ſi quæ inter manumittendum ipſi impoſitæ, & iureiurando promiſſæ ſint, de quibus explicatur *toto tit. C. de operis libertorum*: Ita etiam hoc iure vaſallus domino ſeruitia præſtare debet:Et regulariter quidem hæc ſunt militaria, quod ex plurimis locis librorum feudalium eſt manifeſtum. Vnde etiam vaſalli milites appellantur, vt ſup. audiuiſti. Interdum verò hæc ſeruitia etiam poſſunt eſſe paganica ſeu pacifica; quæ vel certa exprimuntur in ipſa inueſtiturâ, vel generaliter atque indefinitè promittuntur, vt eſt in *fin. tit.23. lib. 2.feud.* in ipſa feudi definitione. Si certa fuerint expreſſa ſeruitia, non alia præter illa debentur, quia incluſio vnius aut aliquorum, eſt excluſio cæterorum, §. *vlt. & ibi gloſſa tit.51. lib.2.* Sed hîc priusquam pergamus, obſeruabis inſignem differentiam inter *reuerentiam,honorem* ac *fidem*, & *ſeruitia*. Nam reuerentiam quidem,fidelitatem,& taciturnitatem in retinendis

dis arcanis ſemper præſtabit vaſallus domino ſuo, etiam non requiſitus, quãuis eum nemo admonuerit, vt rectè *Weſembecius cap.* 10. *de feud. num.* 14. Sed ſeruitia vltrò offerre, aut ſeſe repræſentare non tenetur, verum expectare poteſt, dum vocetur, vt habetur expreſſum, *tit.* 21. *lib.* 1. *& lib.* 2. *tit.* 7. vbi gloſſa in verbo requiſitus, & in §. *Etſi, & in* §. *licet, tit.* 26. *&* §. *Ad hoc, tit.* 28. *&* §. *Non cogitur, tit.* 37. Huic ſimile eſt quod inter libertum & patronum quoque ſtipulatio operarum tum demum cõmittitur; id eſt, tum incipiunt deberi, & peti poſſunt, cũ patronus eas popoſcerit. Abſurdum enim eſt, credere, alio die deberi officium, quàm quo is vellet cui præſtandum eſt, vt eleganter *Caius in l.* 22. *in pr. ff. De operis libert.* cui ſimiliter *Vlp. in l.* 13. §. *Iudicium, ff. eod.* operas ait cedere incipere poſteaquam indictæ fuerint fieri: namque poſſet, vt alieno atque incommodo tempore & vaſallus & libertus operas offerrent: ſiquidem diuinare non poſſunt quando vel ſeniori vel patrono commodum ſit, ſuâ operâ vti; ideoq; iudicium voluntatis illius expectari melius eſt.

18. D. *Nunquam ne ergò vaſallus vltrò accurrere, ſeſeq; ad ſeruiendum domino offerre debet?*

M. Exceptio vna, qua etiam inuocatus præſto eſſe debeat, affertur in *d.* §. *licet, tit.* 26. & obſcurè indicatur in § *ſi à morte, tit.* 39. nempe ſi vaſallus ſciat domino magnum periculum imminere. tunc enim vltrò ſuum adiutorium ei præbebit: quod ita intelligo, ſi aut ignarus ſit dominus eius periculi ſibi impendentis, aut ſciat quidem in quanto verſetur periculo; ſed vaſallum non poſſit ad opem ferendum euocare miſſo ad ipſum nuntio; puta, quia obſidione premebatur: quomodo etiam Accurſius accepiſſe videtur *d.* §. *licet, in verbo, periculum.*

19. D. *Cum, vt aiebas, plerumq; ſeruitia feudiſtica ſint militaria officia, de his prius explicandum videtur, quàm de alijs. Quid igitur de militaribus ſeruitiis habes dicere?*

M. Si dominus expeditionem in hoſtem ſuſcipiat, (quod Feudiſtæ vocabulo Longobardico vocant *Guerram* alicui facere, *tit.* 28. *in prin. li.* 2. *Hotom. in Lexic. verb.*

Feud.) vaſallus ei præſtò eſſe debet cum armis & equis, cumque comitari in prælium & defendere contra omnes, etiam cũ offenſione vel læſione aliorum, vt *tit.7. lib.2.in verbo:contra omnem hominem, & §.vlt.tit.* 28.*libr.* 2.nec ante deſeret ipſum in acie periclitantem, quàm aut occiſus aut letaliter vulneratus ſit dominus.

20.D.*Quid, num in quouis bello eodẽ modo ſe geret vaſall⁹?*

M. Aliqui ſine diſcrimine voluerunt, ſemper eum debere dominum adiuuare. Sed eorum ſententiâ repudiatâ, verius eſt aliquam adhibere diſtinctionem. Aut enim iuſtam ob cauſam dominus arma induit, aut belli cauſa manifeſtè iniuſta eſt; aut deniq; (vt ferè fit) dubia, anceps atq; obſcura. Primò, ſi conſtet iuſtã eſſe cauſam domini; vaſallus omnino tenetur eum adiuuare: quod ſi officio ſuo deſit, feudum amittit, de quo infra latiùs. Secundò, ſi palàm iniuſta ſit belli cauſa, vel ſi dominus irrationabiliter guerram faciat, (vt ait feudiſta) non tenetur adiuuare, niſi quoad ipſius defenſionẽ; ad offenſionem verò & læſionem aliorum non item. Ratio differentiæ inter *defenſionem* & *offenſionem* manifeſta eſt; quia nimirum defenſio eſt iuris naturæ, quę ne excommunicatis quidem denegatur, vt diſputant interpretes ad *l.vt vim, ff. de iuſtit. & iure*, cui offenſio aliorum aduerſatur. Tertiò deniq;, ſi de cauſæ iuſtitia dubitetur, idem iuris eſſe volunt feudiſtæ, quod in primo caſu, cũ videlicet palam iuſta eſt domini cauſa. Ita diſtinguit textus in *tit.28.in prin.in li.2.feud.vbi vide Hot. & Cuiac.* Eademque diſtinctio pro parte continetur in ipſa formula iuriſiurandi fidelitatis, *t.7.in verb.ſi ſciuero te velle iuſtè aliquem defendere*: vbi vide & gloſſam. Sed poſtremum illud de cauſa dubia quod dicebam, non immeritò fortaſſe reprehendi poſſit ex loco Ciceronis 1.De offic. Benè præcipiunt, inquit, qui vetant quidquam agere quod dubites, ęquum ſit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio autem cogitationem ſignificat iniuriæ. Pro feudiſtis tamen facere videtur illud S. Auguſt. *Vir iuſtus*, inquit, *ſi fortè etiam ſub rege & homine ſacrilego militet, rectè poteſt illo iubente bellare, ſi quod ſibi iubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel vtrum ſit, certum nõ eſt: ita vt fortaſſe reum faciat regem iniquitas*

iquitas imperandi: innocentem autem militem faciat ordo ſeruiendi. Illud quoq; vitio non vacat, quod in cauſa manifeſtè iniuſta feudiſtæ in arbitrio vaſalli hoc ponunt, vt ſi velit, poſſit etiam ad offendendum alios dominũ adiuuare, quod nihil aliud eſt quàm probare iniquitatem eiq; feneſtram aperire. Imò ſi dominus iure coërcetur qui palàm iniuſtam fouet cauſam, non video, quomodo plus licere debeat vaſallo adiutori quàm domino principali. Non iniuriâ igitur Bald. ait auctores feudorum hoc in loco fuiſſe pecora, non homines; quod eius dictum refert & probat *Zaſius in l. 96. Qui ſeruum, n. vlt. ff. de verb. obl.* Obſeruabis dicto in loco emendationẽ Cuiac. legentis: *ad offendendum verò alium, adiuuet, ſi vult,* vbi in vulgarib. libris (etiam in editione *Hotom.*) non rectè additur negatio, *non adiuuet, ſi vult.*

21. D. *Quid ſi dominus fuerit excommunicatus aut bannitus, an tunc quoq; vaſallus eum adiuuare debet?*

M. Si dominus ab Eccleſiaſtica communione excluſus, aut à rege fuerit bãnitus, tunc vaſallus ipſo iure ſacramento & fide omni ſolutus eſt, *d. t. 28. in fin. Zaſ. p. 7. n.* 40. Ac tantũ abeſt, vt cogatur eum adiuuare, vt etiam volenti hoc non ſit permittendum. Imò ſi auxilium quis excommunicato aut bannito præſtare vellet, eodem ſe reatu ac nexu banni inuolueret, ac teneretur pœnâ receptatorum, teſte *Andr. Gail. li. 7. de pace publ. c.* 15. quæ ſanctio plerumq; etiam in formulis banni ſeu proſcriptionis adiici ſolet: ſicut & hæc clauſula: Quod vaſalli ac ſubditi eius qui excommunicatur, debeant ab omni fidelitate, obedientia & iuramento eſſe abſoluti: Quod noſtra quoque memoria factum vidimus in aliquot bullis excõmunicationũ Pontificiarum in maximos reges ac principes vibratarum, vt à Gregorio XIII. in *Gebhartum Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem:* à Sixto V. in Regem, qui tunc erat *Nauarræ,* nunc eſt *Rex Chriſtianiſſimus Galliarum:* à Clemente VIII in Ducem Ferrarienſem: quo modo & Imperator noſter ciuitatem Imperialem Aquiſgranum non ita pridem proſcripſit. An autem impunè cuilibet liceat offendere, aut etiam occidere bannitum, videbis apud *Iul. Clar. in §. Homicidium, n. 52. & 53.*

22. D. *Quid ſi excommunicatus aut bannitus deinde fuerit abſolutus & reſtitutus ab Eccleſia vel Rege?*

M. Abſolutus ac reſtitutus recuperat priſtina iura, bona, & honores, proindeq; etiã feudalia iura & obligationem, qua ei vaſalli ſui tenebantur obſtricti, *d. t.* 28. *lib.* 2. *feud. in verbis: niſi fuerit reſtitutus.* Plura de effectu abſolutionis & reſtitutionis huius vide apud *And. Gail. d. lib.* 2. *de pace publ. obſer.* 19.

23. D. *An ſicut vaſallus non debet domino excommunicato vel bannito communicare & auxilium præſtare, ita etiam dominus prohibetur à vaſallo excommunicato ſeruitia exigere?*

M. Putant *Præpoſitus & Andreas de Butrio*, eosque ſecutus *Zaſius part.* 7. *num.* 41. dominum poſſe etiam à vaſallo excommunicato ſeruitia exigere. Quod mihi non probatur. nam ſi domino excommunicato vllâ in re communicans vaſallus incidit in pœnam receptatorum, vt ſup. dixi: idem profectò etiam de domino dicendum erit, qui vaſallo excommunicato communicare, eiusve opera vti noluerit.

24. D. *Sed contra quos debet vaſallus dominum adiuuare?*

M. Ait Feudiſta in *titu.* 17. *lib.* 2. contra omnem hominem, & in *d. §. vlt. titu.* 28. contra omnes: Sed hîc addit; *niſi contra alium dominum antiquiorem.* Erit igitur hæc prima exceptio, vt ſi quis vaſallus ſit plurium dominorum, non adiuuet recentiorem ſeu poſteriorem contra antiquiorẽ. Quod ſi vterq; pariter eius ſeruitia deſideret, potius ea præſtet antiquiori. nam & hîc qui prior eſt tempore, potior eſt iure, *argumento l.* 11. *ff. qui potiores in pignore hab. l.* 1. 2. 3. 4. & 8. *Cod. eod. c. Qui prior eſt* 54. & *ibi Dynus & Petrus Peccius de Reg. iur. in ſexto.* Alteram exceptionem ibidem & *titu.* 7. rectè adiungit gloſſa ex *titu.* 55. *in §. illud quoque præcipimus.* nempe in perſona Imperatoris, qui & nominatim in omni iuramento fidelitatis excipi debet: Quod ius ſic expreſſit Poëta noſter feudalis lib. 8.

Præterea quoties feudali iure recepto
Vaſallus domino fidei iuramina præſtat,
Excipiendus erit Romanus nomine Princeps.

Nomine,

Nomine,id eſt,nominatim excipiendus. Quod etſi non excipiatur, tamen tacitè quoq; ſemper exceptus intelligitur, teſte Baldo. nam ſi quis contra ſummum principem aliquid moliretur,is contra Rempublicam facere videretur,hoc autem ſemper &omnibus hominib.prohibitum eſt. His addenda eſt & tertia exceptio,ne videlicet dominum patriꝗ bellum inferentem vaſallus iuuet. patriæ enim charitas, vt ait Cicero, omnes omnium charitates complectitur.

25. D. *Sed ſi contra omnes, an ergò etiam cõtra ſeipſum vaſallus dominum adiuuare tenetur,ſiue an & ſua perſona domini perſonam præferre cogitur?*

M. Mihi penè ſuperuacuum videtur iſtud quærere. Reſpondet tamen gloſ. ad §. *vlt. tit.*28.eamq; ſecuti omnes ad vnum interpretes,nõ cogi. Nã charitas ordinata & benè inſtituta à ſeipſa incipit, vt & vulgo dicitur.Vide *Accurſ.Baldum & alios ad l. 6. C. de ſeruitutib. & aqua,per illum textum.* Eleganter quoq; & verè hoc ſcripſit *D. Auguſt.lib.*1.*De ciuitate Dei. c.*17.Regulã diligendi proximũ à ſemetipſo dilector accepit:Quandoquidẽ ſcriptum eſt, *Diliges proximum tuũ ſicut teipſum*; qui locus citatur in *c.9.ſi non licet.* 23.*q.*5. Deum quidẽ plus quàm nos ipſos & ſupra omnia diligere iubemur, ſed proximum non itẽ,vt prolixè docet diſcipulus Auguſtini *Proſper Aquitanicus, lib.*3.*de vita contemplatiua, citatus etiã in c.charitas eſt,de pœnitentia,Diſtinct.* 2. Deinde in omni, quantumuis generali oratione ſemper intelligitur excepta perſona loquentis,*l.*18.*& ibi Bald. C.de ſolution.l.*10.*ff communia prædiorum.gloſſ.in cap.petitio,extra de iureiurando.* Præterea vaſallus quando iurat ſe dominum contra omnes defenſurum, de extraneis tantum cogitaſſe & ſenſiſſe videtur, non autem de ſeipſo: Immò ſi ſpecialiter fuiſſet interrogatus de ſe,veriſimiliter iuſiurandum recuſaſſet. Iam verò iuſiurandum, ſicut & tranſactio, non porrigitur ad ea, de quibus veriſimiliter non fuit cogitatum vel actum, *arg.l.* 30.*ff. de operis libertorum, & l. vltim.ff. ad municipalem. l.* 5. *&* 9. §. *vlt.ff. de tranſactionibus.* Eleganter *Cuiac. ad cap.* 16. *veniens, extra de iureiurando.* Accedit denique, quod in obſcuro interpretatio fieri de-

bet contra ſtipulatorem potius quàm promiſſorem, cui ſolent iura fauere, ne nimium obligetur. Hinc ergo eſt (ab hac inquam ordinata charitate) illud quoque, quod vaſallus ſuam vitam poteſt præferre vitæ domini, ſi certam ſibi mortem imminere videat, vt probat *Zaſius p.7.n.37.*

26. D. *An etiam contra patrem vaſallus dominum adiuuare tenetur, aut ſi pariter vtrumq; videat periclitãtem, hinc patrem, illinc dominum, an dominum præferet, an ſeniorem?*

M. Ita vulgò receptum eſt, ob textum manifeſtũ in *d.§.vlt. tit.* 28. quamuis enim hoc perquam durum videatur, & contrarium pietati ac reuerentiæ parentib. debitę, *l.2.ff.de iuſt.& iure.l.6.ff.de in ius vocando, toto tit. ff.de obſequiis:* tamen ſeruandum eſſe aiunt, quia ſic lex ſcripta ſit, *argum.l.12.ff.Qui & à quibus manumiſſ.* Sed huic communi opinioni, vt quæ aduerſetur naturæ, humanitatis conciliatrici, contradicunt *Zaſius d. par. 7.num.30. & ſeqq. Fornerius cap.16.in §. Nunc videamus. & Cuiac.libr.4.feud. tit.* 31. vbi etiam verba iſta: (*& patrem*) delenda cenſet; tùm quòd in veteri libro ea non repererit, tùm quòd vetus interpres ea non agnouerit. Et certè *Accurſius in gloſſ.ad titul.* 7. in verbis: *contra omnem hominem*, omittit mentionem *patris*: tantùm nominans fratrem & filium. Hotomannus illã emendationem Cuiacii rectè reprehendit in *commentar. ad d. §. vlt.* & potius ex cauſa ſumendam putat diſtinctionem, vt ſi quid pater contra rempubl. moliatur, ſi ad patriam delendam venerit, vt loquitur *Marcellus in l. 35.ff.de relig.& ſump.funer.* tunc filius ipſum propugnare poſſit ac debeat; quia patria eſt antiquior parens, vt alias ex Varrone & Cicerone adtuli; ſecus ſi res tantum agatur alicuius priuati ſenioris. Quæ diſtinctio mihi æquiſſima videtur, cum præſertim videam & Zaſium hìc limitare *d. l. 35. D. de religioſ. & ſumpt. fun.* vt tantùm de illo patre eam accipi velit, qui proditor ſit patriæ. *d.p.7.n.33.*

27. D. *Quid ais de filio, an & contra hunc ſtabit vaſallus pater pro domino ſuo, an verò dominum filio proprio præferet?*

M. Vul-

M. Vulgò quidem receptum eſt, vaſallum pro domino etiam contra filium pugnare debere: per *textum in d. §. vlt. tit.* 28. cui ſententiæ etiam Cuiacius ibidem ſubſcribit. Aliis hoc iniquum videtur: primùm, quia par ſit impietas; filio & patri necem afferre, *argum. l.* 1. *ff. ad l. Pompeiam de parricidiis.* Sed ibi de patre hoc non dicitur, verùm de matre, quę ius poteſtatis in filiũ non habet, ſicut pater. Et quare inter perſonas, in quibus parricidium committitur, lex Pompeia quoad patrem non recenſeat filium, neque *d. l.* 1. neque apud Paulum *libr.* 5. *ſent. titul.* 24. docui ad §. *alia deinde lex. Inſtitutionibus, de publ. iudiciis.* Et certè longè atrocius videtur vitam eripere vitæ autori, id eſt, parenti, vt demonſtrat Cicero pro S. Roſcio. Secundò, inquiunt, quia natura filii cum patre penè vna eademque perſona intelligitur, & pars quodammodo corporis eius eſt, adeò vt vox filii intelligatur tanquam vox patris; & contrà: de qua arctiſſima coniunctione dictum eſt ad §. *ſi quis alii, Inſtitut. De inutilibus ſtipulationibus.* Immò parentes magis in liberis terrentur, quàm in ſemetipſis pro affectu ſuo, *l.* 8. *ff. Quod metus cauſa.* & pater penè magis per corpus filii quam filius ipſe periclitatur. §. *vlt. Inſtitut. De noxal. act.* Cum igitur nemo pro domino contra ſeipſum ſtare cogatur, (vt ſupra demonſtratum eſt) non etiam tenebitur, inquiunt, vaſallus pugnare contra filium. Ita illi: Ego illam ſuperiorem diſtinctionem inter cauſas hîc quoq; adhibendam exiſtimauerim, vt tunc demum pater debeat ſtare contra filium, ſi hic patriæ bellũ inferat, aut patriæ proditor eſſe velit: non etiã, ſi inter priuatos tantùm res agatur. In publicis enim valere debet, quod ait *Paulus l.* 19. §. *filius quoque, ff. de captiu. & poſtlimin. reuerſ.* Diſciplina caſtrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quàm charitas liberorum. Et quod Marcellus ſcribit: Si filius patrem aut pater filium, qui ad patriam delendam venerit, occidiſſet, hunc maiores etiam præmio afficiendum conſtituerunt, *dicta leg.* 35.

28. D. *Quid iuris eſt de fratre, an contra hunc quoque vaſallus pro domino pugnabit?*

Google

M. Hoc non negamus, inquit *Zaſius d. p. 7. ſub nu.* 36. vaſallum domino contra fratrem oportere opem ferre. ibidemq; teſtatur de duobus fratribus nobilib. quorum vnus alterum in bello ceperit, cum diuerſorũ dominorum inter ſe pugnantium vaſalli eſſent. Atque ita omnes ſentiunt interpp. etiam *Baro, Schenckius & Sonsbeccius*, freti textu *d. §. vlt.* Diſſentiunt tamẽ *Fornerius d. loco*, & nuperrimè *Henricus Bocerus diſputat.* 16. *claſſe* 4. *num.* 24. cuius quatuor rationibus, quas pro ſua noua ſententia confirmanda adfert, non erit difficile reſpondere. Nam quod primò de inſidiis affert, quas fratrem vitæ fratris ſtruere nefas ſit; reſpondeo longè diuerſa eſſe hæc duo, inſidias ſtruere alicui ſine iuſta cauſa, & iuſto bello aliquem oppugnare; quorum illud nefarium eſt; hoc verò licitum. Deindè, quod de humanitate fratri debita, de religione & affectu fraterno dicit ex *l. 23. C. de excuſationib. tutor.* fatemur quidem hæc fratri à fratre deberi, niſi maior ſit obligatio, qua quis alteri teneatur. Iam vaſallus domino iuriſiurandi religione obſtrictus eſt, quod eum velit contra omnes defendere. Ergò etiam contra fratrem, cum is non reperiatur exceptus. Tertiò quod ait, ius naturale & ſanguinis, ac proindè illam charitatem quam natura inter fratres eſſe voluit, nullo iure ciuili tolli poſſe, *arg. §. vlt. Inſtit. De legitima agnator. tutela.* Reſpondemus in multis iuris articulis ius naturale reformari ac reſtringi iure ciuili, *arg. l. 6. ff. de Iuſtit. & iure*, quod alias latiùs explicatur ad *§. vlt. Inſtit. De iure naturali, gent. & ciuil.* Quod quarto loco affert ex Salluſtio & Quintiliani Declamationibus, neminem amiciorem eſſe poſſe quàm fratrem, nullam extraneam amicitiam tàm poſſe eſſe felicem, quin fraternitatem imitetur; id facilè concedi poſſet, niſi arctior eſſet neceſſitudo inter vaſallum & dominum; huic enim (vt dictum) vaſallus iureiurando obſtrictus eſt, frater fratri non item. Nec dici poteſt, hoc iuſiurandum eſſe vinculum iniquitatis, & contra bonos mores, proindeq; non obligatorium; non enim tam arcta eſt coniunctio inter fratres, vt inter patrem & filium, quod vel ex querela inofficioſi teſtamenti ſatis patet, quæ longè difficilius fratri da-

tri datur quam vel filio vel parentibus.

29. D. *Quid ſi vaſallus quis ſit Comitis aut Baronis feudum à principe obtinentis, & bellum fortè oriatur inter Principem & Comitem vel Baronem, vtri potius opem feret vaſallus?*

M. Non dubium eſt quin principem præferre debeat, dum is non manifeſtè iniuſtam bellandi cauſam habeat. nam princeps eſt antiquior dominus, quam vaſallus contra omnes inferiores ac poſteriores defendere debet, vt dictum ſupra. vide *Iacobinum de feud. fol. 69. verſic. 14.*

30. D. *Quid ſi bellum gerat dominus extra patriam, quatenus ipſum comitabitur vaſallus?*

M. Probo diſtinctionem interpretum, vt ſiquidem ob defenſionem ſui ducatus aut territorii bellum gerat dominus, cogatur vaſallus omninò ac ſimpliciter ipſum ſequi. Plerumque enim præſtat ſedem belli in hoſtico collocare, & vim hoſtilem in aliena ditione experiri, quam in propria, ne dubia Martis alea ſecus ſi cadat (vt eſt Mars ἀλλοπρόσαλλος) afferat duplex incõmodum; nempe & cladem exercitus, & propriæ regionis deuaſtationem. Sin autem non defenſionis, ſed ampliandi imperii, eiusque limites proferendi gratia dominus arma ſuſceperit, nec tamen procul à patria belli molem transferat; tunc vaſallus cum non tàm neceſſitate cogente, quàm honeſtate ſuadente ſequatur: At ſi in longinquam regionem pergat, & copias ducere inſtituat, tunc minimè ei adeſſe cogatur. vide *Iacobinum fol. 67.* Quod autem dixi de ſede belli in hoſtico potius quàm in propria regione collocanda, de eo conſule ſcriptores rei militaris & ſtratagematum, vt *Vegetium, Frontinum, Polianum, Onoſandrum, Polybium, & Iuſt. Lipſium.* Eſtque præter cetera memorabile exemplum Scipionis, qui vt Hannibalem ab obſidione Romæ ad patriæ ſuæ defenſionem reuocaret, exercitum maluit in Africã traducere, quàm cum hoſte in Italia congredi.

31. D. *Semperne vaſallus ipſemet in propria perſona domino ſeruire, cum eoque proficiſci in militiam debet?*

M. Diſtinguendum inter perſonas vaſallorum; vt

ſi vaſallus ſit impubes(quem *minorem* ſæpè vocant feudiſtæ, vt & Cuiacius rectè monuit) alium pro ſe mittat, & ſeruiat domino per ſubſtitutum, ſed idoneum, & qui æquè acceptabilis ſit domino, §. *ſi minori*, *&* §. *ſi deceſſerit.tit.*26.*libr.*2.*feudor.* Obſeruabis autem, feudiſtas interdum pupillarem ætatem extendere vſq; ad 18.annum, vt patet ex *titul.* 53. *in princip. & ex Guntheri lib.* 8. quæ ætas à veteribus ICtis dici ſolet *plena pubertas*. Interdum tamen 14. annis pubertas circumſcribitur, vt & iure Ciuili: quod liquet ex §. *præterea, tit.* 55. *collato cum d* § *ſi quis t.*26.Idem dicendum eſt de ſeptuagenario. nam & ſeptuageſimus annus immunitatem tribuit *arg. d. tit.* 53. vbi qui ſeptuageſimum ætatis annum compleuit, iurare non cogitur. *fac.l.*3. *ff. de iure immunitat.* Et quæ dicta ſunt ad *tit. Inſtit. De excuſat. tutor.* Olim apud Romanos ſexaginta anni immunitatem præſtabant, vnde etiam natum eſt prouerbium, quo dicebantur *ſexagenarii de ponte deiiciendi*; quod ſcilicet ſuffragium non amplius ferrent, quod per pontem alii ferebant. Eleganter Varro apud Nonium in verbis: *Sexagenarios per pontem mittendos*: cum verò in quintum gradum peruenerant atque habebant ſexaginta annos, tum deniq; erãt à publicis negotiis liberi atq; otioſi. Hinc & *Plinius* 4.*epiſtolar.* Ipſæ leges, inquit, maiorem annis ſexaginta otio reddunt. In Syriis teſte Vlpiano in *l.*3.*ff.de cenſib.* erant anni 65. Tandem verò Romani ſeptuaginta annos conſtituerunt. vide *Cuiac. ad l.*3.*C.Qui ætate ſe excuſ. lib.*10. Sin autem vaſallus ſit maior ſeu pubes, nec vllum ei obiiciatur iuſtum impedimentum: regulariter atq; ordinariè ipſe præſtabit ſeruitia, maximè ſi eius ſingularis ſit peritia, induſtria, fortitudo & dexteritas conſilii. Si verò impedimento aliquo detineatur domi, vel ſubſtitutum aliquem mittere debet æque acceptabilem domino, vel certâ pecuniæ ſummâ neceſſitatẽ eundi redimere proquantitate feudi, alibi quidẽ dimidiâ, alibi tertiâ parte fructuum ſiue redituum vnius anni: de quo *vide* §. *ſimiliter.titul.*40. *&* §. *firmiter, tit.*55. *iuncto tit.*54. *libr.* 2. *feud.* Interdum hæc ſumma permittitur laudamento ſiue arbitrio domini; quod tamen iure mireris, cum aliàs

nemo

nemo iudex in propria cauſa eſſe poſſit. Sic apud *Guntherum d. lib.* 8.

Publica militiæ vaſallus munera iuſta
Non renuat, dominique libens in caſtra vocatus
Aut eat, aut alium pro ſe ſubmittat iturum,
Arbitrio domini, vel quam laudauerit ille,
Compenſet redimatq; ſuum mercede laborem.

Laudauerit, id eſt, æſtimauerit vel arbitratus fuerit: vnde *laudum* vel *laudamentum* in libris feudorum, & apud hiſtoricos poſteriores ſignificat arbitrium ſiue ſententiam parium curiæ. *vid. titul.* 15 21. 22. 28. *libr.* 1. *feud. & tit.* 20. *lib.* 2. & exempla ex hiſtoricis apud *Hotomannum in lexico verb. feudal.* Dicuntur autem hæc quæ ita dantur, aliquando, ſtipendia militiæ, vt *d. titul.* 54. aliquando *hoſtenditiæ, vt tit.* 40.

32. D. *Vnde putas hoſtenditias eſſe appellatas, & quomodo definis?*

M. *Iacobus Cuiacius* 5. *feud. ad conſtitut. Friderici I.* (quæ Noribergæ ante 400. annos promulgata eſt) annotat ex Annalibus Iohannis Auentini, hæc tria idem valere, ac denotare multam non reſpondentis ad dilectum: *Raiſogeltum, Heribannũ*, & *hoſtenditias*. Vulgo (vt & Hotomannus) deducunt hoſtéditiarum nomen ab *hoſte*, cui Etymologiæ fauere videtur *textus in d. tit.* 40. in verbis: *in hoſtem pergentibus*. item: *hoſtem faciunt*. Ac putat Hotom. corruptũ eſſe verbum ex *hoſtelitz*. Marquardus Freherus in *commentario ad conſtitut. Carolinam de feudis*, deriuat à Germanico Oſtendienſt. Sic alias dicimus Herrendienſt / Frohnedienſt / Reuterdienſt. Putaui aliquando hoſtenditiarũ appellationẽ deductã videri ex veteri verbo *hoſtire*, quod ſignificat æquare, vnde & *hoſtimentum* apud Plautum in Aſinar. quod rectè exponit Feſtus beneficii penſationẽ. In quã cogitationẽ deducebat me quod Guntherũ ſup. d. loco legimus: *Cõpenſet redimatq; ſuum mercede laborẽ.* Vnde ſimul etiã definitio ſumi poteſt, quod ſcil. hoſtenditiæ nihil aliud ſint, quàm mercedes ſiue ſtipendia præſtita domino feudi a vaſallo, qui ipſe cum eo in militiam ire non poteſt, aut vult, neq; aliũ pro ſe idoneum ſubmittere; prǽſtita, inquam, ad cõpenſandum redimendumque laborem in militia obeundum.

33. D. *Sed ſi ipſe vaſallus cum domino proficiſcatur, cuius ſumptibus militabit, propriiſne an domini?*

M. Seruabitur hac in re quod vel pactis feudalibus in inueſtiturâ conuenerit, vel quod conſuetudo regionis tulerit. Textus eſt in *capit. extraord.* 107. quod incipit, *Antiquatum*, in verbis: *niſi aliud contractibus pactiones inſertæ deſiderarint:* & ibi Cuiacius annotat multum in hac re poſſe mores regionum, quamdiu & quatenus vaſallus ſuis ſumptibus debeat militare, *fac. l. 1. §. ſi renuerit ff. depoſiti, l. 32. cum l. ſeq. ff. de legib.* Quod ſi neutro modo aliquid definitum fuerit, & feudum ſit amplum, lautum, pingue atque opimum; vaſallus gratis & ſuis diſpendiis militabit, ſiue bellum geratur intra ſiue extra territorium domini, *arg. l. 18. cum duabus ſeqq. ff. de operis libertor.* Facit etiam huc *l. 33. §. vltim.* in verbis: *niſi certum ſalarium ei conſtitutum eſt, ff. De administrat. tutor.* Sin autem habeat feudum tenue & macrum, vt ſumptibus par eſſe non poſſit, dominus ipſi alimenta & ſumptus ſuppeditabit: quod ipſa ſuadet æquitas, maximè ſi extra territorium ſit proficiſcendum. vide *Zaſium p. 7. num. 44. cum duob. ſeqq.* *Wurmſerum tit. 51. de feud. obſ. 31. Forncrium cap. 17. §. De ſumptibus.* Quod autem dixi, etiam extra territorium pergenti domino vaſallum adeſſe & ſuis ſumptibus militare debere; id tamen ſub hac lege intelligendum eſt, dummodo ne vagetur dominus per orbem terrarum, quo caſu non eſſet iniungenda vaſallo neceſſitas, vbique eum ſequendi, miniméque ſuis ſumptibus, *argum. l. 20. in fin. ff. de operis libertorum.* quod & ſupra attigimus. Hîc obſeruabis notabilem differentiam inter vaſallos & alios ſubditos, alicuius principis, qui nulla ab eo feuda habent. Hi namque non tenentur principem comitari, & bellum gerentem adiuuare ſuo victu & propriis impenſis, ſed iuſta ac moderata ab eo percipient ſtipendia, ſi habeant reditus idoneos ex ſuo principatu; quos quidem in rebus gerendis pro communi vtilitate, non autem luxu conſumere debet; vtpote non ad ſuam, ſed ad ciuium vtilitatem conſtitutos. vide eleganter hac de re differentem *Fernand. Vaſquium libr. 1. illuſt. controuerſiar. cap. 6. num.* 4. facit huc

quod

quod ſcribit Cicero: Vt tutela, ſic procuratio reipubl. gerenda eſt non ad eorũ qui adminiſtrant vtilitatem; ſed eorum qui ipſis commiſſi ſunt. Quod idem *Ammianus Marcellinus* aliquoties repetit *lib.* 25. 29. *&* 30. nihil aliud, inquiens, eſſe iuſtũ imperium, vt ſapientes definiunt, niſi curam ſalutis alienæ, & finem eius eſſe commodum ac ſalutem obedientium.

34. D. *Allegaſti paulò ante capit. extraordinar. quod eſt* 107. *apud Cuiac. lib. 4. feud. quod dum inſpicio, ius de ſumptibus longè aliud conſtitutum reperio?*

M. Verum eſt, ibi indiſtinctè poni quod fideles, id eſt, vaſalli dominorum ſumptibus ſeruitia ipſis exhibere debeant, niſi aliud pactionibus conuenerit. Additur & ratio ſumpta ex Apoſtolo 1. ad *Corinth. cap. 9. verſ.* 7. Quis, inquit, propriis ſtipendiis vnquam militauit? Nemo, inquam, cogitur propriis impendiis militare; & iuſtum eſt vt conſequantur ſtipendium, quo tempore ſuum obſequium commodare reperiuntur. Vnde & Auguſtinus ait: Propter bella neceſſariò militi ſtipendium præbetur. *cap. 4. quid culpatur*, 23. *quæſt.* 1. Sed ſcire debes, illa capitula extraordinaria non eſſe authentica vbique aut magnæ autoritatis. certò nulla eſt iniuſtitia, eum, qui diu in pace fructus ex feudo ſolus percepit, tandem aliquando etiam adiuuare dominum in bello ſuis ſumptibus, quos facilè poſſunt exſarcire ſuperiorum & ſequentium annorum fructus, *argum. l.* 15. *§. Papinianus, ff. locati*; *iuncta l.* 8. *& l.* 18. *C. eod. c.* 3. *extra eod.* Obſeruabis obiter, in eodem capitulo ſatis nouè atque inuſitatè (*antiquatum eſſe*) poni, pro antiquitus receptum, antiquo more introductum; cùm aliàs antiquatum ius dicatur id, quod eſt abolitum & deſuetudine abrogatum; ſiue, vt Iuſtinianus loquitur, *inumbratum*: Et Feſtus dicit, legem in priſtinum morem reductam.

35. D. *Quid ſi damnum vaſallus fecerit in expeditione pro domino ſuſcepta, num id reſarciet ei dominus?*

M. Verius eſt, damnum illud, verbi gratia, equorum aut armorum amiſſorum, aliarumve rerum ad expeditionem neceſſariarum, ſpectare ad ipſum vaſallum, neq; domino imputandum eſſe caſum fortuitum, vel

vim maiorem & damna fatalia, quæ in nullo bonæ fidei iudicio præſtantur. *l. 23. ff. de reg. iur. Ferrarienſis in forma libelli* quo agitur ad reuocationem feudi. *Innocentius ad cap. ſicut. extra de iureiurando. Baldus & alii Dd. ad titul. 45. libri ſecundi feudor. vide etiam Borchold. cap. 1. de feud. num.* 27. Aliud cautum eſt iure Saxonico; nempe vt dominus huiusmodi damna ſarciat. vide Lehenrecht / *cap.* 4. & *cap.* 24. quod tamen ius negant obſeruari.

36. D. *Videris iam ſatis dixiſſe de ſeruitiis vaſalli militaribus. Nunc de pacificis expecto vt dicas?*

M. Sub militaribus ſeruitiis ſcias me etiam comprehendere voluiſſe aſſiſtentiam domino in rixa priuata præſtitam. Guerræ enim vocabulum vtrumque ſignificat, & bellum publicum & rixam priuatam, teſte *Hotomanno in Lex. verb. feudal.* Sed eſt etiam quoddam velut intermedium, & de vtroque participans, de bello, inquam, & de pace, videlicet vt vaſallus comitetur Imperatorem ad ſuſcipiendam à Pontifice coronam imperii in Italia, quod veteribus hiſtoricis rerum Germanicarum eſt *transalpizare*, quaſi dicas *Alpes tranſcendere*. Huius expeditionis Romanę ob ſuſcipiendam coronam mentio fit etiam in *titul. 54. libri ſecundi feudor.* & paulò obſcurius in *tit.* 40. eamque feliciſſimam ſui numinis expeditionem vocant Impp. Lotharius & Fridericus: quam loquendi formulam, vt ſcil. numen ſuum iactent, didicerunt noſtri illi Impp. ex Legibus Iuſtiniani & aliorum Principum, quorum Conſtitutiones in Codicem relati talibus ſcatent. Fateor equidem, ſubditos ita erga Principem affectos eſſe debere, vt pro numine, & pro Deo quodam terreno ipſum habeant, colant, ac venerentur: Sed an principem ipſum hæc ſibi arrogare & de ſe prædicare deceat, ſubſiſto. Ad expeditionem verò illam Romanā quod attinet, de ea *vide etiam Marquard. Freherum initio comment. ad conſtitut. Caroli III. de feudis*: vbi ait, eam coronationem vt ſuperfluam & grauem Impp. tandem fuiſſe inſuper habitam. Dico, hanc ſeruitii ſpeciem eſſe mixtam, id eſt, partim pacificā, partim militarem. Pacifica eſt quatenus ſeruit honori, ſplendori, & maieſtati

teſtati noui imperatoris, cuius intereſt, quàm maximum ac ſplendidiſſimum comitatum ſecum ducere ad inaugurationem; quia vt Pindarus ſcripſit: Cuiusque rei ſplendidum oportet ſtatuere veſtibulum: Militaris verò fit eadem opera, ſi fortè in hoſtes aut inſidias in itinere illo inciderit Imperator, vt eum defendant ſui comites & vaſalli. quod perſæpè neceſſarium fuit cum aliis Germanicis Impp. tùm maximè Lothario III. & Friderico I. vt in ipſorum hiſtoria legimus.

37. D. *Quænam ergò ſunt alia officia, ad quorum præſtationem vaſallus domino obligatus eſt extra militiam & rixam, atque etiam extra illam transalpizationem, de qua dixiſti?*

M. Eſt etiam officium quoddam in pecuniarum contributione & ſubſidio poſitum; nempe ſi dominus filiam ſuam in matrimonium collocare velit, aut etiã in monaſterium, (quod vulgo Canoniſtæ vocant *matrimonium ſpirituale*) nec ipſe de ſuo patrimonio pro dignitate filiæ ſuæ dotem conſtituere poſſit. Ita ex ſententia Speculatoris, Hoſtienſis & Laudenſis conſuetudine approbatã tradidit *Zaſius par. 7. num.* 50. *& ſeq.* *Weſembecius cap.* 10. *de feud. num.* 18. cui tamen opinioni & conſuetudini tanquam ridiculæ & abſurdę contradicit *Fornerius cap.* 16. *de feud. in* §. *Dominum feudi.*

38. D. *Quæ ſunt vtriusq; partis fundamenta?*

M. Pro Zaſii & cæterorum ſententia affirmatiua, (quam etiam *Schraderus ſequitur par. 6. c. 6. numero* 202.) facere videtur, quod & clientes veteres Romanorum ſuis patronis ob ſimilem cauſam aliquid contribuere ſubſidii cogebantur, teſte *Dionyſ. Halicarnaſſeo libro ſecundo.* Pro Fornerii autem ſententia negatiua facit, quod ſi dicamus vaſallum teneri ad dotandam filiam domini aliquid cõtribuere, ſequeretur hoc abſurdum, ipſam fore melioris conditionis, quam parentẽ ſuum dominum feudi: nam huic fortè inopiã laboranti alimenta à vaſallis non deberi vulgaris eſt ſententia, vt mox audies. Ad clientes autem Romanorum quod attinet, reſpondet Fornerius exemplum eſſe diſſimi-

le, nec trahendum ad conſequentias, *argum. l. vlt. ff. de calumniat.*

39. D. *Quid ſi filia non ſit legitima, ſed ſpuria, an vaſallus tunc quoque ad eam maritandam contribuere debet?*

M. Ita quidem volunt *Zaſius, Schraderus* & alii, hoc argumento; quia dos cedat pro alimentis: Alimenta autem iure Canonico etiam inceſtuoſis liberis debentur, nedũ ſpuriis ac nothis. Mihi magis placet ſentẽtia negatiua Iacobini, in verbis; *qui quidẽ inueſtiti, n. 79. & Sonsbecii p. 11. n. 48.* parum .n. honeſtum eſſet hoc officium, ſi vaſallus cogeretur etiã ad ſpuriam maritandã aliquid conferre: ipſe verò tantùm ad honeſta obligatus eſt. *tit. 7. lib. 2. Feud.*

40. D. *Cogiturne vaſallus dominum egenum exhibere & alere, an non?*

M. Dixi paulò antè, vulgarem eſſe ſententiam negantem, quam & Zaſius probat *par. 7. num. 48. & Iul. Clarus, quæſt. 23. Hartman. Hart. tit. de feud. 54. obſ. 33. numero 4. Weſembecius cap. 10. num. 17.* qua in re volunt differre vaſallum à liberto, qui patronum, imò etiam patroni filium interdum inopem & famelicum alere tenetur, *l. 5. § ſolent. ff. de agnoſcend. & alend. l. 1. & ibi notat gloſſa & Dd. Cod. de operis libertor.* & quidem alimenta menſtrua ferè fuiſſe, ſiue in ſingulos menſes præberi ſolita intelligimus ex *l. vlt. ff. de agnoſcend. & alend.* adeò vt ob non præſtita alimenta libertas in ſeruitutem reuocari poſſit, *l. 6. ff. d. titul.* Quemadmodum etiam à donatario tanquam ingrato reuocatur donatio, ſi donatorem inopem alere neglexerit, *gloſſ. & Dd. in l. vltim. Cod. de reuocand. donation. Ferrarienſis in forma libelli quo agitur pro donatione, in verbo, irreuocabiliter.* Addunt tamen hanc exceptionem, niſi patronus ſiue ſenior ex facto & occaſione vaſalli ad inopiam redactus eſſet, vt tunc vaſallus ipſum alere teneatur. dd. locis. Excipiunt deindè & hunc caſum, niſi dominus omnia bona ſua in feudum dediſſet: & tertiò, niſi feudum valdè opimum ſit. Sed aliis contrarium verius videtur; nempe vaſallum cogendum eſſe egenti domino alimenta præſtare, non quidem

de ſuo

Digitized by Google

de ſuo patrimonio, ſed pro quantitate feudi vſque ad dimidiam partem fructuum ac redituum annuorum. Ita *Nicol. Eberhard. in loco à liberto ad vaſallum. numero* 14. vbi tamen fatetur hunc articulum eſſe dubium. Vide etiam *Hartman. d. obſeruat. 33. numero quarto & ſeqq. & Schraderum par. 9. cap. 8. numero duodecimo & ſeq.* qui Schraderus, ne putetur alſbi contrarius ſibimet ipſi, nempe *par. 6. cap. 6. numero* 94. dicēdum quod res eſt, eum ibi non ſuam poſuiſſe ſententiam, ſed aliorum retuliſſe. Et certe ſi vaſallus domino nō ſeruiens, aut alium pro ſe ſubmittens æque idoneum, cogitur ſtipendia militiæ pro quantitate feudi perſoluere, & quidē ad dimidium redituum annuorum, ſicut nuper de hoſtenditiis dicebam ex *tit.* 54. *& tit.* 55. *libri ſecundi feud.* multò iuſtius hanc mediam partem conferet ad alimoniam domini, cum alimenta denegans necare videatur. *l. 4. ff. de agnoſcend. & alendis liberis.* Si item vaſallus domino ſuccurrere in neceſſitatibus cogitur, (vt certe cogitur §. *licet. tit. 26.*) quæ poteſt eſſe maior neceſſitas, quàm famis, quæ omnium rerum clades atque acerbitates ſuperat, teſte *Ioſepho libro ſexto de bello Iudaico, cap.* 14. animi tormentum, corporis labes, magiſtra peccandi, diriſſima neceſſitatum, deformiſſima malorum; vt verbis vtar Quintiliani in declamationibus. Et quomodo incolumē ſeruabit vaſallus dominū ſuum (id quod inter cætera fidelitatis capita iurauit ſe facturum) ſi alimenta ipſi denegauerit, ſine quib. vita ipſa & incolumitas cōſiſtere nequit. Taceo quod paulo ante dictum de liberto & donatario, qui patronum & donatorē inopem alere tenentur. Taceo deniq; quod ad dominū multis caſibus redire poteſt feudum. Ergo alimenta ipſi denegari non debent, *argum. l. 1. §. Totes, ff. de ventre in poſſeſſ. mitten.* eamq; ſententiam nouiſſime probauit etiam *D. Bocerus diſput. 16. claſſe 4. n.* 35.

41. D. *Quid ſi dominus ære alieno oppreſſus ſit, an vaſallus pro ipſo ſoluere tenetur, vt eum vel periurii vel carceris, vel quo alio periculo liberet?*

M. Non cogitur, *argum. tit. C. Ne filius pro patre vel libertus pro patrono conueniatur. Zaſ. p. 7. num. 47. Iulius*

le, nec trahendum ad conſequentias, *argum. l. vlt. ff. de calumniat.*

39. D. *Quid ſi filia non ſit legitima, ſed ſpuria, an vaſallus tunc quoque ad eam maritandam contribuere debet?*

M. Ita quidem volunt *Zaſius, Schraderus* & alii, hoc argumento; quia dos cedat pro alimentis: Alimenta autem iure Canonico etiam inceſtuoſis liberis debentur, nedũ ſpuriis ac nothis. Mihi magis placet ſentẽtia negatiua Iacobini, in verbis; *qui quidẽ inueſtiti, n. 79. & Sonsbeccii p. 11. n.* 48. parum .n. honeſtum eſſet hoc officium, ſi vaſallus cogeretur etiã ad ſpuriam maritandã aliquid conferre: ipſe verò tantùm ad honeſta obligatus eſt. *tit. 7. lib. 2. Feud.*

40. D. *Cogiturne vaſallus dominum egenum exhibere & alere, an non?*

M. Dixi paulò antè, vulgarem eſſe ſententiam negantem, quam & Zaſius probat *par. 7. num. 48. & Iul. Clarus, quæſt. 23. Hartman. Hart. tit. de feud. 54. obſ. 33. numero* 4. *Weſembecius cap. 10. num.* 17. qua in re volunt differre vaſallum à liberto, qui patronum, imò etiam patroni filium interdum inopem & famelicum alere tenetur, *l. 5. § ſolent. ff. de agnoſcend. & alend. l. 1. & ibi notat gloſſa & Dd. Cod. de operis libertor.* & quidem alimenta menſtrua ferè fuiſſe, ſiue in ſingulos menſes præberi ſolita intelligimus ex *l. vlt. ff. de agnoſcend. & alend.* adeò vt ob non præſtita alimenta libertas in ſeruitutem reuocari poſſit, *l. 6. ff. d. titul.* Quemadmodum etiam à donatario tanquam ingrato reuocatur donatio, ſi donatorem inopem alere neglexerit, *gloſſ. & Dd. in l. vltim. Cod. de reuocand. donation. Ferrarienſis in forma libelli quo agitur pro donatione, in verbo, irreuocabiliter.* Addunt tamen hanc exceptionem, niſi patronus ſiue ſenior ex facto & occaſione vaſalli ad inopiam redactus eſſet, vt tunc vaſallus ipſum alere teneatur. dd. locis. Excipiunt deindè & hunc caſum, niſi dominus omnia bona ſua in feudum dediſſet: & tertiò, niſi feudum valdè opimum ſit. Sed aliis contrarium verius videtur; nempe vaſallum cogendum eſſe egenti domino alimenta præſtare, non quidem

de ſuo

de ſuo patrimonio, ſed pro quantitate feudi vſque ad dimidiam partem fructuum ac redituum annuorum. Ita *Nicol. Eberhard. in loco à liberto ad vaſallum. numero* 14. vbi tamen fatetur hunc articulum eſſe dubium. Vide etiam *Hartman. d. obſeruat.* 33. *numero quarto & ſeqq. & Schraderum par.* 9. *cap.* 8. *numero duodecimo & ſeq.* qui Schraderus, ne putetur alibi contrarius ſibimet ipſi, nempe *par.* 6. *cap.* 6. *numero* 94. dicẽdum quod res eſt, eum ibi non ſuam poſuiſſe ſententiam, ſed aliorum retuliſſe. Et certe ſi vaſallus domino nõ ſeruiens, aut alium pro ſe ſubmittens æque idoneum, cogitur ſtipendia militiæ pro quantitate feudi perſoluere, & quidẽ ad dimidium redituum annuorum, ſicut nuper de hoſtenditiis dicebam ex *tit.* 54. *& tit.* 55. *libri ſecundi feud.* multò iuſtius hanc mediam partem conferet ad alimoniam domini, cum alimenta denegans necare videatur. *l.* 4. *ff. de agnoſcend. & alendis liberis.* Si item vaſallus domino ſuccurrere in neceſſitatibus cogitur, (vt certe cogitur §. *licet. tit.* 26.) quæ poteſt eſſe maior neceſſitas, quàm famis, quæ omnium rerum clades atque acerbitates ſuperat, teſte *Ioſepho libro ſexto de bello Iudaico, cap.* 14. animi tormentum, corporis labes, magiſtra peccandi, diriſſima neceſſitatum, deformiſſima malorum; vt verbis vtar Quintiliani in declamationibus. Et quomodo incolumẽ ſeruabit vaſallus dominũ ſuum (id quod inter cætera fidelitatis capita iurauit ſe facturum) ſi alimenta ipſi denegauerit, ſine quib. vita ipſa & incolumitas cõſiſtere nequit. Taceo quod paulo ante dictum de liberto & donatario, qui patronum & donatorẽ inopem alere tenentur. Taceo deniq; quod ad dominũ multis caſibus redire poteſt feudum. Ergo alimenta ipſi denegari non debent, *argum. l.* 1. §. *Totties, ff. de ventre in poſſeſſ. mitten.* eamq; ſententiam nouiſſime probauit etiam *D. Bocerus diſput.* 16. *claſſe* 4. *n.* 35.

41. D. *Quid ſi dominus ære alieno oppreſſus ſit, an vaſallus pro ipſo ſoluere tenetur, vt eum vel periurii vel carceris, vel quo alio periculo liberet?*

M. Non cogitur, *argum. tit. C. Ne filius pro patre vel libertus pro patrono conueniatur. Zaſ. p.* 7. *num.* 47. *Iulius*

*Clar.quaſt.*24. *Weſemb. d. cap.* 10. *num.*17. *Schrad.par.*9. *cap.*8.*num.*8.*& ſeq.Fern.Vaſq. Illuſtr. controuerſ.* 6. *libr.*1. *num.*6.vbi ait: Multò minus ſimplicem ſubditum, qui non ſit feudatarius ſuo principi ad hoc teneri, cum vaſallus ad multò plura teneatur domino feudi, quàm ſimplex ciuis ſuo principi. Et de periurii periculo *textus eſt in* §.*licet,tit.*26.*& in* §.*vlt.tit.*39. *libri ſecundi.* De carcere hanc reddunt rationem; quia dominus eum euadere poſſit ceſſione bonorum ex beneficio leg.Iulię: de quo diximus ad §.*vlt.Inſtit.De actionibus.* Exceptio eſt, niſi æs alienum propter vaſallum ſit contractum. *Zaſ.d.loco.*Hoc.n.caſu id à vaſallo agnoſci & pro domini liberatione diſſolui, ęquiſſimum profectò eſt?

42. D. *Quid ſi dominus captus ſit ab hoſtibus, num vaſallus ipſum redimere cogitur?*

M. Omninò atq; ita intelligunt Dd.textum in §. *Itē ſi delator.tit.*24.quamuis ille generaliter loqui videatur de quauis incluſione. Adeò autem cogitur vaſallus dominum redimere, lytro hoſtib. pro eo perſoluto, vt niſi hoc fecerit, cum poſſet, feudū ex hac cauſa perdat. nam hæc etiam exheredationis iuſta cauſa eſt *Nou.* 115. *Cuiac.ad N.*18. Eſt autem apud feudiſtas celebratiſſima regula: Quas ob cauſas exheredari quis poteſt, ob eaſdem poſſe etiā ad priuationē feudi procedi. §.*prædictis modis,t.*24.qua de re inf.plurib. Et ita quidē vulgò ferè ſentiunt, diſtinguentes inter captiuitatē apud hoſtes, & incluſionē in carcere ob æs alienū. Si tamē propiùs inſpexerimus *textum d.*§.*Item ſi delator*; eumq; contulerimus cū textu *N.*115. *in* §.*Aliud quoq; capitulum, verſ. cauſas autē,* (inde enim ſumtus eſt textus feudalis) tum ergò deprehendemus, diſtinctionē illam vulgarem alienam eſſe à mēte illorum textuum, & proinde veriùs videri, quod vaſallus etiam carcere clauſum dominū, ſi poſſit, liberare debeat, verbi gratia, pro ipſo fideiubendo, qua in ſententia Cuiacium quoque eſſe video *libr.*3. *de feudis ad tit.*1. *propè finem*: vbi teſtatur hoc expreſſum eſſe conſtitutionibus Neapolitani *lib.*3. *t.* 19. Nec obſtat huic noſtræ ſententiæ, vel §.*licet,tit.*26.*libr. ſecundi, vel* §.*vlt.tit.*39.quos vulgaris ſententiæ patroni perpetuò in ore habent, ſed perperam. Non enim loquun-

quuntur de omiſſa à vaſallo liberatione ex carcere & vinculis, ſed de ea liberatione quæ fit à periurio. Aliud autem eſt prohibere, ne quis in periurium aut aliud graue crimen incidat; aliud longè, liberare quem ex carcere & vinculis. In carcerem & vincula ſępè conĳci poteſt etiam vir bonus & innocens; at periuria, aliave crimina abſque animo improbo, & vt Longobardorum vtar vocabulo *aſte animo*, ſiue vt ICti loquũtur, *ſine dolo malo* non cõmittuntur. Illic verſatur calamitas digna cõmiſeratione, & ſuccurſione; iſtic improbitas & malitia, quæ odiũ meretur. Et qui ipſe ſciens prudẽsq; in aliquod crimen ſe præcipitat, is fruſtra aliorum opẽ circumſpicit. Nam vt eleganter ac verè ſcripſit Baſilius Magnus & ex eo Beatus Ambroſius in Hexaëmeron: quorũ ipſi ſumus domini, quęq; in poteſtate noſtrâ habemus, (vt actiones quiſq; ſuas) eorũ cauſſas ac principia foris quærere, aliisq; imputare non debemus.

43. D. *Suntne & alia ad obligationem vaſalli perſonalem pertinentia?*

M. Tenetur quoq; vaſallus domino petẽti fines ac limites feudi oſtẽdere, niſi probabiliter ipſe eos ignoraret, vt docet *Zaſius par. 7. num. 52. Roſenthal. c. 8. concluſ. 66. cum ſeqq.* Sic tenetur ſæpè vaſallus conficere & tradere domino inſtrumentum recognitionis, quod vulgò vocant, Einen Reverß von ſich geben / in quo inſtrumento contineatur conſignatio bonorũ, quæ in feudum accepit, & ſeruitiorũ feudalium expreſſio. qua de re vide *Bald. ad l. Debitum, C. de liberali cauſa.* Tenetur itẽ aliquãdo edere domino requirẽti inſtrumentũ inueſtituræ: quod tamẽ limitatur vt nõ procedat in eo vaſallo qui per 30. annos feudũ poſſedit, ſed tãtum obtineat in eo, qui recèns poſſeſſionẽ feudi nactus ſit, vt ſcilicet hic ſolus cogatur ſuæ poſſeſſionis titulũ oſtendere, ſi ſe vaſallum alicuius eſſe dicat altero negante, de quo vide *Borchold. cap. 8. numer. 117. & 119. Roſenthal. c. 8. concl. 59. cum ſeqq.* cum aliàs regula ſit, neminẽ cogi titulũ ſeu cauſſam poſſeſſionis ſuæ dicere *l. 11. cogi Codic. de petition. hereditat.* Deniquè ne longum faciam, vaſallus non debet inimicis domini ſui commeatum concedere, neque per feudalia bona, neque

per propria, nec hoſpitio ipſos excipere, aut vlla cum eis familiaritate coniungi: *Zaſius p. 7. num. 43.* hæc enim faciendo videretur eſſe amicus inimicorum Domini & cum ipſis colludere, atque ob id feudo priuari poſſet. *vide tit. 57. libri ſecundi feud.* Sed hac de re infra diſtinctius agetur. Poſtremò vaſallus tenetur renouationem inueſtituræ à domino petere, quoties mutata fuerit perſona vel vaſalli vel domini; de qua renouatione inueſtituræ intra quod tempus petenda ſit, & quid iuris ſit, ſi plures ſint hæredes, vel ſenioris vel vaſalli, iam ante dixi in loco de inueſtitura. vbi & hoc expoſitum eſt, an pro ea renouatione & pro introitu cogatur vaſallus aliquid numerare; quæ omnia hîc repetere potes, cum etiam quodammodo ad obligationem vaſalli pertineant. Hoc quoque non eſt omittendum, quod cogatur vaſallus cum paribus curiæ, id eſt aliis conuaſallis iudicare de controuerſiis, quæ inter dominum & alium quempiam vaſallū fortè inciderint. Sed hac de re infra commodius erit dicere, ſub capite, *De iudice competente, in cauſis feudalibus.*

44. D. *An ergò ſemper vaſallus domino ſeruitia præſtare cogitur?*

M. Immò quædam ſunt exceptiones, quibus à neceſſitate hac excuſatur: quarum nonnullas iam ſupra adtigimus; nempè ſi dominus fuerit excommunicatus, vel bannitus: item ſi ſit hæreticus, quàm diu non fuerit vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ reconciliatus, & in integrum reſtitutus. Sic excuſatur à præſtatione ſeruitiorum qui feudum refutauit domino: quamuis vt ſup. dictum, adhuc reuerentia durare debeat: ſic excuſatur qui hoſtenditias, id eſt, ſumptus belli domino præbuit, de quibus etiam ſupra memini. Sic non cogitur præſtare ſeruitia, qui feudum habet Francum ſeu liberum à ſeruitiis; de quo item ſuprà in diuiſionibus feudorum. Non cogitur etiam vaſallus ſeruire domino qui ſeruitia præſcripſit, atque ita libertatem eorum adquiſiuit, ſi nimirum toto 30. annorum ſpatio nulla præſtiterit, cum quidem de iis

de iis interpellatus eſſet à domino, vel alii interim vaſalli à domino ad ſeruitia vocarentur, & ipſe ſolus immunis relinqueretur. Sic enim volunt Doctores, vt *Iaſon ad l. 2.num.72.C.de iure Emphyt.Schraderus part.6. cap.6.num.62. Ioh. Andreæ in additionibus ad Speculat.in rubr. de præſcriptionibus.* quod addes ad ea quæ ſupra attigi de præſcriptione feudi, & ſeruitiorum illius. Sic excuſatur vaſallus à ſeruitiorum præſtatione, ſi dominus bellum gerat palàm iniuſtum, & quidem non ad ſui defenſionem,ſed ad aliorum offenſionem, de quo item ſuprà audiuiſti. Item excuſatur non præſtans ſeruitia,cum non eſſet ſuper illis requiſitus. Item non tenetur ſeruire domino aduerſus Imp. vel aliũ antiquiorem dominum: Item, ſi non poſſit abſque præſentiſſimo vitæ ſuæ periculo dominum iuuare; aut ſi auxiliũ domino præſtitum nihil eum iuuaret.His nunc adde,ſi fortè quis feudum habeat ab Imperio,& contingat duos pluresve eligi Impp. diſſentientibus Principum ſuffragiis (id quod aliquoties contigiſſe ſcimus ex hiſtoriis,verbi gratia, cum aduerſus Ludouicum Bauarum electus eſt Fridericus Dux Auſtriæ, & alii contra alios) ambobus impunè vaſallus recuſabit præſtare ſeruitia, quoad vnus fuerit confirmatus: de quo vide *Schraderũ part.6.cap.6. nu. 61.* Sic dum pendet lis inter dominum & vaſallum,interim ſeruitia ipſi præſtare non cogetur, de quo vide *Ius Saxonicum cap.*4. Lehenrecht. Sic excuſatur vaſallus à præſtandis ſeruitiis, ſi non percipiat fructus neque commoda ex feudo, puta, quia abſque ſua culpa poſſeſſionem eius amiſit,quia feudum ſeniori oppignorauit,vide *Nicol. Mozzium cap. vlt num.*112. *Abbat. in cap.* 1. *extra de feud. gloſſ. vlt. in cap.*1. *extra de vſuris.* Adhæc excuſat vaſallum à ſeruitiis nimia egeſtas, per quam nec equum, nec arma ſibi comparare poſſit.Ita *Iohan.Blancus in ſumma feudali,tit.Quib.mod. feud.amit.*Quomodo etiam à tutela excuſat paupertas, ob quam quis iniuncto oneri impar ſit, §.*ſed & propter, Inſtit.de Excuſ.tut.*

CAPVT II.

Quid & quatenus in feudo liceat vaſallo vel non liceat: Vbi inter alia de Subfeudatione & Refutatione feudi.

1. D. *Dixiſti, opinor, quantum ſatis eſt de iure perſonali, quod ſpectatur in vaſallo, ſiue quod vaſallus domino debeat. Nunc priusquam exponas, ad quid viciſſim dominus vaſallo teneatur, cupio cognoſcere de iure reali, quod vaſallo competit in feudo, ſiue quid & quatenus ei in feudo liceat, vel non?*

M. Id quidem iam proximum eſt ex ſuperiore noſtra partitione ad explicandum. Velim tamen hoc prius vniuersè velut in anteceſſum abs te obſeruari, quod ſuo loco intelliges plenius: Quot ſunt capita, ad quæ vaſallus obligatur, totidem eſſe commoda, quæ inde redeunt ad dominum. Nam hæc eſt natura obligationis mutuæ, vt qua in re grauat ad ſtrictum, in eadem iuuet eum, cui quis obligatus eſt, eiusq; conditionem faciat meliorem.

2. D. *Intelligo: ſed quæ nam illa ſunt, quæ dicis vaſallo permitti iure feudali, vel contrà denegari?*

M. Latiſſimè patet hic locus, ſed opera dabitur, vt quàm breuiſſimè omnia conſtringamus. Igitur in feudo vaſallus hæc iura habet: Primùm, quaſi dominium quoddam: Secundò etiam poſſeſſionem feudi: Tertiò, ius percipiendi, & ſuos faciendi fructus: Quartò, incrementa rei feudalis; vt ſi quid fundo acceſſerit per adluuionem vel inſulam. Quintò, habet facultatem rei feudalis meliorandæ, ac mutandæ. Sextò, facultatem ſubinfeudandi, ſeu alteri rem in feudū concedendi. Septimò, facultatem & adquirendi & imponendi ſeruitutem rei feudali. Octauò, facultatē feudū refutandi ſeu cedendi domino. Nonò, habet poteſtatem & agendi de feudo, & actiones excipiendi, itemq; tranſigendi. Contrà autem denegatur vaſallo poteſtas deteriorandi & alienandi feudi. quæ ſingula qualia ſint, ordine videamus. Primùm dicebam vaſallum in feudo habere quaſi dominium, vulgò hoc vocant, *vtile dominium*: quia ſcil.

vtilis

vtilis actio eo nomine detur, *gl. in t.43. li.2. in verb. ipſe enim ſolus vtiliter.* Alii verò vſumfructum quendam eſſe volunt, vt *Hotom. c.4. diſp. feud. & Cuia. li. 1. Feud. t.5.* pro quibus etiam facit definitio feudi, in qua vſusfr. adhibetur, *t.23. li. 2. in fin.* ſed quantum diſtet feudum ab vſufructu, latè oſtenſum eſt ſupra, cũ ſeparauimus feudum ab aliis, quæ cum eo adfinitatẽ habere videntur. Ex hoc autem iure, quod quaſi dominium vocamus, nõ tantùm illud fluit, quod fructus feudi ſuos faciat vaſallus, de quo mox; ſed etiam, quòd tanquã dominus poteſt rem feudalem, de qua ritè inueſtitus eſt, ſibi quaſi vindicare à quolibet poſſidente, ſiue habet vtilem rei vindicationem, *§. rei autem & ibi gl. in verbo, vindicare lib.2. Feud. t.8. & d. t.43.* ſed de actionib. pro feudo competentibus infra ſeorſim dicetur: vbi hoc quoq; explicabitur, an actionem illam poſſit vaſallus exercere ſolus ſine domino. Ex eodẽ quaſi dominio etiã illud eſt, quod poſſit vaſallus ab alio cõuentus (vt aditio) per exceptionẽ ſe tueri *d. t.43.* in verbis, *& excipiendi habet poteſtatem*; & *t.8.* in verbis: *etſi ab alio eius rei nomine conueniatur defenſionem opponere.* Idq; ex regula vtriusq; iuris: Quia cui damus actionem, eidem & exceptionẽ multò magis cõpetere quis dixerit *l.156. §.1. D. de Reg. iur. c.71. de Reg. Iur. in 6.* Secundò, dixi, ad vaſallũ pertinere poſſeſſionem rei feudalis: cuius ſępè fit mẽtio in his libris, vt *li.2. t.7. in fin.* item *t.88. vlt.* quamuis inquit, text. poſſeſſio per beneficium ad eum pertineat, tamẽ proprietas ad aliũ ſpectat, vide etiam *t.22.* vbi ſæpè nominatur poſſeſſio. Sic *t.26.* de transferenda & tradẽda poſſeſſione feudi aliquoties agitur; Vnde etiam ſuprà vaſallum contulimus cum bonę fidei poſſeſſore. Et hac in re feudum ab vſufructu inter alia differt, vſufructuarius enim non poſſidet rem fructuariam verè & ciuiliter, ſed tantùm naturaliter tenet, *l. 12. in princ. & l. 49. in pr. D. de acquir. poſſ.* nõ enim ſibi ſed proprietario poſſidet. Licet Hotoman. diſſentiat, & feudatariũ quoq; nõ ciuiliter poſſidere, ſed naturaliter tantũ tenere velit feudũ; quia ſc. ad vſucapionẽ ſua poſſeſſio ipſi nõ proſit. Verũ hoc nõ fit ob defectũ poſſeſſionis veræ ac ciuilis, ſed ob prohibitionem imperialẽ; de qua ſup. dictum. Quem-

admodum autem ex quaſi dominio illo competit vaſallo vtilis rei vindicatio ad rem feudalem, *d. §. rei autẽ, titu. 8. lib. 2.* ita poſſeſſionis nomine interdicta quoque eidem vaſallo adcommodantur adipiſcendæ, retinendæ, & recuperandæ poſſeſſionis, vt prolixè probat *Iacob. Menochius remed. 4. adipiſcendæ poſſeſſionis, num. 375. & remedio 1. retinendæ poſſeſſionis, num. 81. cum duobus ſequentibus*; eaque dantur vaſallo non ſolum aduerſus alios, ſed etiam in ipſum dominum: dummodo hoc memineris pro interdicto vnde vi, quod eſt recuperandæ, debere vaſallum inſtituere aduerſus dominum actionem in factum, quia ſcilicet interdictum grauaret opinionem domini apud honeſtos viros, vtpotè, quod cõtineat mentionem violentiæ ſiue criminis cuiuſdam, *argum. l. 1. §. interdictum hoc, D. de vi & vi armat. Unde vi, &c.* & eorum quæ ſupra dixi, de Effectibus reuerentiæ domino debitæ. Tertio, dixi, ad vaſallum pertinere ius percipiendi, & ſuos faciendi fructus ex re feudali. Huius quoque iuris paſſim in iſtis libris fit mentio, vide *tit. 28. lib. 2. in §. his conſequenter, & tit. 45. item in §. firmiter, tit. 55.* vbi nominantur reditus feudi, qui alibi fructus, vt *tit. 40.* Quomodo etiam in Iure Canonico Emptio redituum vocatur, & in *l. 5. §. non paſſim. D. de rebus eorum qui ſub tutela*, reditus & obuentiones coniunguntur opponunturquè fructibus conditis, id eſt, in horreum conuectis, quæ etiam Latinis abſolutè interdum adpellantur *Condita*. Fructuum diuiſio repetenda hîc eſt ex iis quæ dicta ſunt ad *tit. Inſtit. De rerum diuiſione.* Nec mirum quod vaſallus fructus ſuos faciat, cum etiam fructuarius, qui tamen minus iuris habet, idem poſſit. Immò ad hoc ipſum datur feudum, vt vaſallus ex fructibus eius ſe exhibeat, & ſeruitia præſtet domino, quæ plerumque ſunt militaria, & magnos requirunt ſumptus, vt ſup. oſtenſum eſt. Quantum verò quoad fructus interſit, inter vaſallum & fructuarium, iam antè attigi, cum indicarem differentias feudi & vſusfructus, & plenius infra dicam, vbi de ratione diuidendi fructus poſtremi anni inter dominum & hæredes vaſalli, poſt feudum domino apertum agetur. Qua de re interim videre licet *Cuiac. ad lib. 4. Feud. tit. 30. de fructi-*

fructibus feudi, & Hartman. Piſt. lib. 2. quæſt. iuris. Si igitur in fundo feudali vaſallus fortè offenderit venas aliquas ſeu fodinas metallicas, aut lapidicinas, aut ſalinas, aut theſauros, hæc omnia ad ipſum pertinebunt, de quo vide *Weſembec. c. 12. de Feud. n. 4. & 6.*

6. D. Incrementa feudi & acceſſiones ad quem pertinent?

M. In vſufructu quidem diſtinguitur incrementum latens ab euidenti, hoc modo, vt illud pertineat ad fructuarium, eoquè augeatur vſusfructus: hoc non item, ſed pertineat ad proprietarium, *l. 9. §. huic vicinus. D. de vſufruct.* quamuis *Paulus §. adceſſio adluuionum, tit. 6. lib. 3. ſent.* id negare, & ab illo diſſentire apertè videatur, niſi quis ita ipſos fortè conciliandos putet, quod Paulus loquatur de vſufructu finito; Vlpianus autem in *l. 9.* de eo durante, & adhuc conſtante. In feudo autem diſtinguitur aliter, nempè, vtrum dominus aliquid receperit ac reſeruarit in curte ſeu villa feudali, an verò nihil: vt priore quidem caſu incrementum pertineat ad dominum, ſiue illud ſit latens ſeu euidens: niſi ſtatim vaſallus etiam de illo fuerit inueſtitus à domino. Poſteriore autem pertineat ad vaſallū, *§. ſi quis de manſo. lib. 1. tit. 4. vide Cuiac. ad finem tit. 1. lib. 1.* Ratio, quare incrementum & acceſſio pertineat ad vaſallum, eſt hæc, quia adceſſorium ſequitur naturam & conditionem principalis ſui; & quod iuris eſt de toto, idem etiam eſt de parte, *arg. l. cum principalis. D. de reg. iur. c. 42. de regulis iuris in 6. l. quæ de tota. D. de rei vindicatione.* Facit huc *l. 26. §. cum inter. D. de pactis dotal. l. 8. C. de iure dotium, l. 43. D. ad SC. Trebell.* Item facit huc doctrina *Bart. ad l. 18. §. ſi nuda. D. de pignor. act.* quæ vult, quod augmentato regno, etiam illa pars quæ regno adceſſit, iiſdem legibus & conſtitutionibus, quib. regnum, debeat gubernari. Sed hæc quæſtio ad ius publicum pertinet. Cur autem eo caſu, quo ſibi dominus aliquam partem recepit in curte feudali, incremētum ad ipſum pertineat, nec feudi iure cenſeatur, ratio eſſe videtur poſita in tacito pacto. Hoc enim conſilio, ea mente ac lege eam partem dominus ſibi reſeruaſſe videtur.

4. D. *Sed eſtne de illo incremento noua opus inueſtitura?*

M. Non eſt opus, quamuis hoc velle videatur Hoto. ſed communis eſt ſententia in contrarium, vt teſtatur *Schrad.part.5.c.6.nu. 29.poſt Aluar.Præpoſ. & Afflict.ad d. §.ſi quis de manſo.*

5. D. *An autem vaſallus pro eo quod ſic acceſſit, plura & maiora ſeruitia in poſterum domino debebit?*

M. Videbatur hoc quidem dicendum, cum pro maioribus beneficiis maior ſit etiam grati animi obligatio, cumque ſecundum naturam ſit, onera cuiusque rei ſequi eum, quem & ſequuntur commoda, *arg.l.10.De reg. iur.* ſed contrarium tamen verius exiſtimo; quod & Schradero poſt alios feudiſtas placuiſſe video *part. 5.c. 6.num.26.arg.l. vlt.C. de adluuionibus. Bartolus ad l.28.§. vis maior, D.locati.*

6. D. *Quid ſi fundus feudalis fuerit limitatus?*

M. Ad hunc non pertinet quod de incremento diximus. Nam adluuionũ ius non habet locũ in agris limitatis; ſicut neq; in iis, qui aggerib. definiti ſunt, neq; in lacubus & ſtagnis, quod meminiſſe potes ex iis, quę tradita ſunt ad *Inſt.§.propterea, & §.ſeq.de rerum diuiſ.*

7. D. *Quid ſi non à natura, ſed ab ipſo vaſallo aliquid additum ſit feudo, quo nam hæc iure cenſebimus?*

M. Siquidem id huiuſmodi ſit, quod per ſe ſubſiſtere poſſit, & per ſe cenſeatur: vaſalli proprium manet, nec pro incremento feudi habendum eſt, nec vnquam adcreſcit feudo; verbi gratia, ſi prædium aliud quod erat allodiale ſeu proprium vaſalli hoc adiecerit feudo, ipſius manet, quale antea fuit. Nõ enim eo animo id adieciſſe putandus eſt, quod velit hoc quoq; in cliẽtelam ſenioris ſui conferre. Si verò per ſe nõ poſſit ſubſiſtere, tum adcedet feudo, & de eo, tãquam de parte feudi diſponendum erit. Quæ diſtinctio expreſſa eſt in §. *è contrario autem, t.8. li. 2.* Exẽpla poſterioris membri in hac diſtinctione duo adferuntur: ſeruitus & ædificium, *d.t. 8. & §.ſi vaſallus, t.28.* Seruit[9] per ſe ſubſiſtere nõ poteſt; quia eſt qualitas prædio inhærens, eſt accidens prædii, vt ad *Inſt.li.2.* audiuiſti. Ædificium quoque ſiue ſolo ſeu fundamento ſubſiſtere nequit, vnde dicitur à IC. ſolo cedere, *§.cum in ſuo ſolo, & §.ſeqq.Inſt.de rer. diuiſ.* De ædificio

dificio tamen, quod vaſallus fundo feudali impoſuit, ſicut & de ſeruitute quam pretio adquiſiuit eidē (poteſt enim ſeruitus emi ac vendi) diſſentientes fuiſſe feudiſtarum opiniones, teſtatur *d.§.ſi vaſallus, t.* 28. alii nāq; voluerunt feudo ad dominum reuerſo, dominium aut pretia & ſumptus factos in meliorationem hæred. vaſalli refundere; aut ſi hoc nolit, pati debere, vt hæredes tollant, quod extructum eſt. Alii contra omninò ad dominum id pertinere exiſtimarūt. Alii aliter. Ita hoc ius ferè in medio relictum eſt: De qua dubitatione, etiam conqueritur Hotom. vtroq; in loco, & *tit.* 8. *&* 28. vbi acriter ſuo more contra hæc diſputat.

8. D. *Audiui de incrementis rei feudalis, tàm naturalibus quàm artificialibus, ſeu vt vocant induſtrialibus, ad quem vtraq; pertineant. Sequitur vt de facultate meliorandi mutandiq; feudi vaſallo conceſſa me erudias?*

M. Non quidem cogitur, ſed poteſt tamen vaſallus feudi conditionem meliorem facere; deteriorē non poteſt. Meliorē facit, verbi gratia, ſi ædificium fundo feudali imponat, de quo paulò ante audiuiſti, id ei licere, ex *§. ſi vaſallus, t.* 28. *li.* 2. Item ſi ſeruitutem ei adquirat, *d. t.* 8. *§. è cōtrario.* qua in re differt vaſallus ab vſufructuario. hic. n. non poteſt formā & qualitatē fundi fructuarii mutare, ne in melius quidē: Vnde nec rectè in area ædificabit, *l.* 7. *l.* 13. *§. ſed ſi adiū. D. de vſufr.* non poteſt etiam nouā adquirere ſeruitutē, *l.* 15. *in fin. D. d. tit.* Ex quo intelligis quod ſæpè dico, id veriſſimum eſſe: plus iuris concedi vaſallo in re feudali quàm fructuario in re vſufructuaria: & quidquid permittit vſufructuario, id vaſallo permittendū eſſe multò magis. Cumq; ius ſit vſufructuario, lapidicinas aliaſque fodinas in fundo fructuario ad ſuū cōmodū exercere, ſubſtituere vites nouellas, &c. *l.* 7. *§. vl. l.* 9. *§. ſed ſi lapidicinas, l.* 13. *§. de præter. §. inde eſt. D. de vſufr.* multò magis eadē facere licebit vaſallo. ❡ 9. D. *Facultas ſeruitutē adquirēdi & imponendi feudo qualis eſt?*

M. Vaſallū adqrere poſſe ſeruitutē fundo feudali, iam ante dixim⁹: neq; hoc dubitationē vllā habet, cum hoc modo melior fiat feudi cōditio, & vtilitas prędii augeatur. Sed de impoſitione ſeruit. tā ruſticæ, q̄ vrbanæ meritò dubitari poterat, cū p eā cōditio feudi deterior fiat

quod vaſallo non licet. Communiter tamen ita hac in re diſtinguitur: Primum, vt impoſitio ſeruitutis voluntaria & extraiudicialis facta à vaſallo etiam ſine conſenſu domini valeat quidem in ipſius præiudicium, & ipſi tantum noceat imponenti, tam diu conſiſtens, quoad ipſe feudum retinet; non autem valeat in præiudicium aliorum; puta, domini, vel adgnatorum, ad quos feudum quandoque reuertetur: Sed hoc caſu extincto iure conſtituentis ſeruitutem, etiam extinguatur ius eius cui conſtituta eſt, *argum. l. 31. D. de pignoribus.* Secundo, vt impoſitio ſeruitutis iudiciaria, nempè, per ſententiam iudicis, (de qua audiuiſti ad *tit. Inſtit. De officio iudicis.*) præiudicet non ſolum vaſallo, ſed etiam domino, & ſucceſſoribus eius, ſiue adgnatis, dummodo vaſallus non poſſit argui colluſionis cum aduerſario ſuo factæ. Hac de re vide §. *Quid ergo, vbi Baldus, Aluar. & Iſernia, tit. 8. lib. 2. Hartm. tit. 54. obſer. 28. & obſer. 35. Iul. Clar. in §. Feud. q. 37.* vbi plures authores adlegatos reperies. Ratio prioris diſtinctionis hæc eſt; quia vnusquiſque ſuum ius pactionib. deterius conſtituere & ſibi præiudicare poteſt, non etiam alienum, & alteri iniquã conditionem inferre: minimequè id facere debet vaſallus domino, cui ſummam fidem debet, vt ſupra dictum in formulá fidelitatis. Alterius diſtinctionis ratio poſita eſt in auctoritate rerum iudicatarum; & quia iudiciaria omnia, etiam domino obſtent, cum non ſint voluntaria, ſed iudicia in inuitum reddantur, *l. 83. D. de verb. oblig.*

10. D. *Quid ſi ſeruitus à vaſallo impoſita feudo per longa tempora perſeuerauerit?*

M. Ne tum quidem domino obeſſe poterit, quamuis longiſſimo tempore ſeruitus durauerit, *d. §. Quid ergò, in fine, & ibi gloſſa, d. tit.* 8. quia quod ab initio vitioſum eſt, nec conſiſtit, non debet etiam tractu temporis conualeſcere, *l. quæ ab initio, D. de Reg. iur.* Contrarium tamen ibidem tenet Aluarottus, ſed malè, vt videtur.

11. D. *An igitur vaſallus ob ſeruitutem prædio feudali impoſitam poterit priuari feudo, an, inquam, iure ſuo per hoc excidit?*

M. Non

M. Non poterit ex hac cauſa feudo priuari; vt rectè ex Aluarot. docet *Hartm. obſer. 35. num.* 3. ex quo intelligis, impoſitionem ſeruitutis non eſſe ſpeciem alienationis feudi, quod tamen voluiſſe videtur *gloſſa in d. §. quid ergo.*

11. D. *Audiui de impoſitione ſeruitutis realis. Sed quid iuris eſſe dicis de perſonali, an licet vaſallo vſumfructum alteri in feudo conſtituere absq; conſenſu domini?*

M. Simpliciter hoc negant Franc. Curtius *par. 4. de feud. in vlt. cauſa amiſſionis feudi, quæſt. 15. Pariſius conſil. 98. num. 4. 5. & 6. volum. 2. Iulius Clarus quæſ. 37. num. 2.* quia nimirum vſusfructus ſit pars dominii, *l. 4. D. de vſufruct.* & quia ſit ſpecies alienationis, *l. vlt. C. de rebus alien. non alienand. c. non liceat 17. quæſt. 2.* quod equidem vt liberè fateor verum, ita nihil tamen prohibet, quominus vaſallus alteri ius percipiendi fructus in vita ſua poſſit concedere, cum hoc etiam vſufructuario liceat, vt ad *Inſtit. dictum eſt, vide Hartm. obſeru. 28. num. 5. cap. 6. nuper & ibi gloſſ. extra de donationibus inter virum & vxorem.*

12. D. *Sequitur vt explices de facultate ſubinfeudandi. Poteſt ne ergo vaſallus de feudo alterum quoque inueſtire, ſeu in locum ſuum ſubſtituere, quod vulgò vocant, ſubinfeudare. Germani* Afferlehen.

M. Extant hac de re textus feudales, qui permittunt ſubinfeudationem: vt *tit. 3. lib. ſecundi, §. ſed etiam is, verſiculo, per feudum tamen cuilibet dari poteſt, &c. & tit. 9. in princip. & §. beneficium, tit. 26. Denique, §. ſimiliter, tit. 34. eod. lib. ſecundo.* Sed *Hotom. in diſput. de feud. cap. 37. & in comment. ad §. callidis, tit. 55. lib. 2.* acriter contendit, illud ius poſtea abrogatum eſſe per conſtitutionem Friderici, qua omnis alienatio feudi prohibeatur, atque ita etiam in feudum conceſſio, ſiue ſubinfeudatio, niſi quis fortè negare velit hanc ſub alienatione comprehendi. Iulius Clarus quoque fatetur *quæſt. 32. nu. 1.* ſe non potuiſſe apud Dd. reperire idoneam aliquam ac ſufficientem rationem exceptionis, quare, inquam, ſtante generali prohibitione alienationis feudi, permiſſa tamẽ eſſe debeat ſubinfeudatio, cum nulla ſubeſſe videatur ſatis concludens cauſa ſpecialitatis. Sed quicquid illi

X

dicant, communis vſuq; recepta eſt opinio, etiam hodiè poſt illam generalem prohibitionem alienationis feudi, *t.*85.adhuc illâ non obſtante licere vaſallo ſubinfeudare, ſeu alteri concedere feudum nouum, idq; tribus hiſce conditionibus, ſiue, vt vocant, requiſitis concurrentibus: Primùm, vt hoc faciat ſincerè, bona fide, non in fraudem legis ſeu conſuetudinis (qua ſc. alienatio prohibita eſt) non in necem atq; iniuriam domini, vel adgnatorum, puta, ne ſub colore & prætextu huius ſubinfeudationis atque inueſtituræ venditionem fortè celebret. Secundò, vt perſonæ non diſpari, ſed eiuſdem conditionis, cuius ipſe eſt, vel etiā melioris, feudū concedat; verbi gratia, ſi ipſe ſit miles, ſicut plerumq; eſt, etiam alter debeat eſſe miles, & talis, qui poſſit de feudo ſeruire, &c. Tertiò, vt eadem lege, eodem pacto & formâ inueſtiat alterum, quibus ipſe feudum à domino accepit. De his tribus requiſitis vide text. feudales ſup. adductos, item *gloſſ. & Dd. ad* §. *illud, tit.* 55. *& Hartm. obſer.*37.*num.*2.*&* 3.*Zaſium part.* 9.*Mynſing. cent.*1.*obſer.* 62.*Iulium Clarum d. quæſt.*32.*nu.*4.*Borcholtum cap.*8.*de Feud.n.*50.*& conſil.*3.*vbi ex Bald. Aluar. Præpoſ. Affl. Curt. & Zaſio* adiungit notab. hāc exceptionem: niſi inueſtituræ adiectum ſit pactum de nō alien. feud. Tunc enim volunt, infeudationē fieri nō poſſe. Nam alioquin ſuperuacaneū eſſet pactū de non alien. cū alienatio iam ante ſatis ipſo iure prohibita ſit. Alienatio igitur in pacto tali comprehendet ſubinfeudationem, quam in conſtit. Impp. non comprehendit.

13. D. *Quid ſi feudum, quod primus vaſallus alteri cōceſſit, non fuerit nouum, ſed antiquum ſiue paternum?*

M. Valebit quidē ſubinfeudatio, quamdiu vixerit primus iſte vaſallus, qui eam fecit, eiusq; deſcēdentes; ſed eo mortuo reſoluitur, & proximus adgnatus feudū reuocare poteſt: teſte Iſernia ad *d.t.*3.*nu.* 3.*lib.* 2.*Feud. Iul. Clar. d.q.*32.*n.*5. vbi ad hoc allegat *Specul.* & *Alex.* dicens, communem eſſe opinionem. Vide & *Rol. à Valle conſ.*67. *nu.*17.*vol.*1.*& Borch. d.c.*8.*nu.*51.

14. D. *Poteſtne etiā de feudo Eccleſiaſt. fieri ſubinfeudatio?*

M. Poteſt, nuſquam enim hoc prohibetur, neq; excipitur. Manetq; proinde ſub cōmuni regula: Et vbi lex

non

non diſtinguit, nos quoq; non diſtinguemus, vide *Zaſ. p.9.n.17.Iul.Clar.d.q.32.n.2.Roſent.c.9.concl.56.& Schraderum part.8.c.2.nu.11.*

15.D. *Sed facta ſubinfeudatione, poteſtne ſuperior dominus cogere vaſallum vaſalli ſui ad præſtanda ſibi ſeruitia?*

M.Hanc quæſtionem etiam mouet *gl.in §.vlt.de controuerſ.feud.* ſed non decidit. Quidam ex feudiſtis negant, vt Iſernia & Iacob.Beluiſo.Alii, vt Bald. aiunt. Pro opinione negātium id facere videtur, quia ſubvaſallus nihil contraxit cum ſuperiore domino, ideoq; ipſi obligatus eſſe non videtur. Sed placet media ſentētia, quæ eſt *Ioh.Reinaldi in comment.ad §.illud quoq;,t.55.li.2.* probata etiam *Iacobino de S. Georg. in inueſtitura feudali, in ita etiam, nu. 6.* nempè, dominum ſuperiorem adpellare debere de ſeruitiis ſuum vaſallum immediatum & hunc porrò ſubuaſallum ſuum, & ita primum debere ſeruire domino auxiliante ſecundo, & ſic deinceps, vide *Nicol.Mozz.c.3.de feud.n. 26.* Plura de ſubinfeudatione videre licet apud alios feudiſtas, maximeq; *Hartm. Piſt.quæſt.44.p.2.* vide etiam *Ioan.Borch. d. conſ.3.* vbi docet cum *Matth. de Affl. Iul.Clar.& Hartm.Piſt.* defuncto vaſallo qui ſubinfeudarat alteri, expirare hodie ſubinfeudationem, quę olim durabat nihilominus, dummodo is qui ſecundo loco feudum accepiſſet, paratus eſſet è domino feudum recognoſcere, eiq; de illo ſeruire, vt eſt in *c.1.§.ſi verò, t. Qualiter olim poter.feud.alien.* Quem tex.aiunt non amplius habere locum poſt *conſtit. Friderici in l.Imperialem,t.55.* Vid. *Affl.ad d.t. Qualiter olim pot. feud.alien.*

16.D. *De facultate actionum feudi nomine exercēdarum vaſallo competente quid ais?*

M.Poteſt vaſallus actiones pro feudo dictare & excipere, etiā abſente & ignorāte ſeniore; adeò vt quod ita actum eſt à vaſallo, id ſenior ratum habere cogatur, omni tempore firmo manente iudicio, ſiue obtineat vaſallus & vincat, ſeu cauſa cadat: ſiue, inquam, pro eo ſeu contra eum fuerit iudicatum, *§.rei autem,t.8.li.2. & §.ſi vaſallus de beneſi.t.26.& t.43.* Quod qdē ſatis nouū & alienum eſt à Iuris ciuilis regula, quæ res inter alios

acta aut iudicata aliis non nocet, ſicut neque prodeſt, vt eſt in *tit. C. Vnde & ab Hotom.* reprehenditur in *diſp. de feud.cap.39.* Actiones autem quæ feudi nomine exercentur, variæ ſunt, non ſolùm de proprietate ſeu dominio, (cuius ratione vtilis rei vindicatio, ſicut & ſuperficiario adcommodatur, vt ſupra dictum) verùm etiam confeſſoria & negatoria de ſeruitutibus feudo debitis, vel quæ à vaſallo petuntur. Vide *Cuiac.ad tit. 9.li.2 feud.* Sic & actiones finium regundorum, l. Aquiliæ, arborum furtim cæſarum, & cæteræ eidem vaſallo competere poſſunt. Interdicta quoque ipſi adcommodantur: & in ſumma, quæcunque actiones directæ ſunt ſi darentur ſeniori eæ in perſona vaſalli ſunt vtiles. Illud hîc memineris, vaſallum qui de feudo agens ſuccubuerit in lite, non aliter habiturum regreſſum ſiue actionẽ de euictione aduerſus dominum, quàm ſi ei denunciauerit litem, ſiue auctorem ipſum laudauerit ante ſententiam, vt rectè admonet gl *ad d.t.43.arg.tit.55.lib.2.* & probat *Cuiac.ad tit.23.li.4.feud.*

17. D. *De transactione ſuper feudo quid ais? An & hæc abſq; conſenſu domini vaſallo eſt permiſſa?*

M. Hac de re duos reperio textus in his duobus libris, quibus permittitur vaſallo tranſactio de feudo, dummodo nihil fraudulenter & per colluſionem factum ſit. Vide *d.§.ſi vaſallus, tit. 26. & d. tit.43.* Sed Doctores communiter ita diſtinguunt, vt valeat quidem tranſactio etiam in præiudicium domini, ſi feudum penes ſe retineat vaſallus: non valeat in præiudicium domini, ſed tantùm ipſius vaſalli, ſi ex tranſactione id transferat in aduerſarium, vide *Iul. Clar.q.38. & Hartm. tit.de feud.obſeru.34.n.2. & 3.* ſiue (quod eodem recidit) poteſt vaſallus de feudo tranſigere inſcio domino decidendi cauſa, non alienandi, aut diminuendi, vt cum veteribus ICtis eleganter loquitur *Cuiac.ad tit. 23. li. 4. id eſt, ad d.§. ſi vaſallus* qui vulgò habetur *tit. 26.lib.2.*

18. D. *Quid ſi vaſallus, nomine tranſactionis aliquid acceperit, ceditne hoc in feudum, an non?*

M. Opportune quæris. Nam omnis tranſactio de re dubia fit aliquo dato, vel retento ſeu promiſſo: ſine quo minimè procedit *l. 38. Tranſactio, C. de tranſactionibus.*

Ait

Ait autem feudiſta in *d.* §. *ſi vaſallus, tit. 26.* quod vaſallus tranſactionis nomine acceperit, hoc feudum non eſſe. Verùm hoc ita intellige, quod adcepit nomine tranſactionis, nempe, vt nihilominus feudum penes ipſum remaneat. Alioquin ſi ponamus eum aliquid adcepiſſe dimiſſo alienatoque feudo, tunc repugnaret hic textus diſtinctinoni interpretum paulò ante relatæ.

19. D. *De compromiſſo ſuper feudo quid iuris eſt, licetne vaſallo abſque conſenſu domini in arbitros compromittere de feudo?*

M. De compromiſſo quoque nonnulli interpretum eodem ferè modo diſtinguunt, vt paulò antè dixi de tranſactione, vt in ſuum tantum nō etiam domini præiudicium poſſit vaſallus compromittere, vt videre eſt apud *Hartm. d. obſer.* 34. quo etiam *Iul. Clarus* tandem inclinat in *fin. quæſt.* 39. cum prius diſtinxiſſet inter arbitratorem & arbitrum, vt in arbitratorem, id eſt, eum qui nullo obſeruato iuris ordine in cauſa procedat, factum compromiſſum non valeat; in arbitrum verò, qui de cauſa cognoſcit ſecundum iuris ordinem, perinde vt iudex, niſi quod ab arbitro non concedatur adpellatio, quæ à ſententia iudicis datur: in arbitrum inquam factum compromiſſum valeat: per *textum in* §. *ſi autem inter pares:* in verbis*: coram iudice vel arbitro finiatur. tit.* 34. *lib. ſecundi.* Poſtea vero idem Clarus ex auctoritate Socini & aliorum pronuntiat, tutiorem pariter, & cōmuniorem opinionem illam eſſe, quę ne quidem in arbitrum compromittere vaſallum ſinit: cum regulariter qua de re liberè diſponere quis prohibetur, de eadem etiam compromiſſum facere non poſſit. Compromiſſum enim eiuſmodi eſt actus, à quo facilè perueniri poteſt ad alienationem. Sed an non idem de iudicio æquè rectè dicemus? ſanè ſi verum eſſet, quod vulgò aiunt, *d.* § *ſi inter pares, tit.* 34. abrogatum & correctum eſſe per *Conſtit. Friderici in tit.* 55. abrogatum inquam in vno, nempè quo ad arbitrum, qui minus idem etiam quoad alterum, nempè iudicem, abrogatus ſit, idem §. intelligi vix poteſt. Cur ergò vaſallo denegèmus compromiſſum, cum ipſi permittamus exercere iudicium

de feudo? Niſi fortè illa ſubſit ratio differentiæ, quod læſo per ſententiam iudicis ſuperſit beneficium adpellationis, qua corrigatur eius iniquitas: cum à ſententia arbitri nulla ſit prouocatio. Litigatores enim compromiſſo ſeſe adſtrinxerũt vinculo pœnæ ſtaturos ſententiâ arbitri.

20. D. *Reſtat ni fallor, ex ſuperiori partitione eorum quæ vaſallo permittuntur in feudo ſibi conſtituto, vt exponamus de refutatione ſiue ceſſione feudi?*

M. Refutare, item reſignare feudum Longobardi dixerunt, quod Latinis eſſet abdicare, renuntiare, cedere vel remittere, Germani: **Die Lehen vffſagen oder vffkündten**, vide *Hotom. in Lex. feud.* Reſignandi verbo vtitur etiam *Guntherus lib.5.*

Per ſeptem ſigna ducatum ritè reſignari.

Vbi iam diu eſt cum adnotaui, Horatium quoq; eodem modo vſurpaſſe verbum *reſignandi* lib.3. Oda.29.

——— *reſigno quæ dedit fortuna.*

Et lib.1. Epoda 7.

cuncta reſignaui.

Et obſeruabis, in refutatione ſeu reſignatione feudi eaſdem ſolemnitates in contrarium actas interuenire, quæ in ipſa inueſtitura adhibitæ fuerant: nimirum vt quo quidque modo contractum eſt, eodem etiam diſſoluatur, *arg. l. nihil tam naturale, l. ferè. & l. omnia. D. de R.I.* Quomodo etiam claues vxori adimebantur in diuortio, quę in contrahendo matrimonio datæ fuerant, vide *Hotom. Diſp. feud. cap.* 38. ſicut etiam in degradatione clerici ac ſacerdotis eædem ceremoniæ interueniunt, quæ in eius inauguratione fuerant adhibitæ. Putaui aliquando eâdem formâ Saluſtium quoque dixiſſe, *refutare vitam*, quo feudiſtæ *refutare feudum* in hoc egregio fragmento, quod extat apud *Seruium lib. 4. Georgicõ*: ſe deuouent regibus, & poſt eos vitam refutant: adeò illis ingenita eſt ſanctitas regii nominis. Loquitur hiſtoricus de Parthis & Medis, qui, vt & Perſæ ſemper fuerunt maximè obſeruantes regii nominis. Sed verius videtur apud Saluſtium legendum eſſe, *vitam reputant*, non vt vulgò, *refutant*. Reputant vitam poſt reges, id eſt, vitam propriam regibus ſuis eorumque

ſaluti

ſaluti poſthabent, parati pro ipſis profundere vitam, ſiue regum ſuorum vitam ac ſalutem anteponunt propriæ: Quomodo Virgilius: *rege incolumi mens omnibus vna eſt, &c.* Sed ad feudi refutationem redeamus: quod etiam vocant, *finem facere de feudo*, vt *titul.* 40. *libr.*2. Fit autem refutatio à vaſallo vel ipſi ſeniori, vel alicui ex deſcendentibus, vel denique alicui ex adgnatis: & fit vel in totum, vel pro parte: & fit vel de nouo, vel de antiquo feudo; & denique ſi fiat domino, fit aut cum hoc pacto, vt is alium quendam de eo inueſtiat ſiue in fauorem alterius; vel ſimpliciter abſque tali pacto: De quibus diſtinctè cognoſcendum eſt. Et primum quidem quod ad dominum attinet, hæc ſit regula: Poſſe vaſallum domino, licèt inuito ac repugnanti, remittere ac renuntiare feudum: vt expreſſum eſt in *titul.* 38. *libr. ſecundi feudorum*, & fit mentio cum alibi, tum etiam *titul* 44. vide *Zaſium part.* 10. *num.* 55. vbi etiam de Germaniæ conſuetudine atteſtatur. Ratio dubitandi, cur videatur non eſſe admittenda hæc renuntiatio ſeu refutatio, hæc eſt; quia primum ex feudi datione mutua obligatio inter dominum & vaſallum nata eſt, à qua non debeat alter altero inuito reſilire, *arg. l.* 5. *ſicut, C. de oblig. & act.* Deinde quia dominus repudiando vaſallum nihil ageret, neque enim poteſt vaſallum inuitum ſine culpa eius feudo priuare, *tit.* 21. *libr.* 1. vt infra audies latius. Ergò etiam vaſallus dominum recuſando nihil agit, vt nimirum eadem ſit ratio correlatiuorum. Sed decidendi ratio hæc potiſſimum eſt; quia vaſallus domino propter rem tantum ſeu prædium feudale obligatus erat ad ſeruitia. Igitur fundo feudali reddito cum non amplius percipiat fructus, meritò etiam tanquam fundamento ſublato, & cauſa obligationis, ipſa corruit & exſpirat obligatio: Et qua ratione ab initio nemo cogitur feudum adcipere, eâdem neque poſteà retinere, ne videl. beneficium in inuitum videatur eſſe collatũ, contrà regulas iuris. Præterea poteſt vnuſquiſque fauori & iuri pro ſe introducto renuntiare, eoq; nõ vti, vt in iure tritum eſt. Accedit, quod & vſufructuarius poſſit vſumfructum ſuum derelinquere, vel domino cedere,

vt audiuiſti ad *Inſtit. tit. De vſufructu, vide l. 48. & l. 64. D. eod. iuncta l. 66. D. de iure dotium.* Item quod Emphyteuta quoque agrum vectigalem domino cedere & legare poſſit, *l. 71. §. pen. & vlt. D. de leg. 1.* Nihil igitur mirum, hoc etiam à vaſallo fieri poſſe, qui, vt ſupra audiuiſti, in multis articulis cum fructuario & Emphyteuta comparatur. Longeque hîc diſparatio eſt domini & vaſalli. Dominus nihil damni facit, imò eius conditio fit melior, quando feudum ipſi refutatur. Nam enim velut conſolidatione facta plenam proprietatem in re ſua recipit, & facile, ſi velit, alium reperiet vaſallum. Atqui vaſallus non tàm facilè alium reperiet patronum: vnde intelligis non ſine maximo damno feudum ipſi eripi. Vide etiam *Cuiacium ad tit. 14. lib. 2. feud.* Huius regulæ aliquot ampliationes reperio, quarum hæc ſit prima: domino etiam inuito ac recuſanti factā refutationem valere, & vaſallum per eam liberari ab obligatione feudali ſiue à ſeruitiis *d. t. 38.* Secundo ampliatur regula, vt procedat, ſiue feudum fuerit datum ſub ſeruitii certi conditione (quod vulgò vocant *conditionale & conditionatum feudum*) ſeu ad incertum, atque indeterminatum aliquod ſeruitium. Quamuis enim *gl. fin. ad tit. 51. lib. 2.* aliique eam ſecuti exiſtimarint, feudum, quod datum eſt ad certum ſeruitium, non poſſe absque voluntate domini refutari, quando dominus ad hoc poſſit vaſallum conuenire, vel actione ex ſtipulatu, vel condictione certi, vel præſcriptis verbis, vel cōdictione ex moribus: eamque gloſſ. ſententiam tanquam communem etiam *Iul. Clar.* tutius putat eſſe ſequi, *quæſt. 34. num. 1.* cuius & rationem reddere conantur, quia ſcilicet arctius obligetur vaſallus, de certo ſeruitio pactus, quàm qui indeterminatè ſeruitia promiſit: tamen quia hæc diſtinctio non exſtat in textu *d. tit. 38.* neque alibi, non immeritò ab aliis reprobatur, vide *Zaſium part. 10. nu. 86.* & plenius *part. vlt. num. 14. cum ſeqq.* eiusque diſcipulum *Mynſin. c. 5. obſeru. 65. & Sonſbec. part. 12. num. 116. cum ſeqq.* Tertio ampliatur regula, vt valeat, ſiue feudum fuerit nouum ſeu antiquum, dummodo in feudo antiquo accedat conſenſus adgnatorum. Ita enim ius eſt, vt in feudo nouo refutando non

exigatur

exigatur conſenſus adgnatorum: ſed in antiqui refutatione exigatur, ad hoc, inquam, vt etiam poſt mortem refutantis vires habeat refutatio, & adgnatis, qui alioquin ſucceſſuri erant, in ſuo iure præiudicet. Nam quoad refutans ipſe viuit, valet refutatio, etiamſi conſenſus agnatorum non adceſſerit. Intelligitur enim vaſallus ſuum duntaxat ius remiſiſſe, quod facere potuit nemine prohibente. Ratio differentię inter antiquum & nouum feudum, hæc eſt: quia in feudo nouo nihil prorſus intereſt adgnatorum, refutet id vaſallus, an non refutet. non enim ſuccedunt, vt ſupra audiuiſti. At in antiquo ipſorum intereſt plurimum, vtpote quibus iam quæſitum eſt ius aliquod ex prima inueſtitura, & ſpes ſuccedendi, quæ ab inuitis auferri non debet. vide *Iul. Clar. quæſt. 34. n. 3.* Si igitur proximis adgnatis irrequiſitis & abſque eorum conſenſu facta ſit refutatio, ea refutanti duntaxat, non etiam ipſis poſt illius mortem nocere poterit, ſed habebunt ius reuocandi feudum ſic refutatum. vide *Zaſium p. 10. de feud. num. 88. Franc. Sonsb. p. 12. num. 122. Weſemb. cap. 11. num. 11. Cuiac.* tamen *ad tit. 14. lib. 2.* putat, eos Interpp. falli tanquam imperitiſſimos omnium, qui volunt, adgnatos debere huic refutationi conſentire. Sed mihi hoc voluiſſe videntur Interpp. illi, nec malè, quod tunc demum hoc ſit neceſſarium, quando agitur de perpetuo adgnatorum præiudicio, etiam poſt mortem refutantis. Quartò ampliatur ſuperior regula, vt valeat refutatio feudi noui etiam in præiudicium deſcendẽtium: de quo vide *Mynſing. c. 6. obſeru. 23.* Multoq; magis valebit in præiudicium adgnatorum. Quintò ampliatur regula, vt procedat, ſiue fuerit pars feudi refutata, ſiue totum. Quod tamen ſic intellige, ſi vaſallus quis fuerit communis plurium dominorum. Ita enim ſonat *textus in d. t. 34.* hîc, inquam, vni dominorum poterit ſuam partem reſignare, & alterius partem retinere. At ſi quis ſit vnius domini vaſallus, aliud iuris eſſe exiſtimauerim: non poſſe inquam talem vaſallum retinere partem feudi vnam & refutare alteram: ſed aut integrum feudum derelinquere ac repudiare, aut integrum retinere debere. *arg. l. 38. in pr. D. de leg. 1. & l. 1. D.*

de adquir. vel amitt. hered. Paulus libro tertio ſent. titul. 6. §. Eius rei. De partis quidem alienatione, & priuatione, & alterius retentione ſatis conſtat eam fieri poſſe, vt infra audies inter cauſſas amittendi feudi. De refutatione verò partis idem nuſquam lego: vt non immeritò dubitari poſſit de ſententia Cuiacii, qui *d. tit.* 14. putat, feudum etiam pro parte refutari poſſe in manus domini. Sextò ampliatur regula vt valeat, ſiue ſimpliciter fiat refutatio, ſiue certa quadam lege, nempè, in fauorem filiorum ſuorum, vt illos dominus de eo feudo inueſtiat, vt *tit.* 14. *lib.* 2. *feudor.* Quo caſu ſępè quæri ſolet, an feudum tale deinceps fiat nouum ex tali noua inueſtitura: an verò maneat paternũ. Et verius eſt manere paternum, vt & ſupra dictum in diuiſionib. feudi. Atq; hę ſunt ampliationes regulę de feudi refutatione domino facta. Limitatur verò eadem primum, vt intempeſtiuè facta refutatio non valeat, eamque dominus non cogatur admittere: verbi gratia, ſi fieret dum iam in procinctu eſſet dominus, & maximè indigeret operâ vaſalli, *Mynſinger. centur.* 5. *obſeru.* 65. *n.* 12. *Weſembecius d. loco. Sonsbec. d. p.* 12. *n.* 117. qui omnes ad hoc adlegant *Bald. in c. quæ in Eccleſiar. extra de conſtit.* cui ſimile eſt in Iure ciuili, quod mandati quoq; renunciatio non debet fieri intempeſtiuè, vt audiuiſti ad §. *Mandatum non ſuſcipere, Inſt. de mand.* Item quod oblatio debiti opportuno loco & tempore fieri debet creditori à debitore, vt habeat eum affectum, quem ius alioquin ei adtribuit, vt dictũ eſt ad *tit. Inſt. Quibus modis tollitur obligatio.* Cum autem refutatio non debeat eſſe intempeſtiua, multò minus debet eſſe fraudulenta. hæc enim pro non facta habebitur: verbi gratia, ſi quis ideo refutet feudum domino, vt mox aperto Marte cum ipſo congrediatur, & feudum nihilominus per vim retineat, aut redoccupet, licèt verbotenus & falſo colore quæſito renuntiarit: huiuſmodi malitiæ non eſt indulgendum, ſed potius occurrendum, *argum. l.* 38. *de rei vindic.* Sicut igitur ſocius, qui ſocietati caldè doloque malo renunciauit, in hoc vt ipſe ſolus lucrum obueniens ſibi retineat à ſe quidem ſocios, ſe verò à ſociis non liberat,

§. *Ma-*

§. Manet. verſic. ſed planè ſi quis callidè. Inſtit. de ſocietate. Ita hîc quoque dicendum, vaſallum ſcilicet a ſe quidem liberare dominum, vt is poſſit eum expellere, tãquam ingratum ac perfidum & feudum iure commiſſi ſibi vindicare; ſe vero à domino non liberare. Vide & *Cuiac. d. tit. 14. libri ſecundi, verſic ſciendum eſt in hac quæſtione.* Secundo, limitatur etiam in feudo ligio, quod volunt refutari non poſſe: teſte *Curtio p. 1. quæſt. 8. num. 24. & p. 4. num. 135. Iacobutius de Franchis in præludiis feud. num.* 45. vbi plures adlegat. Sed vt ſupradictum *Hotoman. & Giphan.* reiiciunt hanc vulgarem Interpp. diuiſionem in feudum ligium & non ligium. Tertio excipiunt quidam Feudum Francum: de quo idem *Curtius d. quæſt. 8. num.* 30. Quarto excipiunt quoque feudum, in quo vaſallus vltra illud conſuetum ac ſolemne iuſiurandum fidelitatis etiam hoc iurauit, ſe pactis cõſuetis firmiter ſtaturum. Hoc enim feudum volunt inuito domino refutari non poſſe propter vim & religionem iuramenti. *Iac. Aluarot. ad §. vlt. num. 6. tit. 51. libr. ſecundi feud. Bald. in procem. Feud.* Hæres tamen eius qui ſic iurauit non prohibetur refutationem facere domino, dũmodo ſimul præſtet ei, id quod intereſt. Iuſiurandum enim anteceſſoris, cum fuerit vinculum perſonale, ipſum (hæredem ſcilicet) obligare non poterit: per *cap. veritatis, extra de iureiurando. Iacob. de Feud. in verbo, & vnus ex dictis vaſallis, num.* 3.

21. D. *Quid ſi vaſallus aliquod onus impoſuerit feudo, quod refutat, puta, onus ſeruitutis, vel hypotheca vel aliud, an id vnà cum feudo ad dominum tranſibit, an verò ab omni liberum onere ad ipſum reuertetur?*

M. Quanquam aliàs Regula iuris ſit, rẽ tranſire cũ ſuo onere, hîc tamen verius eſt, planè liberum reuerti feudum, & immune ab eiusmodi onere. *arg. §. rurſus, t. 5. libr.* 1. nam vaſallus conditionem feudi deteriorem facere non poterit. *§. è contrario, verſic. meliorem, tit.* 8. *libr.* 2. & quamuis ſibi ipſi præiudicare potuerit, tamen non potuit domino. Ideoq; ipſius extincto iure auctoris, extinguetur etiã ius in perſona eius, qui cauſſam ab eo nactus eſt. *arg. l. 31. D. de pignoribus, l. 69. §. prædium, D.*

*de leg.*2.*l.*7.*D.de act.empt.* Vide *Tiraquell. lib.* 1. *de retract. gloſ.*1.§.34.*n.*6.7. *&* 10.

22. D. *Audiui de refutatione feudi facta domino, ſequitur vt dicas de ea qua ſit deſcendentibus ſiue liberis ipſius vaſalli?*

M. De hac eſt textus in *d.tit.* 14.*lib.* 2.*feudorum*, vbi vaſallus ſenex, ſiue vt ibi loquitur feudiſta, decrepitæ ætatis, feudum ad hoc refutaſſe dicitur in manus domini, vt duos filios ſuos de eo inueſtiret. Nihil autem hîc intereſt vtrum nouum ſit feudum, quod in perſona refutantis primum cœperit, an verò paternum & antiquum, vt rectè docet *Borch.cap.*8.*de Feud. num.*85. nam de vtroque cogitur dominus vaſalli filios inueſtire, vigore nimirum pacti in refutatione adiecti, quod legem dedit huic negotio. Et quidem feudũ quod prius fuerat antiquum, manet tale etiam poſt refutationem, nec fit nouum, vt ſupra dict. niſi fortè ea lege refutatũ & conceſſum ſit, vt deinceps nouum fieret, *arg.titul.*49. *lib.*2.*feud.in fin.Cuiac.ad tit.*14. *li.*2. *verſic. aliud etiam eſt dicendum.*

23. D. *Quid iuris eſt de refutatione adgnatis facta?*

M. Vt ipſi domino etiam inuito poteſt feudum à vaſallo refutari, de quo ſupra; ita quoq; adgnatis proximis poteſt ſine permiſſu patroni vaſallus feudũ antiquum cedere. Et quidem feudum non modò ſibi iam quæſitum, ſed etiam delatum, imò duntaxat ſperatum, vt §. *vltim.titul.* 26. *& tit.* 38. *cum titul.* 49. *libr.*2. *Feud.*

24. D. *Cur dixiſti adgnatis proximis?*

M. Quia quoties adgnatorum plures ſunt gradus, toties refutatio feudi facienda eſt proximiori, vtpotè, ad quem etiam ſucceſſio feudi ſpectet, vt ſupradictum. Remotiori verò adgnato vel gradui nõ aliter fieri poteſt, quàm ſi conſentiat proximior, qui ſua ſpe interuerti ac defraudari non debet inuitus.

25. D. *Quid ſi extent adgnati non plurium ac diuerſorum, ſed vnius eiuſdemq; gradus?*

M. Hic vaſallus refutationem faciet pariter omnibus, qui in eodem ſunt gradu: ex quibus non poterit vnum cæteris inuitis eligere & præferre. Nam & ſucceſſio

ceſſio ęqualiter ad ipſos pertinet,quemadmodum audiuiſti ſupra ex *tit.1.lib.1.§. Et quia vidimus, & tit. 8.in pr. & lib.2.tit.* 11. *§. his deficientibus. & tit.* 50. Eamquè ſucceſſionis æqualitatem non poterit vaſallus ipſis adimere.

26. D. *Quid ſi vaſallus non adtentâ gradus prærogatiuá,ſiue,vt Hotom. vocat, iure ſtirpis aut fibræ, feudum refutauerit remotiori adgnato ſine conſenſu proximioris, aut ſi ex pluribus in eodem gradu vnum cæteris prætulerit?*

M. Dabitur proximiori adgnato,qui neque tacitè neque expreſsè conſenſit, facultas retrahendi, reuocandi ac recuperandi feudi, idquè cum hac diſtinctione: vt poſt mortem quidem refutantis poſſit feudum recuperare, quamuis nullo dato pretio, ſi quid fortè vaſallus pro refutatione acceperit: Sin autem gratis facta fuerit refutatio, nihil quidem reddet proximus adgnatus ei,à quo feudum reuocat,ſed tamen cogetur hoc caſu expectare mortem refutantis. Iam enim nihil intereſt proximi adgnati, an vaſallus ipſe feudo vtatur,fruatur,quàm diu viuit,an vero alius,cui ius cōceſſum ſit percipiendorum fructuum,*arg.l.* 12. *& l.* 67. *D.de vſufructu.* Aliud eſt ſi pretium interuenerit.Qua de re tota vide hæc loca in iure feud.§.*hoc quoque obſeruatur.tit.8.libr.1.& §.pen. tit.3.libr. 2. & §.pen.titul.9.§. Titius filios,tit.26.& tit.39.in pr.Hotom.cap. 34.in diſput. de feud.& in commentar.ad §.præterea,tit.5.libr.1.& ad d. §. Titius,tit.36.* Vides igitur,hîc adgnatum proximiorem habere ius προτιμήσεως, quo vti poſſit aduerſus remotiorem,eiq; feudum euincere: Quod tamen moribus ferè totius Galliæ ſecus eſſe teſtatur *Cuiac.ad d.§. Titius filius,libr.4. Feud. tit.* 14. vbi recitat prouerbium vulgò de hoc iure iactatum,& refutat falſam quorundam rationem, quam adſignant, nimirum quia ius προτιμήσεως ideò ſit introductum, ne res de familia exeant,eaque ratio ceſſet,quando bona transferuntur in aliquem ex eadem agnatione,licèt remotiorem; hæc, inquit,non eſt vera ratio, ſed potius honeſtas, nempè vt adgnatus quilibet tantundem pretii offerens, quātum extraneus, huic præferatur: proindeque etiam

adgnatus propinquior vlteriori: Quamuis Impp. in *l. Dudum*.14.*Cod.de contrah.empt.* hunc inanem colorem honeſtatis adpellent, quo iniquitas illa veletur per quã non liceat vnicuique ſuo arbitratu emptorem quærere & probare; ideoquè abrogent ius *προτιμήσεως* ſeu *προτοπράξεως*, reuocatum tamen poſtea in vſum in orientis quidem imperio per Romanum Lecapenum Imperat. Conſtantinopolitanum; in occidente verò per Fridericũ II. quorum hac de re Conſtitut. videri poſſunt apud *Cuiac. libro quinto Feud.* Vide quoque copioſe de hoc iure, (quod vulgo vocant, *ius retractus*) commentantẽ *And. Tiraquellum*: Adtingit etiam nonnihil de eo *D. Borchol. cap. 3. de feud. n.* 13.

17. D. *Quod nã tempus ſpectatur in iure proximitatis?*

M. Nihil intereſt, vtrum tẽpore refutationis proximus quis fuerit, an vero in locum proximiorum ſucceſſerit: an iam editus ſit in lucem, an vero adhuc in vtero ſit: de quo vide *Hartm. Piſtor. lib. 2. quæſt. 6. num.* 36. *cum ſeqq.*

28. D. *Dixiſti poſſe reuocari feudum per proximum adgnatum ab eo qui eſt remotior, tàm viuente, quam mortuo refutatore. Atqui d. §. Titius filios, tit.* 26. *dicitur omninò remoueri, qui per annum, ex quo refutationem ſciuit, tacuerit, quid ergò ſi is qui refutauit vltra annum ſuperſtes ſit poſt refutationem?*

M. Textum illum ſic intellige, vt ſufficiat intra annum à tempore ſcientiæ computandum contradixiſſe refutationi, vt extet aliquod teſtimonium diſſenſus: non quod oporteat ipſam quoque reuocationẽ intra annum factam eſſe. Quod ſi taciturnitate ſua annua commiſerit, vt nulla extet ſui diſſenſus conteſtatio, nulla cõtradictio refutationis, (Wann er nicht in Jares friſt darwieder Proteſtirt vnd wiederſpricht / &c.) tum vero à reuocatione poſteà remouebitur, quaſi qui videatur refutationi conſenſiſſe. Conſenſus enim non tantum eſt expreſſus, verum etiam tacitus, de quo vide *Dynum & Petrum Peccium ad c. Qui tacet*, 43. *de reg. in* 6.

29. D. *Dixiſti poſſe vaſallum refutare adgnato proximo feudum antiquum. Quid autem de nouo feudo iuris eſt?*

M. [illegible]

M. Feudum nouum non poteſt adgnato refutari inuito domino. Illa enim refutatio quæ fit ei, qui nõ habet ius in feudo ſuccedendi (ſicut adgnati in feudo nouo nullum ius habent) non tam pro refutatione, quàm pro alienatione habenda eſt. Alienatio autem feudi, vt mox audies, prohibita eſt. Vide *Mynſing. cent.6.obſer.23.& Hotomannum conſil.4.Borch.cap.8.de feud.n.56.& ſeq.*

30. D. *Quid ſi is cui facta eſt refutatio, moriatur, ante eum qui refutationem fecit?*

M. Hoc caſu verius eſt, feudum reuerti ad refutantem nec aperiri domino, aut adgnatis, *tit.14.lib.ſecundi.* verbi gratia, ſi pater in fauorem filii, vt ſcilicet is de feudo inueſtiretur, feudum refutauerit, filio ante patrem turbato ordine mortalitatis defuncto feudum reuertetur ad patrem ſuperſtitem excluſo domino. Quod Spiræ quoque ſic obſeruatum fuiſſe adnotauit *Mynſing.cent.3.obſeru.93.* quamuis huic opinioni cõtradicat *Anton.Contius c.8. in methodo de feud.* Exceptio eſt, niſi quis omnino, id eſt, in rem, generaliter atque in vniuerſum, ſiue vt loquimur in omnem euẽtum refutauerit ac renunciauerit ſuum ius. Ratio differentiæ inter pactum perſonale & in rem hæc eſt: quia pactum perſonale nec prodeſt, nec nocet, niſi ei qui id fecit, id eſt, refutatori: ſed in rẽ ſiue generale & prodeſt, & nocet omnibus, & ſemper: vt rectè *gloſſa ad tit.49. in verb.* non obſtant, & explicatur ad *tit.D.de pactis. Vide Cuiac. ad d.tit.14.libr.2. Vide etiam tit. 26.§. vltim. libr. ſecundi feud.*

31. D. *Effectus refutationis vel domino, vel deſcendentibus, vel adgnatis facta, quis nam eſt?*

M. Idem nimirum, qui exautorationis militaris, vt ſcilicet non amplius ſit obligatus vaſallus ſeniori ſuo ad præſtanda obſequia ac ſeruitia: ſed tamen ne tunc quidem ipſum offendere debet, in memoriam ſcilicet fidelitatis, & iuſiurandi, & amicitiæ prioris, cuius reliquiæ adhuc durare videntur, vt & ſupra admonui, cum agerem de reuerentia vaſalli erga patronum ex fine *titul.38.* vbi & gloſſ. vide *librũ ſecundũ feud.*

32. D. *Audiui de iure quod vaſallo conceſſum ſit in feudo. Nunc proximum eſt, vt expedias quid in eodem ipſi denegatum ſit?*

M. Denegata eſt facultas feudi deteriorandi & alienandi. De Deterioratione prohibita, textus eſt in §. *E contrario, verſ. meliorem enim, tit.* 8. *lib.* 2. Vnde non licet vaſallo arbores fructiferas in fundo feudali incidere: neque ſubditos ad caſtrum, quod in feudum habet, pertinentes male tractare, inque eos ſæuire: neq; ſeruitutem feudali prædio competentem remittere: neque aliter in re feudali abutenda, vaſtanda & diſſipanda malè verſari in præiudicium vel liberorum vel adgnatorum, qui aliquando ſuccedent, vel domini, ad quem feudum quandoque apertum reuertetur. Immò etiam poſſet vaſallus hanc ob cauſſam feudo priuari atque expelli, vt infra audies. Vide *Iul. Clar. quæſt.* 47. *&* 56. *Hartm. obſeru.* 36. Sic vſufructuarius quoq; non poteſt cauſſam proprietatis deteriorem facere, neque rem fructuariam diſſipare, ſed potius arbitrio boni viri, & tanquam diligens paterfamilias vti frui debet, vt dictum eſt ad *tit. Inſt. de vſufructu.*

Capvt III.

De Alienatione feudi prohibita. De variis ſpeciebus alienationis: & quæ circa ſingulas quæri ſolent.

1. D. *De alienatione feudi longa eſt diſputatio, & multis implicata quæſtionibus. ſed breuiter omnia perſtringam, quæ huc pertinent.* Igitur ante omnia hanc conſtituamus regulam: Alienatio feudi, quamuis olim ex parte permiſſa eſſet, hodiè tamē tàm pro parte, quàm in totum eſt interdicta. Quod olim permiſſa fuerit alienatio feudi, certis modis & conditionibus; verbi gratia, quod licuerit vaſallo feudum vſque ad medietatem libellario nomine alteri dare, item obpignorare cum permiſſione diſtractionis creditori facta, docet nos §. *aut ſi libellario, tit.* 5. *lib.* 1. *Quibus modis feudum amitta-*

amittatur, & tit. 9. lib. 2. Qualiter olim poterat feudum alienari. Legitur vulgò in *d. tit.* 5. vt transactum permittat: nullo ferè ſenſu, ideoquè recentiores eam lectionem mutarunt; Hotoman. quidē reſtituit, vt *transacto anno permittat*: exiſtimans, id demum pignus prohibitum fuiſſe, quod vltra annum à creditore tenebatur: quo facto vaſallus priuatus fructibus feudi oppignorati non poſſet ſe & equos ſuos alere, atque ita deficeret in præſtandis domino debitis ſeruitiis. Cuiacius verò ſic legit, vt diſtractionem permittat, id eſt, vendendi pignoris facultatem concedat vaſallus; idemque debitor creditori ſuo: quod *pignus conſultum* vocari putat alibi, nempè in §. *vlt. tit.* 8. *libri ſecundi*; quia videlicet hac ratione optimè conſultum ſit creditori. Quam Cuiacii emendationem & expoſitionem probat etiam *Borchold. cap.* 8. *num.* 29. *Hotoman.* ſapienter ait, pignus conſultum poſſe intelligi vel de antichreſi, vel etiam de pacto legis commiſſoriæ. Nos in medio id relinquimus; tanquam obſcurum; præſertim cum hoc ius hodie ſit mutatum, & prohibita omnis etiam oppigneratio feudi, vt mox dicetur. Quod autem hodiè alienatio feudi omninò ſit prohibita; patet ex *tit.* 52. *& tit.* 55. *libr.* 2. vbi referuntur *conſtitut. Impp. Lotharii III.* quæ etiam adlegatur *tit.* 9. *libr. ſecundi.* Et Friderici I. cuius ſententiam verſibus in hoc genere ſingularibus expoſuit *Guntherus libr.* 8. Inter quas duas conſtitutiones hæc eſt præcipua differentia; quod poſterior Friderici arctiùs & vehementiùs; quam prior illa Lotharii prohibet alienationem feudi: verbi gratia, cum Lotharii conſtitutio tantum pertineret ad futuras alienationes; quæ promulgationem eius quādoque ſecuturæ eſſent: ſicut ſolent leges & conſtitutiones regulariter futuris negotiis formam dare; & regulas imponere, niſi legislator nominatim expreſſerit, vt etiam ad præteritos caſus, & adhuc pendentia negotia referrentur: *l.* 7. *C. de legibus, l. pen. in fin. Cod. de decurionibus, libr.* 10. Friderici conſtitutio expreſſe etiam præteritas alienationes reſcindi voluit, vnde Guntherus d. loco;

Hæc fieri magnus vetuit Lutherius: at nos

Facta retractari volumus, facienda caueri.

Et quidem optima conſuetudine interdicta dicitur feudi alienatio in *dicto tit.* 55. Quod ex contrario facilè eſt intelligere. nam primò ſi permitteretur vaſallo feudi alienatio, non poſſet amplius per egeſtatem, vel ſeipſum ac familiam honeſtè & pro dignitate exhibere, vel ſeruitia militaria (quæ certè magnos ſumptus requirunt) obire ac domino præſtare. Deinde alienatio irrequiſito domino facta à vaſallo neſcio quem contemptum domini arguit contrarium reuerentiæ ipſi debitæ. Taceo, quod non poſſit, quis plus iuris in alium transferre, quam ipſe habeat. Vaſallus autem non habet proprietatem in re de qua eſt inueſtitus, ſed ea manet domini. *§. vltim. tit. 8. libr. ſecundi.* Non debet igitur hoc ius proprietatis domino ſine ſuo facto & conſenſu auferri, per *l.* 11. *id quod noſtrum, D. de Reg. iur.* Quid quod etiam vſufructuarius non poſſit vſumfructum ſuum extraneo cedere? *§. finitur. Inſtit. De vſufructu.* Ergò nec vaſallus feudum, cum perſimilis ſit vtriusque ratio, vt alias dictum. Accedit deniquè argumentum à minori ad maius: Vaſallus nõ poteſt feudum deteriorare: vt paulò antè dictum eſt: Ergò multò minus poteſt alienare. Ampliatur ſuperior regula. I. Vt valeat, tàm quoad partem feudi, quam quoad totum: ſicut, inquam, totius feudi alienatio fieri prohibetur inuito domino, ita & partis. Sancimus, inquit, Imp. Frideric. in *d. tit.* 55. hac edictali lege, vt nulli liceat feudum totum, vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quocunque modo contrahere ſeu alienare, &c. *Et Guntherus lib.* 8.

Si quis habens feudum, pretio ſeu vendere totum
Seu pro parte velit, dominiq; licentia deſit,
Seu dare, ſeu vadio ſupponere cogitet, illud,
Qui dedit amittet, nec qui ſuſcepit habebit.

Vt ita hìc idem ſit ius partis, quoad partem, quod eſt totius, quoad totum. Quod ſi quis tamen partem duntaxat feudi alienauerit, pro ea parte feudo priuabitur, & non in totum, vt infra dicetur. Secundo

bitu

ampliа-

ampliatur regula, vt procedat ſiue feudum fuerit nouum ſiue antiquum. Primùm enim textus feudalis inter hæc duo genera hîc non diſtinguit, nec nos ergo debemus. Deinde vtrobique pariter intereſt domini feudum non alienari absque ſuo conſenſu: vtrobique ſi id fiat pariter contemnitur, & irreuerenter habetur dominus.

2. D. *Audiui regulam de alienatione feudi cum ſuis rationibus & ampliationibus, nullane eſt autem eius exceptio?*

M. Primùm moribus Gallorum feuda ad inſtar patrimoniorum redacta ſunt, &iure patrimonii ſeu allodii cenſentur: id quod vno ore teſtantur doctiſſimi quique Gallorum: vt *Cuiacius, Iornerius, Duarenus, Hotomannus, Iohannes Imbertus, Eguinar. Baro, Connanus,* & alii: vnde *Cuiacius ad tit.* 1. *libr.* 1. Eodem, inquit, moribus Galliæ receptum eſt, poſſe omninò ius feudi ſine voluntate domini a vaſallo cedi & vendi alteri: qua ratione vulgò dicitur: *Feuda patrimonii iure cenſeri.* Et idem *Cuiac. ad tit.* 9. Gallico more feuda iure patrimonii cenſentur: proinde alienari etiam ac pignorari poſſunt. Sic etiam (quæ eſſet altera exceptio) aliarum regionum moribus hoc ius, & iſta facultas recipi & comprobari poſſet. nam in feudis mores & conſuetudines dominantur. *arg. §. legum autem Romanarum, lib.* 2. *tit.* 1. quamuis hoc repugnare videatur *Conſtit. Impp. Lotharii & Friderici.* Tertia exceptio eſt in feudo alicui dato ea lege, vt ipſe & heredes ſui maſculi & fœminę, & cuicunque dederit, habeant. Hoc enim etiam ſine voluntate domini alienari poterit. *§. feudum, penultim. titul.* 26. *libri ſecundi, & titulo quadrageſimo octauo, eodem libro.* Sed Hotomannus hoc ibi notat. Pactum enim inueſtituræ adiectum complecti voluntatem Domini: hoc vult dicere, non eſſe hanc veram exceptionem, cum non ſit de regula, ſicut veræ exceptiones eſſe debent, vt præter alios docet *Phil. Decius, ad leg.* 1. *Digeſt. de Regulis iuris.* Regula autem fuit de alienatione inuito domino non facienda, non etiam de ea, quæ fit ex voluntate domini.

3. D. *Eſtne idem ius harum formularum Do tibi feudum eâ lege, vt ipſe & heredes tui & cui dederis illud habeatis & alterius: Cui in feudum dederis?*

M. Immo verò plurimum intereſt, hâc an illa formula ſenior in inueſtiturâ vſus fuerit. Nam ſi priore vtatur: cui dederis: feudum nõ habet propriã naturam feudi (excepto vno caſu, nempè quoad amiſſionem, hîc enim ſolum iure cenſebitur, nempè, vt ex iiſdem cauſis amittatur, quibus & verum ſeu proprium feudum) Sin autem poſteriore: Cui dederis in feudum: iam feudum tale retinet propriam naturam feudi. Ita rectiſſimè diſtinguit *Cuiacius ad titul.* 25. *libri quarti*, id eſt, *ad d.* §. *Feud. titul.* 26. *poſt gloſſ. in* §. *feudum ea lege, titul.* 26. *libri ſecundi.* Eaquè diſtinctio extat in ipſo *textu titul.* 48. *libri ſecundi.* quam vehementer miror non fuiſſe obſeruatam à *Domin. Hottomann.* qui non debebat nobis mutare textum in *fin. d. tituli* 48. vbi addit negationem hoc modo: *Et propriam feudi naturam non habet.* Manifeſta hæc eſt corruptela, non emendatio textus, quod pace tanti viri dictum volo. Sed ita fit, vbi nimis cupidè in aliorum repræhenſionem irruimus, vt ipſi ſæpè numero grauiſſimè hallucinemur, id quod hoc in loco manifeſto videmus doctiſſimo viro contigiſſe. De illa porrò conditione feudo adiecta, vt id habeat vaſallus, & cui dederit, vide & *Zaſium p.* 12. *in* 5. *concluſione, num.* 25. *cum* 2. *ſeqq.*

4. D. *Poteritne vaſallus, qui ita feudum adcepit, ſicut alteri feudum alienare, ita & ſibi ipſi adpropriare?*

M. Videbatur quidem id dicendum, cum charitas ordinata incipiat à ſe ipſa, *arg. l. præſes. C. de ſeruit. & aqua.* ſed verius eſt non poſſe, quia nemo cauſſam poſſeſſionis ſuæ ſibi ipſi mutare poteſt. *l.* 3. §. *illud quoque, D. de adquir. poſſeſ. l.* 5. *cum nemo. Cod. eod. tit. l. non ſolum,* §. 1. *D. De vſucapionibus, l.* 6. *D. de precario. Zaſius d. p.* 12. *num.* 28. cui ſimile eſt quod neque decurio ſeipſum tutorem dare poteſt. *l. vbi abſens, D. de tut. & curat. dat. ab his,* &c. quodq; tutor ſibi ipſi auctor fieri nequit. *l.* 1. *D. de auctor. tut.* neque patronus Eccleſiæ, qui habet ius præſen-

præſentandi, ſe ipſum præſentare poteſt, *c. conſuluit. & c. per noſtras, extr. De iur. patron.* neque Epiſcopus ſibi ipſi conferre beneficium ſuæ collationis poteſt, *c. fin. extr. de inſtitut.*

5. D. *Quid ſi per feudi alienationem à vaſallo factam conditio domini fiat melior, valebit ne tunc alienatio?*

M. Ita vulgò putant, quos adlegat *Petrus Duennas reg.*40.*limit.*8. Et hæc ſecundum ipſorum opinionem eſſet quarta exceptio, ſi modò vera. Sed adſentior Bartholomæo Camerario ICto Italo, qui in *repetit. cap. Imperialem, de prohibita feudi alienatione per Frideric.* putat, ne tunc quidem valere alienationem, cum enim dominus non poſſit ius ſuum quod in feudo habet (vulgò directum dominium vocant) abſque vaſalli conſenſu alienare, etiamſi conditionem eius meliorem faciat. *D. ad* §.*Ex eadem, tit.*34.*libri ſecundi*, & dicam infra: ſuadet hoc natura correlatiuorum, vt nec vaſallo hæc licentia permittatur. Deinde etiamſi fiat melior domini condirio, tamen ſemper verum eſt, eius reuerentiam & auctoritatem ſpretam ac læſam eſſe à vaſallo, dum videlicet irrequiſito eius conſenſu ad alienationem feudi proſiliit.

6. D. *Quid ſi neceſſitas vaſallum vrgeat ad alienandum?*

M. Placet temperamentum diſtinctionis, quo *Wilhelm. Hannetonius libr.*3.*de feud. cap.*5.*& Camera Spirenſis vſa eſt, teſte Mynſing. cent.*6.*obſeru.*30.*num.* 5. nempè, vt ſi admodum vrgens ſit neceſſitas, cui niſi ſubueniatur, vitæ periculum immineret vaſallo & liberis eius, aut vxori, tum valeat alienatio. *arg. l. vlt. C. de patribus qui filios diſtraxerunt, & arg. c. ſi quis propter neceſſitatem, extra de furtis.* Secus eſt ſi non admodum vehemens ſit neceſſitas. Quo ſenſu adcipienda eſt Baldi & aliorum opinio negatiua ad *c. vnic. tit.*9.*lib.*2.*vide & Menoch. de arbit. iud. c.*182.*n.*26.*& Antonin. Teſſaurum Deciſion.*99.*n.*5.*ibidem etiam diſputat, an feudum inſcio vel inuito domino poſſit reuocari ab adgnato proximiore oblato feudi pretio.* Quæ autem ſit ſatis vrgens neceſſitas, arbitrio iudicis definiendum relinquitur: teſte *Men. d. loco.* Debet tamen vaſallus etiam magna neceſſitate ingruẽte, non

Digitized by Google

ſtatim ante ad alienationẽ procedere, quàm domino ſignificauerit, ſi is fortè emere velit, vt docet *Wurmſer, in pract. obſeru & ex eo Borch. cap. 8. quæſt. 70.* Atque hæc de neceſſitate naturali. Eſt etiam alia neceſſitas iuris, quæ ſimiliter excuſat vaſallum: verbi gratia, ſi vaſallus condemnatus ſit ſententiâ iudicis ad feudum alteri vendendum, &c. *Zaſ. p. 10. quæſt. 29. verſiculo 4. concluſio.*

7. D. *Sunt ne plures ab hac regula exceptiones?*

M. Hanc quoque adferunt, permitti alienationem inuito licet domino, ſi fiat in proximum adgnatum. Quod verum quidem eſt, hoc caſu non requiri cõſenſum domini; Sed hæc non tam eſt alienatio, quàm refutatio feudi, de qua ſupra ſeparatim dixi. Itaque ne hæc quidem vera eſt exceptio, cum non ſit de regula. Addunt & hanc exceptionem de fructibus feudi, eorum ſcilicet commoditatem non prohiberi vaſallum, vel vendere vel oppignerare, vel aliter alienare. *Zaſ. d. p. 10, ſub n. 94. & Borchol. d. cap. 8. num. 58.* ex doctrina Baldi & Aluarotti. Quod vt verum eſſe fateor, ita exceptionem hanc eſſe nego. Erat enim regula non de fructibus feudi, ſed de ipſo feudo alienando. Nec ſanè mirum eſt, poſſe vaſallum fructus alienare, cum eos faciat ſuos, eorumq; pleno iure ſit dominus, vt ſupra dictum. Excipiunt deniq; etiam feudum Francum, quod volunt quidã alienari poſſe etiam inuito domino. Sed contrariũ de iure verius eſſe exiſtimo, quod probat *Iſernia ad t. In quibus cauſis feud. amittatur.* vide auctores vtriusq; ſententiæ apud *Borch. c. 8. n. 83.*

8. D. *Quid ergò ſi cõſenſus domini accedat ad alienationẽ?*

M. Iam valebit alienatio, ducto argumento à contrario ſenſu: Inuito domino facta alienatio non valet: Ergo eo volente valet. Idq; ita expreſſum eſt in §. *ſi verò cum domini voluntate, tit. 13. lib. 1. De alienatione feudi.* Et ratio eſt euidens; quia volenti & conſentienti non fit iniuria: conſentiens non contemnitur.

9. D. *Sed requiritur ne conſenſus expreſſus, an ſufficit tacitus?*

M. Videbatur neceſſarius eſſe expreſſus conſenſus, quia verbum licentia, quo vtitur Imp. Fridericus in ſua

conſtit.

conſtit.tit. 55. & quod retinet etiam *Guntherus lib.* 8. innuit expreſſum conſenſum, *arg.l. obſeruare, §. proficiſci,* vbi hoc notat *Baldus, D.de offic. Proconſ.* idque pluribus probat *Bartholomæus Camerarius, ad d. cap. imperialem, pag.* 527. *& ſeqq.* Accedit maximum, quod hic verſatur, domini præiudicium, vbi autem maius verſatur periculum, ibi cautius eſt agendum. Verior tamen apud me quidem eſt ſentẽtia, ſufficere tacitum conſenſum, ſi nimirum dominus tẽpore alienationis ſit præſens, nec contradicat, per ea quæ tradit *Accurſ. ad leg. Caius, D. de pigner. act. & Bart. ad l. quæ dotis, D. ſoluto matrimonio.* Vel ſiquidem ſit abſens, ſed tamen per literas de alienatione certioretur. Vide *Iul. Clar. quæſt.* 31. *num.* 13. *Mynſing. cent.* 4. *obſeru.* 87. *& Baronem Schencƙium in viridario concluſ.* 95. quibus nuper acceſſit *And. Fachineus lib.* 7. *controuerſ. c.* 8?.

10. D. *An oportet conſenſum ſtatim initio in ipſa alienatione interuenire, an verò ex poſt facto ratihabitio ſubſequens eam confirmat?*

M. Quamuis à principio dominus non conſenſerit alienationi, tamẽ ſi poſtea eam ratam habuerit, ea ratihabitio retrotrahitur, & conſenſum initialem imitatur, vt rectè Iſernia ad *d.t.* 55. *& F. Curtius p.* 4. *de feud. n.* 138. *Mynſing. d. loco.*

11. D. *Quid ſi plures ſint domini, an omnium conſenſus requiratur ad alienationem, an ſufficit vnius aut aliquorum?*

M. Neceſſe eſt, vt omnes conſentiãt, *argum. c.* 19. *de Regulis iuris in ſexto. & arg. l. vltim. Cod. de auctoritate præſtanda. Ioan. Andreæ in additione ad Speculat. t. de locatione.* Quod ſi aliqui non conſenſerint, pro eorum duntaxat parte, qui non conſenſerunt, feudum committetur, vt docet *Baldus ad l. libertus, D. de in ius vocando.*

12. D. *Quid ſi dominus in perſonam certam conſenſerit, poteritne vaſallus in quemuis alium alienare feudum?*

M. Non poterit; primum quia fines permiſſionis non debemus egredi: *argum. eorum quæ de finibus mandati diligenter cuſtodiendis dicta ſunt ad Inſtitutionum*

tit. de Mandato. Deinde, quia domini intereſt, non in quemlibet fieri alienationem, ne ſcilicet vaſallus ipſi contingat, quem habere non vult. *argum. eorum quæ de ſocietate traduntur*, neminem cogendum eſſe ſocium habere, quem non velit. Tertiò, quia conceſſio & incluſio vnius, eſt cæterorum excluſio. *arg. l. 12. D. de iudiciis & l. 8. D. de adcuſationibus.*

13. D. *Quid ſi dominus permiſerit vaſallo alienationem feudi, poterit ne is partem æque ac totum alienare?*

M. Videbatur dicendum poſſe, quamuis etiam partem, & non modò totum feudum, hoc caſu alienare: quia in toto & pars continetur, *l. 113. D. de reg. iur. l. 7. in pr. D. de except. rei iud.* eaque ſententia placuit Iſerniæ, vt retulit *Iacob. Aluarottus ad tit. 55.* Sed verius eſt, non poſſe partem alienari. Hoc enim non minus eſſet incommodum domino, habere ac recipere eiusdem feudi plures vaſallos, quàm eſt incommodum vaſallo plures agnoſcere dominos, de quo ſupra dictum in *cap. de inueſtitura petenda.* Facit huc, quod etiam pupillo inutile eſt, tutelam ſpargi per plures. Itē quod aliàs in iure ciuili prohibetur obligatio ſcindi in plures.

14. D. *Si dominus conſenſerit alienationi, poteritne etiam vaſallus æquè in vltima voluntate, atque inter viuos feudum alienare?*

M. Qui ſimpliciter conſenſit in alienationem, is tantùm de ea cogitaſſe & ſenſiſſe videtur, quæ fit inter viuos; non autem de ea, quæ in vltima voluntate. Ita rectè *Baldus ad titul. 55. argum. l. 7. §. pari autem ratione, D. de donationibus.* vbi donatione permiſſa filiofam. à patre, tantum comprænditur donatio inter viuos, non etiam quæ fit mortis cauſſa, niſi & hæc exprimatur. Quare videamus ne probandum non ſit, quod quidam voluerunt, vaſallum de tali feudo, quod accepit pro ſe & quibus dederit, etiam teſtari poſſe.

15. D. *Sufficit ne ad alienationis firmitatem conſenſus domini, an etiam aliorum inſuper adprobatio requiritur?*

M. Si feudum ſit nouum, ſufficit conſenſus domini; quia

pi; quia hîc ipſius tantum intereſt: ſin autem ſit antiquum, oportet vt inſuper adcedat conſenſus adgnatorum proximorum, *t.39. in princ. li.2. Feud.* quia quod omnes tãgit ab omnibus debet adprobari, vt paulò antè dictum. κοινὴ γὰρ χρειώ, κοινοὶ δέ τε μῦθοι ἴασιν, vt eſt apud Apollonium Rhod. Vide *Mynſing. cent.4. obſer.85.* Et alienatio quantumuis cum conſenſu domini facta non præiudicat adgnatis, ſicut nec deſcendentibus, niſi ipſi quoque conſenſerint, vide eundem *Schenckium d. concluſ.95.*

16. D. *Quo melius intelligi poſſit ſuperior regula de prohibita feudi alienatione, velim mihi explices, tùm quid ſit alienatio, tum quot ſint eius ſpecies?*

M. Opportunè quæris. Nam generis hæc eſt natura vt ipſum quidem ſit obſcurum, fiat autem dilucidius, ſi in ſuas ſpecies diducatur. Et qui in vniuerſum tantùm aliquid dicit aut docet, ſeipſum pariter & alios fallit, vt ait Ariſtoteles. Igitur *alienationis* verbum, (vt plurima alia in iure) non vno modo adcipitur. Aliquando ſtrictè pro ſola venditione, vt in *l. 4. & vlt. C. de iure Emphyt. & tit. C. de prædiis decurionum, lib.10.* Interdum ſumitur latè pro quolibet actu, per quem transfert dominium, *arg. l.67. D. de verb. ſignif.* Interdum denique latiſſimè pro cuiuslibet iuris tranſlatione, *l. vlt. C. de reb. alien. non alien.* Et ita in ſuperiore regula adcipiendum eſt, cum dicimus, alienationem feudi eſſe prohibitam. Vide *Mynſingerum cent.6. obſer.30. Et Dd. ad l. alienationis 28. D. de verb. ſignif.* Hinc definitore *Cuiac. ad tit. C. de alien. iud. mutand. cauſ. facta:* Alienatio eſt dominii, vel poſſeſſionis, vel iuris in alium tranſlatio. Vel iuris, intellige, alterius cuiuſpiam, quod ſeparatim ſit à dominio ſeu proprietate, itẽq; à poſſeſſione rei, vt ſunt, verbi gratia, Emphyteuſis, pignus, ſuperficies, ſeruitus, vſusfructus, *d. l. vlt. C. de rebus alien. non alienand.* nam alioquin etiam dominium & poſſeſſio iura quædã ſunt. De dominio res eſt certa; de poſſeſſione eſt *l. 49. D. de adquir. poſſ.*

17. D. *Quæ ſunt præcipuæ ſpecies alienationis?*

M. Venditio, permutatio, in ſolutum datio, diuiſio, donatio, in dotem datio, donatio propter nuptias, do-

talitium, datio in emphyteuſin, contractus libellarius, nexus pignoris vel hypothecæ, vſusfructus datio, ſeruitutis impoſitio, teſtamentum, tranſactio diminuendi cauſa facta, vſucapionis ſeu præſcriptionis permiſſio, ſiue patientia, refutatio facta ei cui non debet: ſubfeudatio, non vt oportet facta, precarii conceſſio, & ſecundum interpretes etiam locatio ad longum tempus, item conſtitutum, quod vocant, poſſeſſorium. Et breuiter, Alienatio, aut fit inter viuos, aut in vltima voluntate. Et inter viuos quidem fiunt omnes cæteræ ſpecies, præter teſtamentum, legatum, fideicommiſſum, & mortis cauſa donationem. Et rurſum, alienatio feudi, aut fit ex titulo aliquo oneroſo, aut ex titulo lucratiuo. De ſingulis harum ſpecierum quô plenius ac diſtinctius explicandi ſit occaſio, ordine interrogare poteris, dummodo eas ſpecies hîc prætereas, quæ iam ſupra ſuis quoque locis ſunt expoſitæ. Nam de teſtamento ſuper re feudali, de legato, & prælegato feudi, quod non valeat, de impoſitione ſeruitutis, & vſusfructus conceſſione inutili, de tranſactione diminuendi cauſa facta, ſicut & de compromiſſo in feudo, itemque de refutatione feudi facta ei, cui non debet, & de ſubinfeudatione non vt oportet, neque obſeruatis neceſſariis conditionibus facta: de his, inquam, omnibus iam antè, vt meminiſti, ſatis egimus, quæ per te ipſum hîc licet repetas. Itaque illis in præſentiarum omiſſis, tantum de intactis reſtat vt dicamus,

18. D. *Placet conditio. De venditione igitur quid ais?*

M. Vaſallus feudum inuito domino vendere ſeu diſtrahere non poteſt: vt habetur *d. titul.* 55. *verſic. habito ergo conſilio. Mynſing. d. obſeru.* 30. *num.* 1. *&* 3. quamuis *Duarenus cap.* 12. *de feudis, num.* 6. putet: alienatione prohibita non intelligi prohibitam ſimplicem venditionem ſine traditione: quia nimirum dominia rerum non per contractus, ſed per traditionem & vſucapionem transferantur, *§. per traditionem. Inſtit. de rerum diuiſ. l.* 20. *Cod. de pactis, l.* 3. *D. de obligat. & action.* pro qua ſententia etiam facit *l. alienatum* 67. *in princip. D. de verb. obligat.* Accedit, quod ex communi ſententiâ

non

non præciſè cogitur venditor rem Emptori tradere, ſed liberatur ſi præſtet quod ipſius intereſt. Sed animaduertere oportet, quod paulò antè diximus, *alienationis* verbum in feudis non propriè ac ſtrictè pro translatione tantùm dominii, verùm latiſſimè ſumi pro quouis actu, quo etiam aliud quoddam ius, vel in re, vel ad rem in alium transfertur. In eo tamen haud inuitus adſentior Duareno, Vaſallum licèt vendiderit feudum, tamen priuſquam id tradiderit emptori, nondum incurriſſe pœnam priuationis. Dixi: vendere ſeu diſtrahere. hæc enim in iure ciuili pro eodem ſumuntur, vt conſtat ex *titul. Cod. de diſtractione pignor. & titul. Cod. de patribus filios qui ſuos diſtraxe.* & alibi paſſim. Fridericus tamen Imperator in *d. ct. verſic. habito*, latius vſurpaſſe videtur *diſtrahendi* verbum, cum ait: *vel quocunque modo diſtrahere ſeu alienare*: Itaque diſtractio æquè latè ipſi patet, atque alienatio: quod etiam perſpicuum eſt ex præcedentibus, vbi de venditione iam ſeorſim dixerat: vt nulli liceat feudum vendere, &c. quomodo etiam Lotharius in ſua *conſtitut, titul.* 52. verbo diſtrahendi latiſſimè vſus videtur, cum ait: *Nemini licere beneficia ſine ſeniorum permiſſione diſtrahere.* Non enim tantum propoſitum fuit Imperatoris prohibere venditionem feudi, ſed omnem omninò alienationem.

19. D. *Quid ſi feudum vaſallus contra ius vendiderit ac ita dederit Emptori, dominus autem id ab eo auocarit (quod quidem facere poteſt) quomodo Emptori conſuletur?*

M. Diſtinguendum eſt inter bonæ fidei emptorem, & malæ, vt illi quidem, qui neſciant feudum eſſe, aduerſus venditorem competat actio ex empto, ſiue de Euictione (Guerſchafft) ad repetendum pretium: huic verò denegetur. Ita diſtinguit *text. & gloſſ. dict. tit.* 55. *in fin. princip. iuncta gloſſa in titul.* 52. *in verbo pretio*, *Guntherus libr.* 8. hoc diſcrimen ſic expreſſit:

> *Emptorique bonæ fidei præſtetur in illum* «
> *Actio, quæ pretium cogat redhibere ſolutum.* «

Vide etiam *Hotom. ad d. tit.* 52. vbi multas iuris ciui-

lis leges, quib. idem diſcrimen probatur adducit. Eandemque diſtinctionem etiam ſupra adhibuimus, cum de inueſtiturâ de re alienâ factâ ageremus, confirmatam per *l.17.C. de euict.* Ratio differentiæ inter bonæ & malæ fidei emptorem manifeſta eſt, quia bonæ fidei Emptori nihil eſt, quod imputari poſſit, vtpote, qui ignorans rem feudalem eſſe, emerit. non autem contemnit diſciplinam, qui ignorauit militem, vt eleganter ait *l.50.ſi ignorans.D. locati.* At malæ fidei Emptor eſt in dolo, qui meritò coërcetur amiſſione pretii. debuit enim à rei alienæ, quam talem ſciebat, emptione abſtinere.

20. D. *Quid tamen ſi malæ fidei Emptor de euictione ſibi cauerit interpoſita ſtipulatione?*

M. Quamuis aliàs etiam malæ fidei Emptori hoc caſu, quo eam ſtipulatus eſt, detur actio de euictione aduerſus venditorem, *d.l.27.C.de Euiction.l.7. C. commun. vtriusq;*, vide & *l. vlt. C. commun. de legatis*, tamen hîc probo ſententiam *gloſſ.ad d. tit. 55.in verbis: Ex empto actione*: quæ vult, Emptori malæ fidei, nē tum quidem dari repetitionem pretii, etiamſi ei cautum ſit per ſtipulationem, cum contra iſtam legem ſciens fecerit, vt ita aliud ſit iuris in eo qui mala fide comparauit feudum, aliud in eo qui aliam quampiam rem alienam emit. Aliarum rerum, quamuis alienarum, venditionem nulla lex expreſsè prohibuit, immò ea permiſſa eſt propter libertatem commerciorum, licèt poſtea res emptori auferri poſſit per verum eius dominum rem ſuam ſibi vindicantem, *l. 28. D. de contrah. empt.* feudi autem venditio expreſsè prohibita eſt conſtit. Imperatorum Lotharii & Friderici, & ita quidem, vt ipſo iure non valeat, *d. tit. 55.& arg.l.5. C. de legibus.* Vnde huiuſmodi commercium illicitum vocatur à Lothario in *d.t. 52.* in quo textu ſuperiore loco etiam legitur vulgò, *commercium excogitatum.* Sed magis probo emendationem Cuiacii, qui reſtituit, *commentum*, quod & Hotomannus ſequitur ſuppreſſo licèt Cuiacii nomine, cui ea laus non erat inuidenda. *Commentum* idem ibi valet, quod *figmentum & machinatio* in conſtit. Friderici.

21. D. *Quid ergo fiet de pretio, ſi eius repetitio denegatur mala*

malæ fidei Emptori, an id retinebit venditor, an fiſco attribuetur, an deniq; ſeniori, cui & ipſum feudum committitur, adiudicandum erit?

M. Illud certum eſt, venditorem non lucrari pretiū. Diſertè enim ait conſtit. Lotharii in *d.t.* 52. qui aliquid in fraudem huius legis machinari tentauerit, pretio ac beneficio ſe cariturum agnoſcat. Quæ verba æquè referri poſſe videntur ad perſonam venditoris, atque ad emptoris. Accedit & ratio, quod nemo ex dolo ſuo lucrum reportare debeat. De eo autem eſt controuerſia, an pretium fiſco adplicari debeat, an verò ſeniori tanquam parti læſæ. Prius voluit *gloſſa in d.t.* 55. in verbis, *ex empto actione*; pro qua ſententia adlegat *t.* 9. D. *iure fiſci.* Poterat etiam laudare *l.* 46. §. *quod contra eodem tit. & l. vlt. C. de litigioſis & l.* 52. *D. de contrah. empt.* poſterius tamen probabilius videtur Domino Hoto. *ad d. t.* 52. cuius rei hanc reddit rationem, quia ſcilicet vtriuſque Imp. conſtitutione feudum ipſum adiudicetur ſeniori. Commodius fortaſsè dixiſſet, quia ſenioris perſona contempta ſit à vaſallo, & ius ipſius læſum, idcirco meritò ipſum præferri debere fiſco in pretii tanquam pœnæ petitione, qua contemptus ille vindicetur, & honor ei ſuus reſarciatur.

22. D. *Audiui de venditione, De permutatione feudi quid ſentiendum eſt?*

M. Permutationem feudiſtæ vocant *cambium* (Ein Wechſel) & ipſum permutare, *cambire*, verbo non ineleganti nec veteribus incognito, vt aliàs docui, vide *li.* 1. *Feud. tit.* 4. & 22. & *li.* 2. *tit.* 25. & *Alciatum li.* 2. *παρέργων cap.* 45. *nec non Pet. Greg. Syntag. Iur. vniuerſi lib.* 6. *cap.* 1. *nu.* 12. Idcirco autem permutationem proximè coniunxi cum emptione & venditione, quia hęc ab illa fluxit, vt dictum eſt ad §. *item pretium. Inſtit. de empt. & vendit. ex l.* 1. *D. de contrah. empt. & ex l.* 1. *D. de rer. permut.* Sicut autem prohibita eſt vaſallo venditio feudi inuito domino, ita & permutatio, vt rectè *Aluarot. ad tit.* 24. *in princ. num.* 16. *Mynſing. cent.* 6. *obſeru.* 30. & *Weſembec. de Feudis cap.* 11. *num.* 3. nam & permutatio eſt quædam alienatio, *d. l.* 1. §. *item empt. D. de rer. permut. l.* 1. §. *in alienatione, cum* §. *ſeq. D. quando de peculio act. an. ſit. N.* 7. *c.* 1. *c.* 5.

Nulli liceat, §. *alienationis, extra de rebus Eccleſiæ alien. vel non.* Nec debuit hac de re dubitare *Franciſc. Curtius part.* 4. *de Feud. in poſtrema cauſa, quæſt.* 11. *Sacroſ. Auth. ſed & permutare, cum Authent. ſeq. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Illæ enim ſacroſanct. actiones non de feudis agunt, ſed de rebus Eccleſiaſticis, quæ certis conditionibus obſeruatis permutari poſſunt. An autem liceat etiam emphyteutæ permutare prædium emphyteuticum absq; conſenſu domini, vide apud *Iul. Clar. in* §. *Emphyteuſis q.* 17.

23. D. *In ſolutum datio qualis eſt?*

M. In ſolutum dare dicitur is qui pro pecunia numerata quam debebat creditori ſuo nolenti dat rem aliquam ſiue mobilem ſiue immobilem, ſeu ſe mouētem: Quod & pro ſoluto datum dicitur in *l.* 4. *C. de euictionibus.* Dixi, *volenti.* Nam inuito aliud pro alio ſolui non poteſt, *l.* 2. §. 1. *D. de reb. creditis.* at volenti & conſentienti poteſt, *l.* 46. *D. de ſolutionibus, l.* 17. *C. eod. tit.* vbi poſt veteres vide Donellum & Gothofr. Monui hac de re etiam ad *tit. Inſtit. Quibus modis tollitur obligatio.* Vnuſquisque enim poteſt ſuo iuri renuntiare, & volenti non fit iniuria neque dolus, vt eſt in *Reg. iuris.* Hæc igitur in ſolutum datio, vel pro ſoluto, etiam eſt alienatio quædam. & quidem vicem venditionis obtinere dicitur in *adleg. l.* 4. *C. de Euict. & in l.* 4. §. *auctores. D. de doli mali & metus exceptione.* Vnde non malè ſtatim adiungitur venditioni & permutationi, & perinde vt illæ ſpecies, ita & hæc meritò prohibita eſſe in feudis intelligi debet.

24. D. *Diuiſio cuiusmodi eſt?*

M. Diuiſio quoque ſiue ea fiat in communi diuidundo, ſiue in familiæ erciſcendæ vicem emptionis obtinere dicitur ab eodem Imperatore. Anton. in *l.* 1. *Cod. comm. vtriusq; iudicij*, qui *& l.* 4. *C. de euictionibus* auctor eſt, idque propter adiudicationes, quæ in hiſce duplicibus iudiciis vſitatæ ſunt, per quas ſæpè vnus alteri certa pecunia condemnatur, in quantum ſcilicet vni plus adiudicatum eſt, quam alteri, vt ita res ad æqualitatem reuocetur. Qua de re dictum eſt ad §. *ſi familiæ, &* §. *Eadem interueniunt. Inſtit. de officio iudicis.* Cum autem de feudi diuiſione quærit, an ea ſit permiſſa nec-

ne, obſeruanda eſt diſtinctio ſupra tradita inter ſpecies feudorum, inter feudum, inquam, habẽs adnexam dignitatem, & feudum ſine dignitate. Prioris generis feuda (quæ & maiora dicuntur, vt Ducatus, Marchiæ, Comitatus) diuidi prohibentur, non ſolum à Friderico in §. *præterea d. tit.* 55. Verum etiam a Carolo IV. in *Aurea Bulla*, *cap.* 23. Qua de re ſic ſcribit *Guntherus lib.* 8. *F.*

Marchia, ſeu comitis poſſeſſio, ſiue ducatus
Integra permaneant: feudalia cætera multis
Participanda patent domino dum quisq; fidelis
Spondeat obſequium, iurandaq; fœdera præſtet.

Vide etiam *Iul. Clar. quæſt.* 44. & *Zaſium part.* 9. *in fin.* Ratio prohibitionis eſt, vt virtus vnita maneat fortior in ſeipſa quàm ſparſa, cum diuiſio ſoleat rem adtenuare, & ne regnum in ſe diuiſum deſoletur, vt eſt in Euangelio. Alterius generis feudorum quæ ſunt minora, ſeu inferiora, nec dignitatem adnexam habent, permiſſa eſt diuiſio. Poſſunt enim plures eiuſdem vaſalli, ſiue liberi, ſiue adgnati, qui in eodem ſunt gradu feudum inter ſe diuidere, ſi conſortes voluerint, vt ait *Imperator in dicto §. præterea, titul.* 55. nemo enim in communione inuitus detineri compellitur, *leg. vlt. Cod. communi diuid.* Vnde receptum eſt, vt etiam vno ad diuiſionem prouocante illa ſit inſtituenda. Et diuiſio feudi, cuius ſit mentio in §. *omnes, titul.* 26. *libr. ſecundi*, itemque in capitibus extraordinariis apud *Ardizonem cap.* 8. intelligenda eſt de huiuſmodi feudis inferioribus, quæ ſola ſunt diuidua, non etiam de maioribus. Quanquam autem inter indiuidua feuda Imp. Fridericus etiam numerat Comitatus, tamen inueterata conſuetudo inoleuit in cõtrariũ, nẽpe vt talia quoq; feuda dignitatũ, exceptis tantùm regalib. inter feudatarios rectè diuidantur: ſicut de Italiæ, & inprimis Longobardiæ cõſuetudine teſtatur *Fran. Zoannet. cap.* 4. *rerum quotidianar. n.* 12. Obſeruabis in *d. §. omnes*, probabilem emendationẽ Cuiacii, legentis, *diuiſum*, pro eo, quod vulgò editum eſt *indiuiſum*: maximè ſi diuiſum habentẽ quamuis Hotom. eam mutationem reprobet in comment. ad eum locũ. Proponitur enim ibi duplex caſus.

Primus quo cohæredes inter ſe diuiſerunt feudum, ita vt vnusquisque partem eius adceperit. Alter caſus eſt, quo feudum totum ad vnum ex ipſis peruenit, qui fortè reliqui pro ſuis portionibus, vel pecuniam dedit, vel allodialia quædam bona. priore caſu omnes cohæredes iurare iubentur: poſteriore tantum is cui feudum obuenit. Fateor tamen, alteram quoque lectionem excuſari & retineri poſſe, vt ſcilicet, intelligatur textus de fratribus, vel adgnatis, conſortibus qui adhuc pro indiuiſo retinent feudum: & ſenſus probari etiam videtur per *textum in d. §. præterea*, in verbis, *qui partem feudi habent, vel diuiſi, vel adhuc diuidendi.* Solet autem quæri quis ex pluribus eiuſdem vaſalli cohæredibus fidelitatem facere ſeu iurare & ſeruare debeat, qua de re iam ſupra dixi in *cap. de inueſtitura & iureiurando fidelitatis.* De diuiſione igitur, (vt concludam) duæ conſtituendæ ſunt regulæ. Prima: Feuda dignitatum ſiue maiora diuidi non poſſunt. Secunda: Feuda inferiora nec dignitatem habentia diuidi poſſunt, *d. §. præterea, tit. 55. & §. omnes, tit. 26. li. 1. & §. item ſi duo fuerint fratres, tit. 5. libr. 1.* Prioris regulæ rationem paulò antè audiuiſti. Nunc attende & ampliationem, & exceptionem. Ampliatio hæc eſt, vt non valeat diuiſio, etiamſi omnes conſortes conſenſerint in ipſam: quia iuri publico priuatorum conuentiones non poſſunt derogare, *l. 38. D. de pactis.* Exceptio hæc eſt: niſi conſuetudine alicuius regionis contrarium fuit vſurpatum, vt ſi diuidi poſſunt etiam maiora feuda teſte Aluarotto, Præpoſito & aliis ad *d. §. præterea, & Iohan. Andr. in additionibus ad Spec. in rub. De feud. propè fin.* Sicut de cõſuetudine Germaniæ, Galliæ & Italię teſtantur *Zaſius part. 9. num. vlt. & Iul. Clar. quæſt. 44. Item Hart. ab Eppingen obſer. 19. num. 5. tit. de Feud.* de qua tamen conſuetudine non immeritò quis dubitet, plusne noceat Reipub. quàm proſit. Alia eſt exceptio, niſi dominus permiſerit diuiſionem, *Duaren. cap. 12. de Feud. num. 18.* vide & alias exceptiones apud *Curtium part. 4. de Feud. quæſt. 30.* ſed quæ non magni ſunt momenti. Alterius regulæ ampliationes hæ ſunt. Prima, etiamſi pactum inter cohæredes fuerit interpoſitum de diuiſione nunquam facienda; huiusmodi enim

nim pacto obſtante, nihilominus fieri potuit diuiſio, tale enim pactum nullas vires habere manifeſtiſſimum eſt, *l.14.§.ſi conueniat.D. communi diuid.* vbi gl. Cur nullas vires habet? quia communio rixas & diſcordias parit, propter naturalem hominũ facilitatem ad diſſentiendum, *l.77. cum pater, §. Dulciſſimis. D.de legat.2.l.26. in re communi.D.vrban. præd.l. 17. D. de receptis arbitris, l. 26.§.ſi cautum.D.de condict.indeb.* Dixi, non valere pactum de diuiſione nunquam facienda. Secus eſt, ſi conuenerit, ne intra certum tempus à communione recedatur, *dicta l. 14.* quo caſu ante elapſum terminum non poſſet diuiſio cęteris inuitis ab vno poſtulari, niſi aliquis ex ſociis fortè nimis rixoſus, aut aliàs moleſtus eſſet cæteris, vt docet *Hieronymus Schurpf. conſil. 37. nu. 20. in 2.cent.* Secunda ampliatio eſt, etiamſi pater filios ſuos in vltima voluntate obſtrinxiſſet iureiurando, ne vnquam diuiderent, nihilominus enim & nepotes poterunt diuiſionem inſtituere, & ex ipſis quoque filiis, is qui fortè enormiſſimè eſt læſus, aut dolo circumuentus. Nepotes quidem, quia iuſiurandum patris ſui ipſos obligare non potuit, cum fuerit vinculum perſonale, is verò qui enormiſſimè læſus dolove circumuentus eſt; quia ex his cauſis etiam aduerſus iuramentum in contractu interpoſitum datur reſtitutio in integrũ, vide eundem *Schurpf.d.conſil.37.num.22. cum ſeqq.* Tertia ampliatio eſt, quamuis non omnes cohæredes, ſed vnus tantum cæteris inuitis ad diuiſionem prouocet. Ita rectè *Iſernia ad d.§. prætereà. & probat Curtius part.4. num.124. Duaren.cap.12. in fin. Andr. Gail.lib.2.obſeru.153. num.9.arg.l.8.D. communi diuid.* Nec obſtat quod Imp. in *d.§.prætereà*, ait ſi conſortes voluerint: ex quibus verbis quidam interpretes colligere voluerunt, omnes cõſentire debere, quia inquiunt, indefinita æquipollet vniuerſali. Sed hoc non eſſe perpetuum plurimis exemplis doceri poteſt. Neque enim nouum eſt & IC. auctoribus, vt plurali numero vtantur, etiam vbi de vno tantum eſt ſermo, & contrà vt ſingularem vſurpent collectiuè etiam de pluribus loquentes, *l.158. & ibi Dd. D.de verb.ſignif.* Prætereà poſſet illis, hoc quoque reponi, quod pluralis locutio duobus contenta ſit: ex quoſe-

quæretur ſufficere conſenſum duorum ex cohæredibus: quod tamen ne ipſi quidem volunt, qui omnium conſenſum putant eſſe neceſſarium. Melius igitur puto cum Duareno & aliis hanc quæſtionem definiri ex iure ciuili, id eſt, ex *d.l.8.D.communi diuid.* cum Iure feudali contrarium expreſsè non ſit deciſum ex regula, quæ traditur *t.1. li.2.* Quarta ampliatio hæc eſt; etiamſi iura quædam ſiue res incorporales in feudum datæ eſſent, v.g. Iuriſdictiones, curiæ decimæ, &c. etiamſi enim ipſa iura ſint indiuidua, tamen res poterit experiri per adiudicationes vel alternum vſum, vel penſionib. vel per territoria ſiue regiones, idq; mediante cautione, ne alter alterum in ſuo vſu impediat, *arg.l.7.§.cum de vſufr. D com.diuid.l.1.§.item quæſitü, l.5.D.de aq.quot.& æſtiua, l.34.D.de vſuf.verſ.Zaſ.p.9.n.41.Duar.d.c.12 n.19.Iul.Clar. q.44.n.1.verſ. & hoc etiamſi.* Plura de diuiſione inter cohæredes petere licebit ex *Mynſing cent.4. obſer.37. Andr. Gail.li.2.obſ.116.in fin.Schrad.p.7.c.5. & Modeſt.Piſt.conſ. 5.vol.2.* verbi gratia. An diuiſio debeat expediri ſorte, an arbitrio iudicis, an maiore fratre diuidente minoris ſit electio ſiue optio. Illud ad extremũ hîc obſeruabis, eſſe morib. receptam quandam inter conſortes fratris vel alios agnatos diuiſionem, quam vocant **Theilung auff den Mietzen.**

25. D. *Quid de donatione feudi dicis?*

M. Vaſallus etiam donare feudum prohibetur, ſiue id fiat inter viuos, ſiue mortis cauſa, *§.Donare, t.9. li.2.* & ibi poſt alios *Frideric. Schenckius, & Hotom. per l.67.§.1. De verb.ſignif.Henr.Roſenth.c.9.concl.6.* Dicere poſſet etiam furti ſpeciem eſſe de alieno largiri, & beneficii debitorem ſibi adquirere, niſi furtum eſſet tantum rerum mobilium, vt audiuiſti ad *t.De vſuc.* & proinde in feuda non caderet, quæ ſunt rerum duntaxat immobilium, vt ſup. dict. Et hæc res nullam habet difficultatem, dummodo memineris poſtquam feudum ablatum eſt à donatario per donum non habere donatarium *act.de Euict.* etiamſi bona fide rem adceperit, niſi ſtipulatione ſibi cauerit, vtpote, qui tit.lucratiuo rem ſit nactus, per *l.2.C.de Euict.Paulus lib.5.ſententiarum, t.11.* de quo loco quod mihi videtur ſupra expoſui. *Gloſſa ad d.§. donare,*

adno-

aduotat hac in re differre vaſallum ab inuito emphyteuta, qui ius ſuum etiam inuito domino alteri donare non prohibetur. Vide *Iulium Clarum*, §. *Emphyt. quaſt.* 5.

26.D. *Poteſtne vaſallus feudum in dotem dare?*

M. Non poteſt, ne quidem pro filia; ex quo intelligere debes, multò minus licere pro extranea puella, *d.§. donare, & ibi communiter Dd. tit. 9. libr. ſecundi.* Ratio eſt, quia dotis datio etiam eſt alienatio quædam, *l.* 4. *D. de plagiar. l.* 1. *§. ſed etſi donauit. D. quando de pecul. act. annal. ſit*, *l.* 19. *D. de oblig. & act.* vbi quaſi Emptor eſſe dicitur, qui dotem petit, & qui in dotem dedit vendidiſſe videtur, propter onera ſcil. matrimonii, vt ait *l.* 8. *§. ſed ſi permiſerit. D. Quibus modis pignus vel hypotheca.* Vnde etiam maritus exercere poteſt actiones de re dotali, quæ domino competunt, vt rei vindic. *l.* 9. *C. de rei vindic.* eſt quidem magnus fauor dotium, quarum cauſa vbique præcipuè eſſe dicitur, *l.* 1. *D. ſoluto matrimonio.* Sed ita fauere debemus dotis cauſa, ne quid contra iuſtitiam faciamus, & ne ius domini lædamus, *argum. cap.* 6. *Extra de donationibus inter vir. & vxor.* Et licet non deſint, qui vaſallo permittant dationem in dotem, vt *Ardizo in ſumma feudali & Cynus in l. voluntas*, *C. de fideicommiſſis*, licet *Hotom.* quoque putet, feudiſtas non ſatis ſibi conſtare, dum negant vaſallo feudi in dotem dationem, cum permittant ſubfeudationem ſiue ceſſionem, vt ſupra audiiſti: ideoque ad *tit.* 13. *libr. ſecundi* eò inclinet poſſe vaſallum genero ſuo feudum cedere, dummodo ſit miles: tamen communis eſt ſententia Dd. feudum à vaſallo in dotem dari non poſſe, teſte *Zaſio part.* 9. *num.* 7. *Iulio Claro quaſt.* 36. *& Mynſing. cent.* 4. *obſeru.* 86. In fructibus tamen feudi nihil prohibet, quin dos rectè conſtituatur. *Zaſius dict. loco num.* 8. Illud non negauerim, poſſe vaſallum genero ſuo homini militari iiſdem conditionibus, quibus penes ipſum fuit feudum, etiam per infeudationem cedere, cum non debeat eſſe deterioris conditionis generi, quam quilibet extraneus. Verũ meminiſſe oportet multũ intereſſe inter ſubinfeudationẽ, & dotis dationẽ: Illa permiſſa eſt iure feud. hęc expreſsè prohibita; de illa ſup. egimus, de

iſta hoc loco. Ampliatur autem ſuperior regula, etiamſi pater nulla alia bona haberet præter feudalia, teſte *Bernh. Wurmſero tit. de Feud. obſeru. 19. num. 1.* quod tamen aliis improbatur, qui volunt ſi pater non poſſit aliunde filiæ dotem conſtituere, nec filia aliter nubere, quam ſi dotata ſit, tunc demum ei ex feudo magno & fructuoſo dotem conuenientem rectè a patre conſtitui, vt videre licet apud *Hartm. Piſtor. libr. 2. quæſt. 37.* eamque ſententiam nuper etiam Tubingæ *Boccerus defendit diſput. 16. nu. 72. claſſ. 4.* ſed infirmis admodum argumentis. verbi gratia, primum argumentatur ab Alimentis ad dotem, hoc modo: Vaſallo ob defectum corporis debentur nihilominus alimẽta ex feudo magno, vt eſt *textus in §. Mutus, tit. 6. lib. 1. Feud.* Ergò, inquit, etiam dos poterit conſtitui à vaſallo pro filia. ſed ibi agitur de alimentis non filiæ, ſed ipſi vaſallo ex feudo adſignãdis. Sic quod ait dominum debere vaſallo ea præſtare, quæ ad honeſtatem eius pertinent, *verſic. honeſtum, & verſic. Dominus quoq; tit. 6. lib. 2. Feud.* Iam vero honeſtum eſt dotari filiam vaſalli, ſed aliud eſt loqui de eo, quod filiæ aut genero eius debeat. Et certè hinc ſequeretur etiam vaſallum dotare debere filiam domini, quod tamen falſum eſſe ſupra docuimus.

27. D. *Quid ſi fœmina ipſa feudum aliquod habeat (ſicut habere eam poſſe abunde ſupra dictum eſt) numquid ipſa pro ſe feudum in dotem dare poteſt marito ſuo?*

M. Poteſt per textum apertum in *tit. 13. & 17. libr. 2. Feud.* Vide *Mynſing. d. loco in obſeru. c. 4. obſ. 86. Zaſiũ & Iul. Clarũ* locis paulò antè adductis. nam & vſumfructum mulier in dotem adferre marito poteſt, *l. 6. C. de vſufructu, l. 7. D. de iure dotium.* Sic etiam ex rebus fideicommiſſo grauatis, *l. 22. Mulier. D. ad SC. Trebell. N. 39. vbi Cuiac.* Sed hic duæ conditiones obſeruandæ ſunt; Prima, ne dos ſit æſtimata, ſed inæſtimata. Secunda, ne adponatur pactum de lucranda dote, *Iul. Clar. quæſt. 36.* Cur autem dos inæſtimata tantum hic eſſe poſſit, ratio eſt; quia æſtimatio vicem obtineret venditionis. Ea autem vt ſupra dictum prohibita eſt in feudo etiam fœmineo. Deinde cur non poſſit adponi pactum, de lucranda dote, ratio eſt; quia maritus in feudo non po-

teſt

teſt ſuccedere vxori, ne quidem ſi in dotem id acceperit, *d.tit.*13.*lib.*2.vbi obiter notabis in fine tit. *ſi*, pro, *An*, poſitum. Quomodo & loqui amant Seuer. & Iuſtin. & ſæpè I C.ac Impp.

28. D. *Sed quæ ratio eſt differentiæ, quod mulier ipſa pro ſe feudum in dotem dare poſſit; pater autem pro filia non poſſit: cur inquam plus iuris mulieri quàm patri conceditur, quod certè prima fronte abſurdum quis dixerit?*

M. Quia mulier feudum in dotem dans non ſic alienare illud videtur, quo modo pater. Videtur enim ipſa dominium ſaltem iure naturali ſemper retinere durante matrimonio, *l.*30.*in rebus.C.de iure dotium*, & feudum in muliere parum diſtare videtur ab vſufructu. Patris verò datio in dotem pro filia non poteſt adcipi pro refutatione ſiue ceſſione, ſed potius mera alienatione; quia fœmina regulariter non eſt capax feudi, vt ſupra erit, *D. Iul. Clarus eod.q.*36.*& Cuiac. ad d.t.*13.hæ tamen rationes non plenè ſatisfaciunt *D. Hotom. ad eund.tit.* 13. Memineris quod ait *Clar. in fine d. quæſt.* tutius eſſe vtroque caſu requirere conſenſum domini.

29. D. *Si igitur mulier marito feudum ſuum in dotem dederit, vter iurabit fidelitatem, ipſane, an maritus?*

M. Maritus iurabit nomine vxoris, vt & ſupra monui, cum ageretur de iureiurando fidelitatis: nam & iure ciuili maritus, cui vxor vſumfructum in dotem dedit, eius nomine cautionem vſufructuariam præſtat proprietario, vide *Hot. ad t.*17.*lib.*2.*Feud.*

30. D. *Audiui de dotis datione. Quid autem de Dotis reſtitutione iuris eſt? Poteſtne Dos de bonis feudalibus reſtitui?*

M. Si feudum ſit ſimplex & proprium, dos ex eo reſtitui non poteſt. Secus, ſi ſit hæreditarium atq; improprium. Tunc enim dotes inde reſtitui poſſunt; quia de talib. feudis tanquam de allodialibus iudicatur. Ita diſtinguit *Octauia. Cacheran. conſil.*7.*n.*1.*&* 2.

31. D. *Quid ais de donatione propter nuptias: Poteſtne vaſſallus feudum vxori donare propter nuptias?*

M. Donatio propter nuptias rectè ſubiungitur doti: quia ſicut vxor marito dat dotem, ita maritus vxori facit donationem propter nuptias: & ſoluto matrimo-

nio, ſicut dos reuertitur ad vxorem, vel interdum ad patrem, qui eam dedit; ita donatio propter nuptias ad maritum, niſi pacta interuenerint de alterutro lucrando, aut niſi aliter ferat conſuetudo alicuius loci vel ſtatutum: quorum illud ait Pontifex Innocentius III. (qui fuit egregius Iuriſconſultus) in *cap. 6. nuper. De donationibus propter nuptias*, hoc autem, inquit Gregor. IX. quod ex iure ciuili compilauit, vt ſolet in *c. vlt. eod. tit.* Quod autem ait Innocent. in *fin. d. cap. 6.* ſecundum legitimas ſanctiones intelligitur. *ll. Imperator. ſub tit. Cod. de donat. ante nuptias, & N. 97.* nam hæc ſpecies donationis ante illas conſtitutiones imperiales incognita fuit teſte Iuſtin. in §. *Eſt & aliud. Inſtit. De donationibus.* in Pandectis certè nuſquam eius fit mentio. Vult autem *Iuſtin. in d. Nou.* vt omninò inter ſe congruant ſummæ dotis & donationis propter nuptias, ſiue vt ſit inter eas æqualitas, vnde & in C. hoc eſt relatum in *A. æqualitas, C. de pact. conuent.* vnde etiam vocatur *antipſerica*, quaſi dicas contra dos, ſiue compenſatio & leuamentum dotis. German. eleganter Gegenſteuer / Gegenvermachung / ſicut paraſerna, quaſi dicas, præter dos, ea bona ſignificat, quæ mulier extra dotem ad maritum attulit, quæ ſunt Latinis *receptitia.* hæc tamẽ ſæpè quorundam locorum moribus ipſam dotem ſuperat; verbi gratia, ſi vxor decem millia det doti, maritus cogitur ei alterum tantum, id eſt, viginti millia nomine donationis propter nuptias cõſtituere. Aliud quoq; & differens ab hoc genus eſt dotalitium in iure Canonico, & in *Spec. Sax. v. c. 4. extra de donatione propter nupt. c. 15. ext. De foro compet. cap. pen. 36. quæſt. 2. & libr. 3. Speculi* Lehenrecht, *artic.* 74. Dicitur quoq; *dotarium* in *conſtit. Neapolit. Frid. II.* vulgò *Doarium*, Germanis Leibgeding / Et rurſum aliud genus, quod dicitur Longobardis Morgengaab, vel corruptè *Morganatica*, vt alias dictũ: nempè quod nouæ nuptæ à viro poſtridie nuptiarum prima pro nocte datur. Græci, vt Harmenopulus & alii adpellant, ὑπόβολον, vide *Cuiac. in paratitl. Cod. eod. titul. 9. libr. 2. feud.* Vide etiam *Hotom. in Lexico feudal.* obſeruabis autem, ſicut dos non tantum à muliere dari poteſt viro, ſed etiam ab alio pro ea, ita & hanc

donatio-

donationem propter nuptiãs poſſe ab alio conſtitui pro marito, *l.19. Cod. de donationib. ante nupt. N.119. quod addes ad d. cap. 6. nuper.* Deinde & hoc notabis poſſe ſicut dotem, ita & donationem propter nuptias non ſolum ante matrimonium, ſed & poſtea eo iam contracto & durante tàm conſtitui quam augeri: quæ cauſa quoque fuit, cur Imp. nomen huic donationi nouum impoſuerit, vt ad *Inſtit. dictum eſt, §. Eſt & aliud. de donationibus.* Igitur vt ad quæſitum reſpondeam: ſicut feudum in dotem dari non poteſt, ita nec propter nuptias rectè datur a vaſallo inuito domino, *§. Donare, & ibi Doctores titul. 9. libr. ſecundi. Vide Weſembecium cap. 11. num.* 4. Dos enim & donatio propter nuptias iudicantur ad paria, ita vt ferè de vno diſpoſitum etiam de altero ſtatutum cenſeri debeat, *argum. l. 9. & A. ſequent. Cod. de pactis conuent. tàm ſuper dote d. cap. 6. extra De donation. inter virum & vxorem.* Exceptio eſt, quod in quibuſdam locis in Germania receptum eſt inter Nobiles, vt mortuo vaſallo eius ſucceſſores cogantur viduæ conſtituere dotalitium in feudo, ſi nimirum vxor dotem dederit viro, quæ in feudum verſa ſit, quod vocant Ein Leibgeding, item Leibzucht: qua de re vide *Hart. Piſtor. lib. 1. quæſt.* 4.

32. D. *Habet ne mulier in bonis feudalibus mariti tacitam hypothecam nomine dotis & donationis propter nuptias?*

M. Iure quidem ciuili in bonis allodialibus mariti vxor habet ius tacitæ hypothecæ pro conſeruanda dote & donatione propter nuptias, *l. vnica, §. 1. C. de rei vxor. actione, l. 29. vbi C de iure dotium,* ſed iure feudorum non habet: qua de infra pluribus cum de oppigneratione feudi dicetur.

33. D. *Sequitur de Emphyteuſi. Poteſtne igitur vaſallus inuito domino feudum alteri in Emphyteuſin dare?*

M. An vaſallus domino inuito feudum alteri dare poſſit in emphyteuſin; Ratio dubitandi, ob quam videbatur hoc ei licere ac permitti debere, hæc eſſe poteſt: quia per emphyteuſin fundus melioratur. Eâ namque lege dari ſolet prædium in emphyteuſin, vt idem cultius ac melius per emphyteutam reddatur, & vt cano-

annuus inde præſtetur; quemadmodum audiuiſti ad §. *Adeò. Inſtit. de locat. & conduct. l. 1. & tot. tit. Cod. de iure emphyt.* Vaſallus autem poteſt meliorem conditionem feudi facere, quamuis deteriorem non poſſit, §. *è contrario, verſic. meliorem, tit. 8. libr. ſecundi feud.* Et hoc voluit *Ioan. Faber ad d. §. adeò*, quem & *Iohan. Reinaldus* aliique ſecuti ſunt titul. 55. Contrarium tamen iure feudali verius eſt; nempè vaſallum in feudo emphyteuſin conſtituere non poſſe, vt rectè gloſſ. *ad d. titul. 55. in verbis: ſeu alienare*, eamque opinionem magis communem teſtatur *Iul. Clar. quæſt. 33. num. 3.* Gloſſa tamen diſtinguere videtur inter emphyteuſin perpetuam & temporalem, vt illa ſola ſit interdicta, quo modo etiam ſenſiſſe videtur ius canonicum quando contractum emphyteuticum perpetuum alienationis verbo contineri ait in *cap. 5. §. 1. Extra, de rebus Eccleſ. alien. vel non, & in cap. 1. in fin. eod. tit. in Clement.* Ratio eſt, quia Emphyteuſis etiam eſt alienatio quædam, ideoque ſub generali prohibitione alienationis feudi non immerito comprehenditur, *l. vlt. C. de reb. alien. non alien. Nou. 7. c. 1. & d. c. 5. extra de rebus Eccleſ.* & quidem in emphyteuta non tantum ius in rem, ſeu (vt vulgo vocant) *vtile dominium*, verum etiam poſſeſſio in eundem transfertur, *l. pen. §. 1. D. Qui ſatisdare cogantur. l. 1. §. vlt. D. ſi ager vectigalis vel Emphyt. Cod. de fundis patrimonialibus, libr. 11.* Et ſanè cum vaſallo non liceat vſumfructum alteri conſtituere in feudo, vt ſupradictum, multò minus licebit emphyteuſin; quia vſusfructus eſt ius temporale, quod finitur cum vita vſufructuarii. At emphyteuſis plerumque eſt ius perpetuum. in vſufructuarium non transfertur poſſeſſio, in emphyteutam transfertur. Ampliatur autem hæc regula; etſi vaſallus dixiſſet in conceſſione emphyteuſeos ſe id facere, ea lege, vt ex hoc contractu non tranſeat vtile dominium in adcipientem. *Baldus ad §. 1. dict. titul. 55. Bernhard. Wurmſerus tit. de feud. obſeru. 33. nu. 2.* huiuſmodi namq; pactum in fraudem legis adpoſitum videtur: vt taceam quod ſit cõtrariũ ſubſtãtiæ ipſius contract⁹ emphyteutici. Huiuſmodi autẽ pacta nulli⁹ momenti eſſe ſolent. Exceptio eſt, niſi cõſuetudine introductum ſit alicubi

con-

contrariũ, vt emphyteuſis etiã in feudo valeat, qualis conſuetudo paſſim per Germaniam eſt recepta. Tunc enim etiam ſine conſenſu dominii &abſque metu priuationis poſſet vaſallus feudum in emphyteuſin dare. *Iul. Clarus d. quæſt.* 33. *num.* 4. *vbi & Curt.* ad hoc adlegat.

34. D. *Ergone emphyteuſin temporalem in feudo recipiendam putas?*

M. Si vaſallus ad modicum tempus conſtituerit emphyteuſin, eatenus hanc valere exiſtimo, dum ne id quod canonis loco præſtatur, ſit quiddam nimis exiguum, vt ferè ſolet, ſed tantum vt æquare poſſit ſumptus, quos vaſallus in ſeruitia domino præſtanda impendere conſueuit: Iam enim nihil intereſt domini, cui nihilominus ſua conſtabunt obſequia, ideoq; mera eſſet malitia non velle admittere talem emphyteuſin ad modicum tempus, & pro canone non modico, & reſtitutam, malitiis autem non eſt indulgendum, *l.*38.*D.de rei vindicatione.*

35. D. *Quid de libellario contractu dicis, num vaſallus illum ſuper feudo facere poteſt?*

M. Libellarium contractum ferè eundem eſſe cum emphyteutico, alias docui. Olim autem vaſallo licitum erat feudum libellario nomine alteri concedere vſque ad medietatem non ſupra, vt conſtat ex *tit.* 8. & *tit.*13.*lib.*1.*feud.* & *ex* §.*donare*,*tit.*9. *lib.*2. Sed textus illi correcti ſunt per poſteriores *Conſtit. Lotharii & Friderici: per d.tit.*52.& §.*lib.*2.*Feud.* Quibus æquè prohibetur alienari pars feudi ac totum feudum. Illam ergò ſupra traditam diſtinctionem inter emphyteuſin perpetuam & temporalem etiam ad libellarium contractum rectè adcommodabis; nẽmpè vt libellarius contractus ſuper feudo ad exiguum tempus non tamen pro exigua penſione, neque in fraudem habitus valeat: in perpetuum non item. Et ita putarim temperandũ eſſe quod ſcribit *Iul. Clarus d.q.*33.*n.*1. *de prohibita feudi conceſſione in libellum.*

36. D. *De locatione feudi quid ais, licebit ne vaſallo feudum alteri locare inconſulto domino, & ſine pœna priuationis?*

M. Rectè ſtatim poſt emphyteuſin de locatione quęris cum in Inſtitut. quoque coniunctim ſub vno titulo de vtroque agat, & conduci, quamuis improprie dicatur etiam ager vectigalis ſiue emphyteuta in *leg. 1. & vltim. D. ſi ager vectigal.* Diſtinguunt plerique doctores inter locationem ad modicum tempus, ſiue etiam indefinitè factam, & inter eam, quæ fit ad longum tempus, puta, ad decem, vel plures annos, vel etiam in perpetuum factam denegant: niſi inter partes conueniſſet, ne dominium ex eo negotio tranſiret. Ita *Iul. Clarus* qui plures adlegat, *quæſtion. 35. num. 1. Zaſius par. 9. de feud. numero duodecimo.* Fundamentum huius vulgaris ſententiæ, quam hauſiſſe videntur *Dd. ex gloſſ. in l. vltim. D. ſi ager vectigal.* in eo ponunt, quod locatio perpetua vel ad longum tempus quædam ſit alienatio, quę vaſallo absque conſenſu domini in feudo non ſit permiſſa. Ex huiusmodi, inquam, locatione volunt non modo poſſeſſionem, ſed etiam quaſi dominium, ſiue vt vocant, *vtile dominium,* in conductorem transferri. Sed hoc fundamentum quam ſit aquoſum & lubricum, atque à iure ciuili alienum, præclarè oſtendit acutiſſimus & doctiſſimus *Arius Pinellus Luſitanus ad leg. 1. par. 3. numero 63. Cod. de bon. matern. adlegans etiam Franciſc. Connanum, libro ſeptimo Commentar. cap. 12. quem & Weſembecius laudat in Paratit. D. locati, numero* 8. Primum enim generaliter atque indiſtinctè de quauis locatione nullo habito reſpectu temporis pronuntiat Vlpian. locationem non ſolere mutare dominium, *leg. 39. non ſolet. D. locati.* idque ſatis vel ex natura ac fine ipſius contractus adparet, quo non hoc agitur, vt proprietas rei locatæ in conductorem tranſeat; ſed vt vſus & fructus tantum ipſius ſit pro certa mercede ſeu penſione. Eſt autem ipſis quoque interpretibus aliàs ſæpè in ore hæc regula: *Actus agentium nihil operari debere, vltra ipſorum intentionem.* Cum igitur intentio, & animus contrahentium, locatoris, inquam, & conductoris non ſic fuerit vt vllum dominium, vel quaſi in adcipientem tranſiret: quomodo id ex ſolo temporis lapſu tranſibit? An ignorans neminem ſibi ipſi cauſ-

ſam

ſam poſſeſſionis ſuæ mutare poſſe. Verſatur quidem etiam in vſufructu vtilitas rei, nec proprietas ad vſufructuarium pertinet, cum alius ſit proprietarius, alius vſufructuarius, & nemini res ſua ſeruiat, vt ad *Inſtitution.* audiuiſti. Sed tamen longè diſtat vſusfructus à locatione, & fructuarius à rei conductore. Hic mercedem vel penſionem dat pro vſu & fructu rei; ille, non item: ille ius in rem habet, cum vſusfructus dicatur pars dominii, *lege quarta, D. de vſufructu.* ex quo etiam actiones in rem ipſi competunt, vt confeſſoria & negatoria, de quibus dictum in §. *æquè, Inſtitution. De Actionibus.* Iſte (conductor, inquam,) nullum ius in rem conſequitur, ſed tantum perſonam locatoris ſibi obligatam habet; vnde & actionem in perſonam, non in rem ipſi competere dicimus. Præterea ſi ab illa generali regula in *dicta regula trigeſima nona, Digeſt. locati*, excipienda foret locatio ad longum tempus: non ſine flagitio id prætermiſiſſent, tam Imperatores, quàm Iúriſconſulti, qui in totis ſuis tractatibus de locato & conducto in *Pandectis, Codic. & Inſtitution.* ne iota quidem de ea differentia, vel exceptione poſuerunt, cum quidem adeò memorabilis ſit ea, tantique momenti, ac præiudicii ſi modo vera: Quæ enim ſunt notabilia, ea niſi ſpecialiter notentur, quaſi neglecta videntur. vt eleganter ait *lege quinta*, §. *ait Prætor. Digeſt. de iniuriis.* Quare & legibus & rectæ rationi potius inhærentes, & diſtinctionem illam neutro fundamento innixam repudiantes, bona cum venia eorum, qui ipſam vel excogitarunt, vel ſequuntur, verius eſſe dicemus: quamlibet locationem vaſallo permiſſam eſſe etiam absque conſenſu domini, dum ne in fraudem eius, aut ſimulatè fiat, id eſt, ne interim alius lateat contractus dominii translatorii, ratio huius ſententiæ noſtræ patet primum ex fundamentis iuriſciuilis paullo antè adductis, deinde ex *lexico feudorum, in* § *donare, in verbis licet poſſet locare*, niſi locatio eſſet fraudulenta alienatio, *titulo nono, libri ſecundi, feudor.* vbi poſt alios vide *Hotom.* Sic & aliàs in iure ciuili prohibitus vendere vel alienare non videtur prohibitus, etiam locare quamuis ad centum annos, *l.* 88. §. *Sca-*

uola (aliàs eſt *l.91.Codicillis*)*§. inſtituto, vbi Accurſius in fin.D.de legat.2.* Et quid ni poſſit locare vaſallus, cum id liceat etiam creditori, *l.* 3. *De pignoribus*, itemque is, cui habitatio eſt legata: *l.13.C.de vſufructu.* Vaſallus autem vtroque longè plenius ius habet. Quid autem reſpondendum ſit ad *l.1.§. quod ait prætor.D. de ſuperficieb.* ex qua argumentum vulgo ducunt. Videre licet apud eundem *Pinellum, d. n. 66.* Giphanius quoque vulgarem illam ſententiam de locatione ad longum tempus improbat, cum alibi, tum in cōmentario feudali.

37. D. *Sequitur videre de al. Quid ſi vaſallus nō tanquam rem feudalem, ſed tanquam propriam ac ſuam locauerit, valebitne locatio?*

M. Videtur hoc caſu vaſallus teneri; vt qui non modo deceperit conductorem, ſed etiam inficiatus ſit, aut certè diſſimulauerit feudum. Ex tali autem cauſſa feudum perdi ſolere infra audies. vide *l.9. §. 1. D. locati.* ex qua argumentum ad hanc rem ſumi poteſt.

38. D. *Sequitur videre de oppigneratione feudi ſiue de nexu pignoris. Sic enim vocat l.vlt. C. de rebus alien. non alienand. Licetne igitur vaſallo feudum ſine cōſenſu domini obligare pignori?*

M. Initio hoc admoneo, pignus à Longobardis adpellari vadium; item conuadia, de quo vide *Hottom. in lex. feud.* vnde verbum *inuadiare*, idem quod pignorare: quod *Guntherus lib.8.* vocat *vadio dare & ſupponere*: quamuis per ſuppoſitionē videatur exprimere velle eā ſpeciē pignoris, quam vocamus *hypothecā per dationem pignus* propriè dictū, quod ſc. creditori traditur, & nō tantū nuda conuentione obligatur, poſſeſſione interim penes debitorē manēte. Sic ſæpè *Guadiū* leges Lōgobardorum vſurpant. Nunc ad propoſitam quęſtionem reſpondendum, vaſallo nō licere rē feudalem alteri oppignorare, *§.vlt.in fin tit.8.lib.2.feud.* Quāquam enim olim vſque ad medietatem voluerit oppignorare. *§.2.tit.5.libr.1.* tamen per cōſtit. Friderici tàm partis, quàm totius planè prohibita eſt omnis oppigneratio, vt rectè dicit *Accurſius ad d.t.53.* contra ſententiam Pilei. qua in re lapſus eſt *D. Zaſius p.9.cap.6.* cum ita adcepit gloſſam, quaſi per eam admitteretur oppignera-

tio

tio partis. Immò non admittitur, ſed expreſſe reiicitur ea ſententia Pilei. Ratio prohibitionis eſt, primum; quia nexus pignoris eſt ſpecies alienationis. nam debitore non ſoluente, creditor, cuius ad ſecuritatem pignus datum eſt, procedere ſolet ad eius diſtractionē, vt ex pretio ſibi ſatis fiat, quando aliunde non potuit. *toto tit. D. & C. de diſtract. pign.* & dictum eſt ad §. *vltim. Inſtit. Quibus modis re contrahitur, & d. §. contra autem, Inſtit. Quibus alien. licet.* Deinde, quia cum non debitor, ſed creditor ex pignore fructus percipiat, hâc ratione fieret, vt milites agrorum ſuorum fructibus carentes ſatis parati eſſe in armis & in equis, ac militiæ munus obire, cumque ſuis dominis in expeditionem proficiſci amplius nō poſſent: Ex quo valde imminueretur Reipubl. vtilitas, vt præclarè *Hottom. in diſput. De feud. cap. 37. & in commentar. ad §. vlt. tit. 8. libr. 2. iuncta gloſſa in verbo vtilitas, tit. 52.* De feudo autem dato in vicem legis commiſſoriæ iam ſupra dictum inter pacta feudalia.

39. D. *Sed quid eſt, quod emphyteuta prædium vectigale oppignerare non prohibetur, l. 16. §. vlt. D. de pign. act. l. 35. D. de pignoribus, quod item vſufructuarius vſumfructum ſuum, l. 11. §. 2. D. de vſufructu. Eius enim eſt dominus, l. 8. D. de rebus auctorit. iud. poſſid. quamuis proprietatem non poſſit, vtpotè alienam. l. 6 C. de vſufructu. l. falſus 43. in fin. D. de furtis. Quid ni igitur etiam vaſallus idem poſſit?*

M. Diſpar horum eſt ratio. De vaſallo & feudo diſertè habemus prohibitionem *d. tit. 55.* De emphyteuta autem & vſufructuario nihil tale habemus. Deinde ex oppigneratione horum non metuimus tale incommodum, quale ex oppigneratione vaſalli: itaque per illos non fit deterior conditio dominorum, cum nulla ipſis debeant militaria ſeruitia, quæ debet vaſallus.

40. D. *Nulla ne eſt ab hac regula exceptio, qua permiſſa ſit feudi oppigneratio?*

M. Excipitur primum is caſus quo feudum non extraneo, ſed ipſi domino oppigneratur, ea lege, vt fructus percipiat loco vſurarum, ſiue eius quod intereſt,

quæ eſt (vt noſti) *ἀνῖχρησις, capite primo extra de feudis:* vide *Schraderum par.8.c.* 1. *num.vigeſimo quarto.* In hac prima Exceptione multa ſunt memorabilia; verbi gratia: primum quod domino res ſua poſſit oppignerari, cum aliàs regulariter pignus rei ſuæ non conſiſtat, vt neque depoſitum, neque precarium, neque emptio, neque locatio. *l.* 45. *D. de Regulis Iuris.* Alterum hîc ſingulare illud eſt, quod antichreſis hoc caſu permiſſa eſt vtroque iure, quæ alias cum pontificio prohibita eſt, vtpote, quam volunt accedere ad crimē vſurarum, *capite primo, ſecundo, & octauo. Extra de vſuris, capite ſeptimo, ad noſtram, & ibi Cuiacius, extra de iureiurando.* Ratio permiſſionis huius non eſt alia, quam quod alius interim dominus careat ſeruitiis Vaſalli eiuſdemque debitoris ſui. Nam ſi nihilominus percipiat à Vaſallo ſeruitia conſueta, tum verò cogeretur fructus feudi, vel reſtituere ei, vel in ſortem imputare. Ad huius igitur defectus operarum militarium ſiue carentiæ compenſationem merito fructus lucrari, & ſuos facere debet, nec in ſortem eos imputare cogendus eſt, ſicut aliàs fructus, quos creditor ex pignore percepit, etiam iure ciuili minuunt ſortem, eiusque obligationem exhauriunt, ſi nihil aliud conuenerit. *l.* 22. *§. ſi prætor, D. de pigner. actionib.* Præterea in eodem *capite primo, extra de feudis,* obſeruabis verbum valdè inuſitatum *gageria.* Ait enim pontifex: *gageria,* quam de feudo dignoſceris recepiſſe, &c. Gloſſa ibidem inquit, pignus denotare, & eſſe vulgare Teutonicorum. Eo in hodiernum quoque diem Italica lingua vtitur.

41 D. *Quid ſi Vaſalli vnius plures ſint domini, poteritne vni eorum cæteris inuitis feudum ſuum inuitè oppignerare?*

M. Feudum ſi ſit diuiduum, non amittet totum feudum propter hanc oppignerationem: Sin autem ſit indiuiduum, perdet totum, niſi omnes domini conſentiant. Ita diſtinguunt *Aluarottus & Baldus ad titulum* 55. Vide & *Henricum Roſenthalium cap. nono de feud. concluſ.* 16.

42. D. *Dic aliam exceptionem?*

M. Si

M. Si vaſallus pro neceſſitatibus ex cauſa feudi ſibi incumbentibus, verbi gratia, pro ſeruitiis quæ domino debet, nec aliter præſtare poteſt, feudum oppigneret, hanc oppignerationem volunt Dd. validam eſſe, vt docet *Henricus Roſenthal. eodem loco.*

43. D. *Suntne plures exceptiones & caſus, quibus poſſit vaſallus feudum oppignerare?*

M. Tradunt & hanc, ſi dominus conſenſerit oppignerationi, tunc enim eam valere. Quod verum quidem eſt, ſed non videtur hæc eſſe exceptio propriè dicendo. Satis enim id ipſum intelligitur ex regula à contrario ſenſu: Vaſallus inuito domino feudum non poteſt alteri oppignerare. Ergo ipſo volente & conſentiente poteſt. Sic etiam excipiunt oppignerationem fructuum, *Iohan. Faber ad §. item Seruiana. Inſtitution. de actionibus.* At ne hæc quidem vera eſt exceptio: licèt alias verum ſit, fructus feudi poſſe à vaſallo in obligationem pigneratitiam deduci, etiam non requiſito domini conſenſu, Regula enim fuit, non de fructibus feudi, ſed de ipſo feudo. Itaque vides exceptionem hanc non eſſe de natura regulæ, vt tamen omnis vera exceptio eſſe debet.

44. D. *Quid ergo ſi dominus conſenſerit oppignerationi feudi à vaſallo facta, cogeturne poſtea feudo ad ſe reuerſo debitum illud ſoluere, pro quo feudum ſe conſentiente pignori erat nexum: item quid ſi ratione ſortis conſenſerit, an etiam conſenſiſſe videbitur ratione eius quod intereſt?*

M. De his duabus quæſtionibus latè in vtramque partem diſputat *Hartmannus Piſtor. libr. ſecundo, par. 2.* de priore quidem in *quæſtione* 48. de poſteriore verò in *quæſtione* 49. quò recurrere poteris, ſi quando vſus inciderit.

45. D. *Audiui de pignore voluntario, quod per contractum, qui re fit, conſtituitur: quid autem de pignore neceſſario iuris eſſe dicis?*

M. Quo melius intelligatur quod reſpõſurus ſum ad hãc quæſtionẽ, meminiſſe debes, pign⁹ vulgò à Dd. cõſtitui trimẽbre: Cõuẽtionale, Prętoriũ, & iudiciale, quã

diuiſionem repræhendit *Giphanius in commentario de Diuiſionibus iuris,num.98.* cumque ſecutus *Iacobus Schec-kius:* tùm quòd Iudiciale ſit pars prętorii pignoris,nec debeat proinde nouam ac diſtinctam conſtituere ſpeciem; tum quòd omittatur teſtamentarium à teſtatore conſtitutum. Ipſe igitur commodius ſic partitur, vt primò pignus aliud ſit volutarium, aliud neceſſarium. Deinde voluntarium vel ſit conuentionale ſeu conuentum, vel teſtamentarium. Neceſſarium verò ſit vel legitimum, vel prætorium. His ita præſuppoſitis, quia de pignore conuentionali ſupra dictum, non poſſe id conſtitui in feudo, quia itèm de teſtamentario facilè intelligere potes,id quoque non valere, cum nulla diſpoſitio teſtatoris de feudo vllas vires habeat,vt ſupra dictum;iam de neceſſario reſpōdeo,pignus prętorium in ſubſidium,quando videlicet nihil aliud ſupereſt, vnde actori ſatisfiat, poſſe etiã in feudis conſtitui, ita vt creditor inde percipiat fructus, quam diu feudum domino apertum non fuerit. Vide *Henric. Roſenthal.c.9.concluſ.* 17. vbi plura ad hanc rem adlegat,vt & *Schraderus par.8.cap.1.n.28.& Andr. Tiraquellus lib.1.de retractu,gl.7.§.1.n.49.vide etiam Weſembecium in Paratit. D. tit. De reb. auctorit. iud. poſſid. numero vltim.*

46. D. *Quoniam de pignore ſatis dixiſſe videris, Transeamus,ſi placet, ad Hypothecam. Poteſtne igitur vaſallus inuito domino hypothecam creditori ſuo in feudo conſtituere?*

M. Aiunt hi,negant alii. Operæpretium eſt, vtriuſque partis rationes breuiter cognoſcere,priusquam quid nobis videatur, exponamus. Igitur qui aiunt hypothecam valere nec prohibitam eſſe, his fere nituntur argumentis. I. Quia conſtitutio Friderici in *d. tit.* 55. tantum prohibeat oppignerationem; hypothecæ verò dationem non item. hæc autem duo differunt, hypotheca inquam & pignus, quorum differẽtias meminiſti ex *Commentar. Inſtit. ad tit. Quib. mod. re contrahitur, & ad tit. de actionibus.* Cùm autem conſtitutio illa ſit pœnalis, & proinde odioſa (nam vaſallus ex hac cauſſa,ſi feudum inuito domino oppigneraue-rit,be-

tit, beneficio ſuo priuatur, vt infra dicemus) non debemus eam adiuuare, & producere interpretatione, ſed potius reſtringere, *argum. l. 19. D. de liberis & poſthumis, cap. odia. de Regulis iuris in 6.* II. Quia per hypothecam non transfertur poſſeſſio feudi ad creditorem: ſicut fit in pignore, ſed penes vaſallum remanet, nuda conuentione abſque traditione creditori obligatum. Iam verò (inquiunt) ea tantùm alienatione vaſallo interdictum eſt, quę poſſeſſionem rei feudalis in alterũ transfert, quod ſumunt ex §. *callidis, d. titul. 55. in verbis, feudum vendunt, & in alios transferunt.* III. Quia vaſallus, quamuis hypothecam in feudo conſtituerit, tamen cum poſſeſſionem eius retineat, fructus quoque ac reditus inde percipit. Dixi autem ſupra, hanc eſſe præcipuam rationẽ, quare feudi oppigneratio ſit prohibita; quia vaſallus cariturus eſſet fructibus feudi oppignerati, & proinde impar futurus obeundis ſeruitiis militarib. quæ domino debet. hac igitur ratione prohibitionis iam ceſſante, meritò ipſa quoque ceſſare debere videtur prohibitio. Et ita ſentiunt *Bald. Aluarottus, Iſernia, & alii vet. ad d. §. callidus. Zaſius. p. 9. n. 8. Wurmſerus t. 51. obſeru. 18. Hart. tit. 54. obſeru. 20. num. 3. Iul. Clarus in § feudum, quæſt. 35. Borthold. cap. 8. num. 60. cum ſeqq. Iohan. Fichardus in conſil. 5. volum. 1. num. 5.* In eandem ſententiam video etiam inclinare *D. Giphanium.* Contrariæ ſentẽtię patroni, quod ſcilicet ne hypotheca quidẽ in feudo conſtitui poſſit à vaſallo, has potiſſimũ rationes adferunt: Primum, quia pignus & hypotheca, quamuis differunt modo conſtituendi, tamen ad eundem ambo finem tendunt, qui eſt ſecuritas & cautio creditoris, qui pignori incumbit, tàm conuento, quàm dato, & debitore non ſoluente ad diſtractionem rei procedit. Idem etiam præiudicium domino generaretur per hypothecæ conſtitutionẽ, quod per pignoris dationem, proindeq; cum eadẽ ſubſit ratio, idem quoq; ius ſtatui debet. Valeat enim æquitas, quæ in paribus cauſis paria iura deſiderat, vt ait in *Topic. Cicero.* II. Quia qui actionem ad rem habet, ipſam rem habere videtur, *l. 143. de verb. ſig.* Atqui creditor actionem in rem, videlicet hypothecariã, habet

ad perſequendam hypothecam, non minus quàm pignus. nam quoad hanc actionem, nihil intereſt inter pignus & hypothecam præter ſonum nominis, vt dictu eſt ad §. *itē Seruiana.verſ.inter.Inſt.de actionibus,l.5.§. 1.D.de pignorib.* III. Quia cōſtitutiones Impp.quę feudi alienationem prohibuerunt,non tantum voluerunt illam alienationē excludere, quæ ſtatim ab initio mediante traditione fit, ſed eam quoq; quæ ex interuallo ſequitur. Et proinde interdicta alienatione, etiam omnes actus, omneſquè contractus, per quos ad eam perueniri poteſt, interdicere proculdubio voluerunt. IV. pro hac ſententia adlegant, *leg. vltim. Cod. de reb. alien. non alienand. capite ſecundo, extra de rebus Eccleſ. alien. vel non. Negvſantius in tractatu de pignor. part. 2. membr.3.numero* 71. His V. adcedit, quod non minus in hypothecæ conſtitutione, quam pignoris datione inuito domino facta vaſallus videtur contempſiſſe dominum, cuius conſenſum adhibere neglexit. Atque hæc iam olim fuit opinio *Iacob. Ardizonis in ſumma feud.cap.*116.*Et Martini Laudenſis ad d.tit.*55. *numero vndecimo. Quam & Franciſcus Sonsbeccius defendit, p.*12.*numero* 100.*& Hotoman.conſil.* 30. eamque vſu ſeruari teſtatur *Weſembec.de feud.capite vndecimo, numero quinto.* Fateor tamen mitiorem eſſe priorem ſententiam, nempè non ita ob hypothecationem feudi vaſallum incidere in pœnam priuationis, ſicut ex oppignoratione, & in pœnis benigniorem ſententiam nos amplecti debere. Sed aliud eſt quærere, an hypotheca feudi valeat inuito domino conſtituta,aliud an ob hypothecam poſſit vaſallus feudo priuari.

47. D. *Sed cum hypotheca alia ſit expreſſa, alia tacita, quàm lex conſtituit, an ſaltem tacitè bona feudalia vaſalli eiusdem creditori obligata eſſe poterunt?*

M. Rectè admones. non ſolum eſſe hypothecam expreſſam,ſed etiam tacitam,cuius variæ ſpecies in iure ciuili extant, quæ diligenter ſunt collectæ ab *Hotomann.in comment.titul. D. In quibus cauſis hypothec.tac. contrah.* Ita enim eam rubricam putat reſtituendam tam in D. quam in C. deletis verbis: *Pignus vel*; quia ſcilicet pignus omne ſit expreſſum, nullum verò eſſe

poſſit

poſſit tacitum. Celeberrimum exemplum tacitæ hypothecæ ex Conſtitut. Principum eſt illa, quam habet mulier in bonis mariti pro dote & donatione propter nuptias, *l. vnic. §. 1. Cod. de rei vxor. act. l. 29. vbi, Cod. de iure dotium.* Scire autem debes feudalia bona huic oneri non eſſe obnoxia, vt docet *Mynſing. cent. 6. obſeru. 45.* Quamuis aliud ſit iure Saxonico receptum, quo mulier tam diu habet ius retētionis in bonis feudalibus defuncti mariti, quo vſque de bonis dotalibus, & donatione propter nuptias, & Morgengeba & paraphernalibus ipſi fuerit ſatisfactum, & dotalitium conſtitutum: qua de re videatur *Schneidevvin. par. 7. de feud. & Conſtitut. Elect. Auguſti. part. 2. conſt. 25.* De cuius intellectu vid. *Danielem Mollerum, libr. 2. Semeſtr. cap. 13.* Adde etiam *Ludouic. Fachſium conſ. 6. & Matth. Coler. Tract. De proceſſ. execut. part. 1. cap. 2. num. 193. & ſeqq.* Et nota, quod Fachſius hanc conſuetudinem teſtatur non ſolum per Saxoniam, ſed ferè per totum Imperium receptam eſſe.

48. D. *Quantum recordor 3. reſtant ex ſpecieb. alienationis ſupra abs te commemoratis; videlicet, permiſſio vſucapionis ſeu præſcriptionis, precarii conceſſio, & conſtitutum poſſeſſorium, de quib. expecto vt dicas. Primum igitur quare permiſſio vſucapionis adnumeratur ſpeciebus alienationis?*

M. Quia vaſallus qui patitur vt is feudalis ab alio vſucapiatur, vix eſt vt non videatur alienare. Itaque rectè ſcripſit Paullus verbo alienationis etiam vſucapionem cõtineri. *l. 28. D. de verb. ſignif.* Meritò igitur prohibitionem imperialem Lotharii & Friderici huc etiam adcommodamus.

49. D. *Precarii conceſſio qualis eſt, & quare vaſallo interdicta?*

M. Precarium quatenus cum cõmodato conueniat, & quatenus ab eodẽ differat dictum eſt ad *Inſtit. t. Quibus modis re contrahitur.* In vtroquè verſatur vſus & commoditas rei, quæ ad alterum transfertur, ſed ille vſus in precario quidem totus pendet ex arbitrio & nutu concedentis, qui eum quandocunquè vult reuocare poteſt, etiamſi fortè incommodo hoc fuerit ei, qui precario rogauit: cum æquum non ſit

diutius quemquam noſtra liberalitate frui, quàm nos velimus. Aliud eſt in commodato, quod niſi impleto vſu, ad quem datum eſt intempeſtiuè repeti non poteſt, cum adiuuari nos, non decipi beneficio oporteat. Porrò cum duobus ferè modis precarium rogetur & concedatur, vt vel poſſeſſio tranſeat in adcipientem vel non tranſeat, *lege quarta*, §. 1. *l.6.§. 16. qui rogauit, l.12.§.1. in fin. l.17. cum l.ſeq. D. de precario, l. interdum 21. in princ. & §. vlt. D. de adquir. poſſ.* Vtroque caſu dicimus precarii conceſſionē in feudo prohibitam eſſe vaſallo. De priore quidem nō eſt dubium, cum videlicet poſſeſſio precarii transfertur in rogantem. Eadē quippe hic eſt ratio, quæ in pignoris datione; nam & creditor in omnibus cæteris cauſis & articulis iuris poſſidet pignus, excepta ſola cauſſa vſucapionis, cuius reſpectu debitor fictione quadam iuris poſſidere intelligitur, nimirum ad implendam vſucapionem, quam rectè cepit. De poſteriore caſu hæc eſt ratio; quia in precario etiamſi non tranſeat poſſeſſio, tamen vtilitas rei ad alterum redit, *l.1. in pr. D. de precario. l. Pomponius, §. ſi is qui precarium, D. de adquir. poſſeſſione.* Si igitur permittamus vaſallo precarii poſſeſſionem, læderetur & minueretur vtilitas domini, cui non amplius poſſet ſeruitia exhibere, vtpote, fructibus feudi deſtitutus, ex quibus ſumptus neceſſarii debebant ei ſuppetere, ſine quibus ſeruitia commode expediri nequeunt.

50. D. *Quale nam eſt, quod vocant conſtitutum poſſeſſorium, & quare vaſallo id interdictum eſſe ais?*

M. Conſtitutum non tàm veteres Iuriſconſulti, quam interpretes ſeu gloſſatores duplex fecerunt, vnum promiſſorium ſeu obligatorium, alterum poſſeſſorium. De illo quod eſt, pactum quoddam prætorium extat *titulo in II. & C. de cōſtituta pecunia, & dixi ad §. de conſtituta autem pecunia, Inſtitutionibus, de Actionibus.* De poſſeſſorio putant agi in *l. decima octaua quod meo, D. de acquirenda poſſeſſione.* & vocant conſtitutum poſſeſſorium fictam quandam & ciuilem translationem poſſeſſionis, quādo quis id quod antea ſuo nomine & ſibi poſſidebat conſtituit deinceps alteri & alieno nomine poſſidere, verbi gratia, domum vel fundum

dum quem poſſidebam tibi donare volo. Conſtituo igitur eum, non amplius meo, ſed tuo nomine, non mihi, inquam, ſed tibi poſſideri, idque tibi ſignifico per epiſtolam, vel per nuncium. Iam ſecundum Dd. poſſeſſionem hoc ipſo in te tranſtulit, & ego deinceps in poſſeſſione ſum tuo nomine, & tu per me poſſides, non ego mihi, quam ad rem adlegant, *l.* 28. *Quisquis*, *Cod. de donationibus, & l.* 77. *quædam mulier*, *D. de rei vindicatione.* De quo genere prolixè commentatus eſt, *Andr. Tiraquellus in libr. ſingulari de iure conſtituti poſſeſſorii, tom.* 4. Eiusdem quoque mentionem facit *Iacob. Menochius in remediis poſſeſſoriis.* Sed *Giphanius in comment. de diuiſione iuris, num.* 99. *& ad l.* 18. *D. de adquir. poſſ. vt & ad l.* 10. *abſente, D. de Donationibus*, id refellit tanquam merum figmentum & commentum gloſſatorum ex malè intellecto initio, *d. l.* 18. natum. Difficile tamen eſt exterminare aut mutare, quod in vſum fori receptum, ac vitæ communis conſuetudine iam corroboratum eſt; quamuis primo forte ex aliquo errore natum eſſe videatur, idq; vtilitatis & tranquillitatis publicæ cauſſa *arg. l. Barbarius, D. de offic. proconſ.* Poſito igitur tali conſtituto poſſeſſorio, verius videtur non licere vaſallo poſſeſſionem feudi, ne per conſtitutum quidē in alium transferre abſque conſenſu domini. Eſſet enim hæc alienatio quædam feudi, quæ vaſallo eſt interdicta.

51. D. *Solet etiam quæri de compenſatione an liceat vaſallo feudum compenſare, de quo audire cupio quid ſentias?*

M. Compenſatio eſt debiti & crediti inter ſe contributio, vt definit *Modeſtinus in l.* 1. *D. de compenſationib.* ſiue, vt Cuiacius, *eſt per æris ſui computationē ab ære alieno liberatio:* ſiue, *eſt abſumptio, aut deletio eius quantitatis, quæ petitur*, ſiue deniq; *eſt computatio vice mutua debitæ quantitatis.* Et quidem compenſationem ipſo iure fieri, dummodo liquidum ſit debitum, in actionibus tàm in rem quàm in perſonam, audiuiſti ad §. *in bonæ fidei, & §. penult. Inſtit. de Actionibus.* vide *& Cuiac. libr.* 15. *obſeru. cap.* 12. Volunt autem plerique omnes feudiſtæ ad §. *Donare tit.* 8. *libr.* 2. vaſallum non poſſe feudum in

compenſationẽ dare. *Aluarot. ad d. t. 55. Iacob. Ardizo in ſumma feudali cap.* 135. vbi prohibeatur cõpenſare. *Henric. Roſenthal. cap. 9. concluſ. 7. in fin. Schraderus p. 8. c. 1. n. 30. Mozzius cap. vlt. n.* 131. Eſtque eadem ratio, ob quam vaſallo prohibetur in ſolutum quoq; datio, & permutatio, quæ omnia vicem obtinent emptionis & venditionis. Non deſunt tamen qui putent, fruſtra queri de cõpenſatione feudi; quia quantitas propriè cũ quantitate cõpenſetur, nõ etiã ſpecies cũ ſpecie, ſiue ſpecies cũ quantitate vel contra. Feudum autẽ non conſiſtit in quantitate ſeu pecunia, ſed in fundo, quæ eſt ſpecies, vt ſupra dictũ, cum de materia feudi ageremus. *Duarenus tamen ad l. 7. fructus, §. 5. D. ſoluto matrimonio,* multis argumẽtis id contendit etiã ſpeciei cum ſpecie compenſationem fieri poſſe, cui cõtradicit tum cõmunis ſchola interpretum, quorum ſententiam refert *Zaſius ad d. tit. in bonæ fidei,* tum etiam à præceptore ſuo & Collega Duareno diſſentit *Donellus ad eundem § n. vlt.* Verũ eius rei prolixior explicatio non eſt huius loci.

Capvt IIII.

De Seniore ſeu Domino feudi, primùm ad quid is viciſſim Vaſallo teneatur: Deinde quid in re feudali poſſit, vel non poſſit.

1. D. *Audiui de vaſallo, tum quid is feudo conſtituto & adquiſito, debeat domino: tum quid in ipſa re feudali eidem liceat, vel non liceat: & quidem inter ea, quæ ipſi denegantur, præcipua hæc duo eſſe, facultatem deteriorandi, & licentiam alienandi feudi: cuius alienationis ſpecies complures iam aliquot Scholis ſatis copioſè executus es: Nunc tempeſtiuum eſſe videtur, vt exponas de ſeniore, & primum qui deinde eius iure perſonali, deinde de reali, hoc eſt, primum ad quid viciſſim ſenior vaſallo obligatur: tum quid ipſe in re feudali poſſit, vel non poſſit?*

M. Probè meminiſti Oeconomiæ & ordinis ſuperioris. Poterat autẽ hîc iam proximo loco quæri de reuocatione feudi à vaſallo abſq; conſenſu adgnatorum alienati: eaque vel vigore iuris προτιμήσεως, vel vi iuris ſucce-

ſuccedēdi competente. Sed cum hæc res ſit futura prolixior, & diligenter pertractata à *Schradero p.8. de feud. cap.7. & Iohan. Schonero lib.1. Diſput. 9. n. 102. cum ſeqq. vſque ad finem*, ad eos iam remiſiſſe ſufficiat. Atque vt priore loco de iure perſonali agamus, id eſt, de obligatione ea qua dominus vaſallo tenetur, meminiſſe debes, non hic nos agere de ea obligatione, quæ adquiſitionē feudi præcedit; puta, qua dominus tenetur ad traditionē feudi per inueſtituram cōſtituti, ſiue qua cogitur vaſallū abuſiuè iam inueſtitū præſtito fidelitatis iuramēto in vacuā poſſeſſionem mittere. *§. vlt t.7. lib.2. feud. & t.26. § ſi facta.* De hac.n. iam ſupra diximus: & præterea videri poteſt *Myn ſ. cent.4. obſeru.61. Hartm. Piſtor. q.29. n.1. & 2. & Hartm. Hart. obſeru.6. & 7. de feudis.* Non etiā agere nos hic de obligatione auctoritatis præſtāda ſiue de euictione ad quā dominus tenetur vaſallo, ſi fortè feudum in re aliena conſtitutum, & ipſi euictū fuerit: pro quo aliud eiuſdē bonitatis & quantitatis vaſallo reſtituere debet, dummodo ſibi fuerit denuntiatū ab eo, vt liti ſubſiſteret. *t. 8. libr.2. Feud.* quod feudiſtæ vocant, *guarentare*; vel vt vulgò legitur, *guarētizare, t.34. li.2. Feud.* Nam hac quoq; de re ſupra diximus. Sed nec de ea obligatione hic dicēdi locus eſt, qua tenetur dominus, eiuſq; hæres renouationē facere inueſtituræ mutatâ perſonâ vaſalli. De hac.n. ſupra egimus in renouatione inueſtituræ, quam diximus non poſſe denegari vaſalli heredibūs ſi intra annū & diem fuerit petita. Quid igitur? Nimirum de ea hic obligatione ſenioris propriè tractamus, quæ feudum iā conſtitutum, & adquiſitum ſequitur: de qua primùm hic generalis regula à feudiſtis traditur: Dominus in illis omnib. (quæ ſcilicet vaſallus iurato ipſi promittit, Incolume, tutum, honeſtū, vtile, facile, poſſibile, queq; velut partes ſunt fidelitatis expoſitæ *t.6. li.2.*) vicem fideli ſuo reddere debet quod ſi non fecerit, meritò cenſebitur malè fidus. In ſumma, inter dominū & vaſallū fides debet eſſe reciproca. *Zaſius p.7. de feud. n.56. Cuiac. ad tit.6. libr.2.* Dominus, inquā, vaſallo eſt cōiux, quaſi cōmuni fidei vinculo cōiunctus, vt Cuiac. rectè explicat textum feudalem in *t. vlt. li.2.* hoc tantum intereſt,

quod vaſallus fidelitatem iurare cogitur, adeò vt iuſiurandum recuſans non admittatur a domino ad inueſtituram obtinendam, §. *Nulla autem, tit.3. lib.2. Feud, & tit.7. in fin. in verbo, fidelitate ſubſecutâ*: Dominus autem iurare non tenetur, ſed iuratus fidem mutuam præſtare debet. *Zaſius & Cuiacius dd. locis*. Quod tamen *Hotoman. in Diſputation. Feudor. cap.* 32. iuri feudali non rectè deeſſe arguit: non æque ſcilicet certam iuriſiurandi, & fidei adſtringendæ formulam ſeniori ſicut vaſallo præſcriptam eſſe, cum tamen omnes ferè gẽtes ſuos reges inter inaugurandũ (bey der Krönung vnd huldigung.) ſoleant ad fidem ac tutelam regni iurandam adigere, quod etiam ex textu iuris Saxonici probat *libr. 3. articulo* 54. & ex hiſtoriâ Gallicâ. Vide etiam *Georg. Buchanan. libr. ſingul. De iure regis & regni apud Scotos*. Licet Imp. Fridericus I. Romanis iuſiurandum ab ipſo petentibus recuſarit, quòd ſibi velut ſuperiori turpe eſſe iudicaret iurare inferiori, & quod nudo etiam ac ſimplici verbo regis vis & reuerentia maior quolibet iuramento ineſſe debeat. Quam eius recuſationem iuriſiurandi eleganter deſcribit Guntherus libr.3. ex quo operæpretium eſt hos ſententioſos verſus adſcribere:

» *Iuramenta petis? Regem iurare minori,*
» *Turpe reor. Nudo vis & reuerentia verbo*
» *Regis ineſſe ſolet, quouis iuramine maior,*
» *Non decet in labiis verſari lubrica regis:*
» *Non decet ore ſacro mendacia cudere regem.*
» *Sancta & plena ſuo ſunt regia pondere verba,*
» *Dicta ſemel nullum patiuntur iure recurſum,*
» *Ergò quod inſtigas iurando iure paciſci,*
» *Pone metum cura: vel non iuratus habebo.*

Sed vt redeam ad differẽtiam noſtrã, eius ratio probabilis hęc reddi poſſe videtur; quia maiorẽ fiduciã ius habet de ſeniore, quod in fide mãſurus ſit, quàm de vaſallo. Deinde, quia ſi vaſallus vellet dominũ quoq; adigere ad iuſiurandum, videretur in dubium vocare velle ipſius fidem, & metuere ab eo perfidiam, quod eſſet contrarium reuerentiæ ipſi debitæ, vt ſupra dictum. Illud tamen nemo negauerit, quin poſſit dominus,

ſuo

ſuo huic iuri renunciare, & vaſallus ſuo vltrò iurare fidem mutuam, *arg. vulgatiſſima l. pen. C. de pact.* Quemadmodum igitur vaſallus aduerſus dominum poteſt feloniam committere, ſeu facere, ob eamque feudo priuari: ita vice verſa dominus quoque poteſt delinquere in vaſallum, & ob id proprietate feudi ſiue directo, vt vocant, dominio priuari, §. *Domino committente feloniam, tit. 26. libr. 2. feud. & tit. 47. qualiter Dominus proprietate feudi priuetur. vide & gloſſ. in §. contrà omnes, in verbo fratrem tit. 28.* quod probè eſt notandum aduerſus eos dominos, qui velut parui quidem tyranni putant ſibi quiduis impunè licere aduerſus vaſallos, quibus velut mancipiis ad libidinem ſuam abutuntur. Rectè enim Baldus hanc determinationem ait eſſe ſanctam & terribilem. Debentque ſeniores illud ſcitum ſemper in memoriâ habere, quod eſt apud Liuium: *Fidem habitam fortius adſtringere fidem*: & quod noſtri homines velut prouerbio dictitant, *fidelem dominum facere fidelem ſeruum.* (Trewer Herr/Trewer Knecht.) *Mynſinger. cent* 4. *obſeru.* 91. debent item cogitare illud: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris,* debent ante oculos habere æquiſſimum illud Edictum, quod etiam feudiſta huc adcommodat, in §. *in quibus, tit. 33. libr. ſecundi. Quod quiſque iuris in alium ſtatuit, ipſe eodem vtatur.* Ex hac mutua fide illud fluit, quod nec dominus vaſallum adcuſare, aut teſtimonium in ipſum dicere poteſt, §. *ſimiliter d. tit. 33.* vbi vide gloſſ. in verbo, *adcuſare.* Nec ſacramentum calumniæ à vaſallo exigere poteſt, *d. §. in quib. verſic. quod etiam*: qua tamen de re, etiam ſúpra nonnihil adtigimus. Non tamen ſicut fidem ac defenſionem mutuam vaſallo debet Dominus ita & obſequium ac reuerentiam; multoque minus operas & ſeruitia. Nam nec patronus liberto ſuo ea debet, ſed libertus patrono, *toto tit. D. & Cod. de obſequiis pat. præſt.* vtpotè quæ potius ſuperiori ab inferiore quam huic ab illo debeantur.

2. D. *Audiui de obligatione domini, ſiue de iure perſonali. Reſtat vt dicas de eiuſdem iure reali, ſiue quid iuris habeat dominus in ipſo feudo, vel non habeat?*

M. Habet dominus in feudo proprietatem nudam:

quæ interdum cum illo iure, quod vaſallo competit, conſolidatur, atque coniungitur in perſona domini, feudo nimirum aperto & à vaſallo commiſſo; aliquando vero ea proprietas amittitur a domino, & incipit pertinere ad vaſallum, vt latius explicabitur infra cum de amiſſione feudi agetur, vide interim *tit. 47. li. 2. feud.* Atque huius proprietatis ratione actiones quoq; qui petunt domino feudi, de quibus item infra in loco de actionibus feudi nomine competentibus

3. D. *Poteſtne dominus feudum alienare inuito vaſallo?*

M. Non poteſt: ſicut neque vaſallus inuito domino, de quo ſupra dictum. nam dominus & vaſallus ad paria iudicantur, *§. ſi quis fecerit, tit. 22. lib. 1.* vbi communiter *Dd. §. ex eadem lege, in verbis, Dominus ſine voluntate vaſalli feudum alienare non poteſt, tit. 34. libr. 2.* Cuius rei mentio quoque fit *tit. 9. in fin. eod lib. 2. vide & §. prætereà ducatus, in verb. nec dominus feudum ſine voluntate vaſalli ad alium transferat, tit. 55. vide & Hartm. Hart. tit. 54. obſeru. 40. & gloſſ. notabilem ad l. inuitus. D. de fideicommiſſis libert quam & Iul. Clar. laudat quæſt. 28. num 1.* Et hac in re conuenit dominus feudi, cum marito dotis domino: differt autem à proprietario rei vſufructuariæ. Maritus licèt dominus ſit rei dotalis, tamen facultatem alienandi non habet ademptam ſibi per *l. Iul. toto tit. de fundo dotali*, quod audiuiſti ad *princip. tit. Inſt. Quibus alien. licet vel nō*, ſed maritus totius rei dotalis plenum habet dominium: ſenior autem feudi proprietatem tantum habet, vtili dominio penes vaſallum conſtituto. Proprietarius autem rei vſufructuariæ ſuā proprietatem rectè vendit, etiam inconſulto vſufructuario, *l. 17. §. vlt. D. de vſufruct. leg. l. 44. §. non mouet. D. de vſucapionibus.* Ratio differentiæ eſt, quia feudi ius eſt perpetuarium, & ad hæredes tranſitorium: vſusfructus non item, qui morte vſufructuarii extinctus certo recurret ad proprietarium, & cum proprietate conſolidabitur: cum feudum per multa ſecula multaſque generationes durare poſſit, quod & experientia docet. Incommodumque hoc futurum eſſet Vaſallo, alium ipſi obtrudi dominum: vſufructuarii verò non tantope-

re

re intereſt, quem habeat proprietarium, cum ipſius ius non tam diu duret. Quare maneat hæc regula: Dominum ſuam proprietatem inuito vaſallo alienare non poſſe, verbi gratia, vendere, permutare, quod vocant, *cambium facere, delegare, donare, &c.* Et alienationē ipſo iure nullam eſſe, ſiue pro non facta haberi, *d.tit.22.lib.1. feud.in §.ſi quis fecerit, cum cæteris locis ſupra adductis.* Solet etiam ita formari hæc regula: Dominum non poſſe vaſallos ſuos inuitos & contradicentes alienare in alium, neque poſſe eos cogere, vt in eiuſmodi alienationem conſentiant. ſed eodem res recidit. Ratio regulæ eſt, quia intereſt ſubditorum non mutare dominum. *Zaſius part.7.n.59.* Quô pertinet fabula de vulpe prohibente muſcas veteres & iam plenas cruore ſibi abigi, ne nouæ aduolarent ac famelicæ. Sic & anus quædā pro Dionyſio tyranno vota concipiebat, vt diu ſuperſtes eſſet, metuebat videlicet, ne illi è medio ſublato, deterior ac durior alius ſuccederet. Huic autem vicina eſt altera illa quæſtio, An valeat inueſtitura de feudo nondum aperto alteri facta à domino viuente adhuc priore vaſallo; de qua ſupra diximus. Eam tamen hîc quoque adtingunt, cum alii, tum *dominus Zaſ. d.p.7.n.59. vide tit.3. quæſt.27.§.vlt.lib.1.feud. & §.Moribus.tit.26.li.2.* Ampliatur autem hæc regula. I. vt dominus non modo totum feudum, ſed etiā quamlibet eius partem alienare prohibeatur: idq; ideò, ne vaſalli⁹ eiuſdē feudi nomine plures dominos recognoſcere cogatur, & nec feudum atq; obligatio vaſallitia per plures ſpargatur, *d.§.prætereà ducatus, t.55. Hart.d.obſ.40.n 3.* Secundò, Ampliatur, vt nō tantū ꝓhibeatur domin⁹ in minorē aliquem alienare, ſed ne quidem poſſit in æqualem, vel maiorem, ſicut ex ſententia Petri & Cyni refert *Hart.d. loc. nu.7.* quamuis apud Mediolanenſes conſuetudo obtinuerit, vt poſſet alienatio fieri in aliquem vel æqualem vel maiorem dominum. Nam ſi in æqualem, nihil intereſſe putabant: ſi in maiorem, etiam melior fieri videbatur eius conditio, cum non ſolum honeſtius ſit ſubeſſe ac ſeruire maiori & potentiori domino, verum etiam tutius ad defenſionem mutuam; in minorem vero & inferiorē dominum ſi transferetur, læderetur ius & exiſtimatio vaſalli, cui ſubturpiculū eſſet inferiori & mi⁹

nobili iurare fidelitatem, & ſubiici atque ſeruire, *vide & gloſſ. ad d.§. prætereà ducatus, in verbis: ad alium transferat.* Excipitur tamen ab hac regula is caſus, quod dominus vendit, & alienat feudum ac vaſallos cum tota curta ſeu curia, id eſt, cum toto ſuo territorio, & vniuerſitate. Valebit enim iſta alienatio, quantumuis vaſalli in eam non conſenſerint. *Zaſius d.p.7.num. 60. Iulius Clarus quæſt. 8. num. 2.* vbi ad hanc rem etiam adlegat *Carol. Molinæum in comment. conſuetudinum Pariſienſium*, laudatum quoque à *Fornerio in tract. de feud.* Ratio huius exceptionis eſt, quia multa tranſeunt cum vniuerſitate, quæ ſeparatim & ſola non tranſirent, *l.62. D. de adquir. rer. dom. l.22. cum 2. ſeqq. D. de contrah. empt. l.1.§.1. D. de fundo dotali, c. 7. ex literis, extrà de iure patronatus, cap.18. extra, de ſententiis & re iudicata*, verbi gratia, Fundus dotalis per ſe & ſolus non poteſt alienari, ſed cum vniuerſitate bonorum tantum transfertur ad hæredes mariti, *d.l.62. & d.l.1.§.1.* Sic locus ſacer & religioſus pro ſe & ſeparatim vendi non poteſt, ſed ſi modica ſit adceſſio maiori fundi poteſt vendi, *d. l. 22. & 2. ſeqq.* Sic ius patronatus tranſit cum vniuerſitate, quod ſolum ac pro ſe non tranſiret, neque obligari, *d.cap.7. & 18.* oportet tamen in venditione curtis ſeu curiæ expreſſè nominari ipſum quoque beneficium ſiue feudũ. Alioquin enim in generali alienatione feudum, & vaſalli non continebuntur, *§. in generali, tit.26. lib.2. & init. tit. 51. de capitaneo, qui curtam vendidit*, an intelligatur beneficium vendidiſſe, vbi & gloſſ. elegantem videre licet. Sicut & alias ea quæ nobis chariora ſunt, & pretioſiora in generali ſermone non continentur, *l.6. 7. & 8. D. de pignoribus*, talia enim non facilè quis præſumitur etiam ſpecialiter obligaturus fuiſſe, vt rectè *Zaſius p.7. num.60. in fin.* Sic etiam iuriſdictio non ſequitur alienationem curtis ſeu territorri, ſiue ea fuerit ſola, ſiue cum feudis vendita; niſi nominatim etiam de iuriſdictione actum fuerit, nihil enim commune habet iuriſdictio cum feudis, vel contra, vt rectè *Cuiac. ad tit. 19. lib.4. ad d.§. in generali, tit.26. lib.2.* vbi ſimul notetur mutatio lectionis, quam ſane probabilem fecit idem Cuiacius hoc modo: *In generali alienatione vaſalli non continentur*

tientur niſi nominatim dictum, pro quo vulgo ibi legitur *in generali alienatione vaſalli non continetur feudum*. Quã lectionem Hotomannus quoq; perſpicuè mendoſam agnoſcit, ſicut eſt, cum non agatur hîc de alienatione feudi a vaſallo facta, ſed à domino. Delet ergò ipſe verbum, *vaſalli*, cætera retinet: hoc modo*: in generali alienatione non continetur feudum.* Res ipſa ferè eodem recidit, ſiue de alienatione feudi dicas, ſiue de vaſallorum translatione, vt & ſupra monui in regula. Hîc circa illud, quod de feudo & vaſallis diximus non contineri in generali alienatione, ſed oportere nominatim exprimi, ſicut etiam in iuriſdictione faciendum obſeruanda eſt notabilis differentia inter feudum, & ius patronatus. Ius patronatus aliter hic adcipimus, quàm ſolet iure ciuili; videlicet, pro iure præſentandi nominandiq; aliquem Eccleſiæ Rectorem defuncto priore, ſiue nominandi Epiſcopo miniſtrũ Eccleſiæ vacante miniſterio, qui ipſo auctore in poſſeſſionem inducatur Eccleſiæ, teſte *Cuiac. ad cap.* 18. *Extra de ſententiis, & re iudic.* hoc igitur ius patronatus tacitè tranſit vnà cum ipſa vniuerſitate rerum temporalium, in quibus conſiſtit, & quibus adhæret, niſi ſpecificè fuerit exceptum *cap.* 7. *ex literis*, vbi ſumma & Canoniſtæ hoc notant, *extra de iure patronatus & d. cap.* 18. Excipiunt deinde etiam alienationẽ fructuum ſiue commoditatis ſeruitiorum: hanc enim poſſe dominum cuicunque voluerit etiam inuito vaſallo donare, aut vendere, cum etiam vaſallus poſſit irrequiſito domino fructus fundi alienare, aut vendere, ita *Hart. Hart. ex Iſernia, Aluarotto & aliis ad §. ex ead. leg. tit.* 34. *lib.* 2. *d. obſeru.* 40. *num.* 11. Sed primum dubito an hoc verum ſit, & ſatis liquidum; non enim eadem eſt hic ratio in perſonam domini & vaſalli: deinde etiamſi verum eſſet, tamẽ non eſſet exceptio, quia regula erat de ipſius feudi alienatione. Excipiunt tertio oppignerationem feudi, quam volunt permiſſam eſſe domino, etiam abſque conſenſu vaſalli.

4. D. *Poteſtne igitur dominus inuito vaſallo oppignerare ſuam proprietatem, quam in feudo habet?*

M. Ita vulgò feudiſtæ aiunt, adeoque hanc ſententiã communem teſtatur, *Franc. Ripa ad l. obligatione, nu.* 40.

D.de pignoribus, quo refert & ſequitur *Iulius quæſt.* 28. *num.* 4. eiusq; ſententiæ auctor perhibetur *Wilhelmus de Zuſa, teſte Baldo*, pro qua in argumentum facit, quod etiã proprietarius rei, cuius vſusfructus eſt penes aliũ, ſuam proprietatem non prohibetur oppignerare creditori obligare, *l.2.C.de Vſufruct.* Vide & *Hart. ead obſer. num.* 10. vbi tamen duæ notabiles limitationes tradit, quarum auctores adlegat *gloſſ. Aluarottum, Ioh. And. & alios Dd.* Prima eſt dummodo ne fiat oppigneratio pro tãta ſumma, vt nulla ſit ſpes luitionis. Tunc enim prohiberetur oppigneratio, proinde ſicut alienatio, cũ ex tali oppigneratione hoc conſequuturum ſit, vt vaſallus in alium transferat, & dominum habeat quẽ non vult. Altera limitatio eſt, dum ne vaſallus ex tali oppigneratione obligetur creditori domini ſui. Hac igitur in re volunt differre dominũ à vaſallo, cui vt ſupra audiuiſti, nõ licet ſuum ius, quod in feudo habet, oppignerare, vt ita domin⁹ & vaſall⁹ non ſemper nec vbiq; ad paria iudicentur, neq; domin⁹ per omnia & in omnib. vice reddere negatur vaſallo, hîc enim illa regula fallit: Ratio differentiæ eſt; quia oppigneratione proprietatis facta à domino, modo iis conditionib. & limitationib. quas dixi obſeruatis non tantoperè præiudicat vaſallo, quãtum ea, quæ fit à vaſallo, nocet domino: quid enim intereſt vaſalli, vtrum dominus ſuum ius alteri obligarit nec ne, dummodo ipſe retineat poſſeſſionẽ feudi, & fructus ille percipiat, quos ſolebat, nec alteri, quàm cui ſolebat obligetur aut ſeruiat, nec periculum ſit translationis inde ſecuturæ. Quanquã autẽ hæc ita ſe habent, tamen D. *Hoto. ad d. §. Ex eadem lege. t.* 34. *de leg. Conrad.* (vbi ipſe legit *Lotharij*) diſſentit à vulgari hac opinione, quã negat ſe cõcoquere poſſe. Nititur hac ratione, quia regulariter, vbicunq; prohibita eſt alienatio, ibid. oppigneratio quoq; ſit prohibita. Sicut contrà, vbi alienationi locus eſt, ibidẽ ſit etiam oppignerationi, *l. vlt. C. de reb. alien. non alien. l.* 1. *in fin. D. quæ res pig. obl. p. l.* 9. *D. de pign. l.* 1. *C. de rem alienam gerentib.* v. g. Proprietarius poteſt ius nudæ proprietatis per venditionem alienare, *l.* 38. *D. de vſufr. leg. gl. ad d. l.* 2. *C. de vſufr.* Ergo eandem & oppignerare poteſt, *d. l.* 2. Ita vſufructuarius ſuum vſumfructum

fructum & vendere poteſt & oppignerare, *l.2.ſi is qui 8. D. de pignoribus.* Ita ſuperficiarius ſuperficiem ſuam ſicut poteſt vendere ſic & oppignerare, *l.5. D. de pign.act.* Sic olim Emphyteuta non minus potuit alienare, quã oppignerare ius ſuum, quod in agro vectigali habet, ſed alienandi facultatem Iuſtinian. ei abſtulit in *l. vlt. C. de iure emphyteutico,* oppignerandi tamen reliquit, *l. lex vectigali 31. D. de pignoribus, l. Tutor. 16. §. vlt. D. de pign. act.* Ad argumentum autem quod ſumitur à proprietario rei vſufructuariæ, reſpondet Hotom. longè diuerſiſſimam eſſe rationem feudi & vſusfructus. In feudo autem inutile eſſet pignus, propter perpetuam in ea ſucceſſionẽ, quod ſecus eſt in vſufructu, qui certis ex cauſis, & longè citius ac facilius ad proprietarium reuertitur. Illud quoque pro ſententia Hotom. facit, quod dominus non poſſidet feudum, ſed vaſallus: non poteſt igitur in creditorem transferre poſſeſſionem, quam ipſe non habet, vulgatâ regulâ iuris. Exiſtimo tamen à communi opinione, non temerè hîc eſſe recedendum, maximè ſi duæ illæ conditiones & limitationes ſupra indicatæ obſeruentur.

5. D. *Audiui prohibitam eſſe domino alienationem proprietatis feudi, & vaſallorum translationem in alium. Quid igitur ſi dominus contra hanc prohibitionem venire præſumpſerit, priuabitur ne iure ſuo, an non?*

M. Quamuis Baldi opinio fuerit, dominum ex hac cauſa proprietate ſua non excidere, ſed tantum huiusmodi alienationem ipſo iure nullam eſſe, & pro nõ facta haberi, ad *§. ſi quis fecerit, t. 22. li. 1.* eamq; opinionem mitiorem & æquiorem fateantur, *Aluarot. Præpoſ.* & alii ibid. quam & *Franc. Sonsbec.* quinq; rationib. ſuſtinere conatur *p. 13. n. 180. cum 2. ſeqq.* Iure tamen verius videtur contrarium, quamuis fortè ſit rigidius, vt ſc. ob id priuari poſſit ſua proprietate, non minus quàm vaſallus ſuo iure exui poſſet ob alienationem inuito domino factã. In hac ſententia eſt *gl. in t. 6. li. 2.* eamq; opinionem communiter ſequũtur feudiſtæ. Vide *Iul. Clar. q. 28. n. 3. Bern. Wurmſ. t. De feud. obſ. 29. & Hart. d. obſ. 40. n. 13. & 14.* Fatetur tamen ibidem *Clarus* hoc à dominis de facto malè obſeruari. Sed nos non quid fiat Romæ, ſed quid fieri debeat, quærimus.

6. D. *Poteſtne dominus à vaſallo exigere laudemium ſeu honorarium aliquod pro inueſtitura renouatione, & beneficij confirmatione?*

M. Iure feudorum communi non poteſt, nihilque hoc nomine vaſallus domino debet. Moribus tamen quarundam regionum hoc receptum eſt, ſicut de Gallorum moribus teſtatur *Duarenus cap.* 13. *num.* 9. apud eos deberi laudemias perinde, vt iure ciuili in emphyteuſi debetur quinquageſima pars pretii, vt eſt in *l. vlt. C. de iure Emphyteutico.* Et nouimus in Germania Nobiles vaſallos, qui feuda ab Imp. conſecuti aliis ſubinfeudarunt, ea lege, vt de illis ſubvaſalli ſibi dent laudemii loco decimam partem æſtimationis, quoties venditum aut permutatum fuerit feudum; viceſimam verò, quoties vel is qui ſubinfeudauit vel ſubvaſallus fuerit mortuus. De quo negotio dubites meritò, ſitne feudis an verò contractui emphyteutico potius annumerandum.

7. D. *Poteſtne dominus collectas imponere ſubditis?*

M. Collectas (vulgo etiam vocant *taleas*, itemque *gabellas*) regulariter non poteſt Inferior aliquis exigere: quia ius collectanei, & vectigalia imponendi eſt vnum de regalibus, quæ ſupremo Principi ſuperiorem non recognoſcenti reſeruata ſunt; quin & ipſe Imp. nō niſi ex rationabili cauſa collectas & vectigalia imponere debet, vt docet *Roland. à Valle conſ.* 91. *volum.* 2. Immò inter conditiones Imp. creando propoſitas etiam hæc vna eſt, quod ſine adſenſu Electorum nō liceat ipſi vllum portoriū aut vectigal nouum inſtituere, vt videre eſt apud *Iohan. Sleid. lib.* 1. *comm. in Elect. Caroli V.* Huc pertinet *tit. C. vectigalia noua inſtitui non poſſe. Vide Mynſing. cent.* 5. *obſeru.* 29. & *Borcholt. in explic. cap. Quæ ſint regalia à num.* 45. *vſq; ad* 55. *Iulius Clarus* quoque hac de re agit, *quæſt.* 29. *in §. feud.* vbi concludit dominum aliquē inferiorem non poſſe collectam vllo caſu imponere ſubditis, niſi hoc ipſum ius in ſpeciem adquiſiuerit, vel ex pacto, vel ex conſuetudine loci, quibus adde ex *Mynſing. d. obſeru.* 29. vel ex præſcriptione. His vicina eſt illa quæſtio, An poſſit dominus cogere ſubditos ad molendum in ſuo molendino, vel etiam ad coquendum pa-

nem

• nem in ſuo furno, & non alibi, de quæſtione *vide Iul. Clarum in §.feudum. q.30.& additionem ibidem.* Summa hæc eſt; Regulariter non poſſe dominum eos cogere ad id faciendum, quia contractus locati & conducti eſt, qui fit conſenſu. Exceptiones eſſe tres, Prima niſi priuilegio, vel conſuetudine dominus tale ius adquiſiuiſſet aduerſus ſubditos, vt non liceret ipſis alibi molere, vel panem coquere, quam in ſuo furno vel molendino. Sicut ſæpe fit, vt nemo alius poſſit invicinia molam aut furnum extruere. Secundo, niſi domini prohibitioni longiſſimo tempore adquieuiſſent ſubditi, nec alibi interim moluiſſent, aut coxiſſent. Tertio, niſi molendinum aut furnus pertineret ad fiſcum, atque ita in tali prohibitione verſaretur vtilitas publica.

8. D. *Eſtne & aliud reale ius, quod domino in feudo competit?*

M. Eſt: nempè hoc, vt vaſallo ſine liberis virilis ſexus, vel adgnatis mortuo, tota, inquam, eius ſtirpe deleta, & omnibus adgnatis deficientibus feudum reuertetur ad dominum, vt ei apertum & commiſſum, tanquam vacans & caducum, de quo vide *tit.*11.15.18. 26.& 31.*lib.*1. *feud.* quomodo non tantum minora feuda ad ſuos dominos reuerſa, ſed etiam regna & ducatus & Marchias ſæpè legimus recidiſſe ad Imp. Romanum, ſicut de regno Bohemiæ iure feudi reuerſo ad Imp. Rom. teſtatur *Albertus Krantzius lib.* 7. *Vandaliæ, cap.* 46. Et de Marchia Brandeb. *lib.* 8. *cap.* 3. Sic Pontifex non ita pridem Ducatum Ferrarienſem tanquam feudum Eccleſiæ Rom. apertum occupauit, expulſo deiectoque Duce. Atque hæc de adquiſitione feudi. Iam deinceps oportet cognoſcere cauſas propter quas feudum ſemel conſtitutum, & adquiſitum amittatur.

CAPVT V.

De AMISSIONE *feudi: Et primùm de ea quæ contingit in perſona Vaſalli ob eius culpam tã commiſſionis quam omiſſionis circa perſonam ipſius Senioris, deinde in res eius vel feudales*

vel alias: tum circa perſonas eorum, qui Senioris poteſtati vel affectioni ſubiecti ſunt: Deniq; circa extraneos.

1. D. *Poſteaquam de feudi conſtitutione & adquiſitione, itemque de conſtituti, atque adquiſiti iure, tàm quod vaſallo competit, quàm illo quod domino, ſatis dixiſſe videris: Cupio cognoſcere de amiſſione quoque eiuſdem, & ad quem feudum amiſſum reuertatur, nam de remediis conſeruandi retinendique feudi expectabo vt dicas infra inter actiones pro ſeudo competentes. Nunc igitur de amittendo finiendoq; quid habes dicere?*

M. Primùm illud velim memineris, quamquam vt Paulus in ſententiis *libr. 3. titul. 6.* ſubtiliter diſtinguit inter hæc duo, amittere vſumfructum, & finiri, nempè vt tum proprie dicatur vſusfructus amitti, cum interuenit culpa vſufructuarii, puta, ſi is non vtatur per tempus & modum, &c. finiri autem cum aliter ſua natura & per ſe absque vſufructuarii culpa vſusfructus extinguitur, nempè morte aliisque modis: ita etiam in feudis videatur diſtinguendum vt ea tantum dicamus amitti, non autem propriè finiri, cum hodiè feuda facta ſint perpetua: tamen iſta ſubtilitate non eſſe opus, ideoque hoc diſcrimine inſuper habito, dicere poſſumus, finiri feudum, cum volumus ſignificare eiuſdem amiſſionem. nam & Imperator in §. *finitur. Inſtit. de Vſufruct.* differentiam illam Pauli negligens, promiſcuè vtitur his terminis, *finiri* vel *amitti vſumfructum.* Igitur nos quoque in hoc tractatu duobus iſtis verbis promiſcuè pro eodem vtemur, ſine vitio feudum finiri vel amitti. Præmittenda eſt autem huic tractationi iſta regula, quæ aliquoties in libris feudorum repetitur: *Feuda ſemel legitimè conſtituta & adquiſita non poſſe vaſallo rurſus eripi à Domino, ſine iuſta cauſa:* ſiue quod idem eſt, *non poſſe vaſallum ritè inſtitutum abſque cauſa deueſtiri, aut beneficium amittere debere, aut adimi de poſſeſſione beneficij*, vt *tit.* 7. *libr.* 1. vbi hæc dicitur eſſe natura feudi, intellige natura non initialis (per hanc enim poterant feuda tanquam precaria quędam ad nutum concedentis rurſus auferri, vt ſupra alicubi

ſicubi monui ex §. *Et quia videmus, t.1.li.1.* & ex Cardinali Cuſano.) Sed ea natura quæ poſtea ſuperuenit, videetiam *t.21. & §. ſancimus t.22.lib.4.feud.* quod etiam conſtitutione Imp. Cunr. cautum eſt, quæ extat *lib. 3. ll. Longobardicarum t.7.l.3.* Nam quod ab initio fuerat voluntarium, nempè cōcedere feudum, ex poſt facto neceſſarium efficitur, vt rectè *Accurſ. in gl. ad d. tit. 7. ex l. ſicut 5. C. de oblig. & act.* Differt ergò hac in re dominus à vaſallo. Dominus non poteſt vaſallum inuitum ſine cauſa expellere & feudo exuere. dd. locis. Vaſallus autem ſi non amplius libeat feudum retinere, & domino ſeruire, poteſt id refutare ſeu reſignare domino: de qua facultate refutandi ſupra dictum. Differentiæ huius ratio illa eſt; quia expulſio iſta & priuatio vaſalli coniuncta eſſet cum ignominia vaſalli; qua non debet adfici innocens, ſicut nulla pœna irrogari debet, niſi ei, qui peccat, *l. ſancimus 22. C. de pœn. cum ſimil.* Refutatio facta domino nullam ignominiam ipſi adfert, nullum quoq; incommodum, ſi modò tempeſtiue fiat. Quia pro eo quod deinceps cariturus eſt ſeruitiis vaſalli recipit feudum pleno iure, de quo ſi vult, poteſt alium deinde inueſtire, vel ſi id malit, retinere & fructus inde percipere poteſt.

2. D. *Vt igitur priore loco agamus de amiſſione feudi in perſona vaſalli, & poſterius de ea, quæ contingit in perſona domini, quot ſunt cauſæ, ob quas vaſallus feudum amittit?*

M. Huiuſmodi cauſas vix licet numero certo comprehendere: ſicut etiam iure ciuili non poteſt certis regulis definiri: quando ſatis probatum ſit, vt ipſe fatetur feudiſta *libr.., titul.* 24. ſed tamen informandi iudicis cauſa ab Interpretibus quædam recenſentur, ab aliis quidem plures, ab aliis pauciores. Et Hotomannus quidem in *diſput. de feud. cap. XLI.* conſtituit XX. cauſas ob quas feudum patrono ſiue ſeniori committatur: à quibus ſeparat eas cauſas, ob quas feudum proximo adgnato committatur. Vtriuſque generis cauſas ab ipſo petere licet. *Iohan. Borcholdus in c.8. de feud.* enumerat & explicat XVIII. cauſas: *D. Giphan.* XII. ſed crimini ingrati (quę ipſi eſt decima cauſa) ſubii-

cit duodecim ſpecies, vt ita in vniuerſum faciat cauſas 24. Omnium autem prolixiſſimum harum cauſarum catalogum texit *Ludolphus Schraderus ciuis noſter in tractatu feudali part.9.per tota 10.capita*, rudius ac pinguius minusq; artificioſè; ſed tamen ad vſum forenſem adcõmodatè recenſens primis nouem capitibus cauſas 47. quibus ex delicto vaſallus feudum amittat: Et poſtea ſubiiciens cap. 10. aliquot cauſas alias, in quibus licèt nullum verſetur delictum vaſalli, tamen feudum perdit. Cauſæ in quibus delictum verſatur, ſunt iſtæ: Prima, ſi negligat petere à domino inueſtituram feudi intra annum & diem. Secundò, ſi recuſet præſtare iusiurandum fidelitatis: (Sed hæ duæ primæ cauſæ potius impediunt feudi adquiſitionem, quam illius inducant amiſſionem.) Tertiò, ſi debita ſeruitia ei non præſtet. Quartò, ſi dominum in prælio & diſcrimine vitæ conſtitutum deſeruit. Quintò, ſi literas domini ad ſe miſſas parum honorificè adceperit ac ſpreuerit in contumeliam domini. Sextò, ſi feudũ absque conſenſu domini alienauerit. Septimò, ſi vaſallus domum & familiam domini libidinibus polluerit. Octauò, ſi inceſtum commiſit. Nonò, ſi dominum eiusve caſtrum vel arcem adſilierit, & oppugnauerit. Decimò, ſi parricidium perpetrauerit, vel tale crimen quod adpellatione parricidii continetur. Vndecimò, ſi conuaſallum ſuum interfecerit. Duodecimò, ſi alios ſubditos domini malè tractarit. Decimotertiò, ſi tale quid commiſerit, ob quod dici poſſit proditor. Decimoquartò, ſi qua infamia iuris laborare cœperit, propter quam nõ poſſit amplius honeſtè ſtare in curia domini. Decimoquintò, ſi ipſi domino graues & inhoneſtas iniurias reales intulerit, vt vulnera vel verbera. Decimoſextò, ſi eidem verbales iniurias graues intulerit. Decimoſeptimò, ſi grauem patrimonii iacturam ipſi intulerit. Decimo octauò, ſi inimicus ei eſſe cœperit. Decimo nonò, ſi amicitias cum inimicis eius copulauerit. Vigeſimò, ſi hoſtibus domini commeatum vel annonam per ſuum territorium præbuerit. Vigeſimoprimò, ſi domino per ſuum territorium, absq; maleficio tamen proficiſci volenti, deneget tranſitum. Vigeſimoſecundò, ſi literas

teras aut nuntium miſerit ad hoſtes domini, aut ſignũ illis dederit. Vigeſimo tertiò, ſi caſtrum, arcē, munitionem ſuæ fidei à domino concreditam tradiderit hoſtibus domini. Vigeſimo quartò, ſi arcana domini reuelauerit, aut enuntiauerit. Vigeſimo quintò, ſi matrimonium quod tractabat dominus, impedierit. Vigeſimo ſextò, ſi ab alio quam ab ipſo ſeniore feudum recognouerit. Vigeſimo ſeptimò, ſi vel ipſum feudum, vel eius conditionem & pacta inueſtituræ adpoſita domino abnegauerit. Vigeſimo octauò, ſi malè vtatur feudo, idque per abuſum reddat deterius. Vigeſimo nonò, ſi annuum canonem, quem fortè ex feudo domino debebat, non intulerit. Trigeſimò, ſi domino iuſtitiam facere negauerit, ſiue, cauſa denegatæ iuſtitiæ. Trigeſimo primò, ſi contra dominum domini ſui delinquat. Trigeſimo ſecundò, ſi ſit delator domini ſui. Trigeſimo tertiò, ſi ſciens dominum captum vel incluſum, cum poſſet, non tamen liberauerit, nec redemerit. Trigeſimo quartò, ſi alimenta egenti non præſtiterit. Trigeſimo quintò, ſi Eccleſiæ vaſallus ſtatuta aliqua condiderit aduerſus libertatem & immunitatem eius Eccleſiæ à qua feudum habet. Trigeſimo ſextò, ſi noluerit Eccleſiæ decimas ſoluere. Trigeſimo ſeptimò, ſi crimen læſæ maieſtatis commiſit. Trigeſimo octauò, ſi rebellis fuerit contra dominum feudi, arma contrà ipſum ſumendo, vel exercitum conſcribendo, vel aliis modis. Trigeſimo nonò, ſi tributum, quod fortè domino debet ratione feudi, non ſoluerit. Quadrageſimo, ſi feudum ab alio poſſeſſum vi occupet expulſo poſſeſſore. Quadrageſimo primò, ſi pacta in conceſſione feudi adpoſita non ſeruauerit. Quadrageſimo ſecundò, ſi aduerſus dominum ingratus extiterit. Quadrageſimo tertiò, ſi contra iuramentum fidelitatis venerit. Quadrageſimo quartò, ſi iudex pronuntiauerit aliquem feudo priuandum eſſe, eaque ſententia tranſierit in rem iudicatam. Quadrageſimo quintò, ſi bona vaſalli omnia fuerint publicata propter delictum. Publicatio enim facta, non quidem feudum ad fiſcum deuol-

uit, ſed tamen vaſallo ablatum reſtituitur domino. Quadrageſimo ſextò, ſi aliqua cauſa par vel maior ſit iis, quæ in conſuetudinibus feudorum ſunt expreſſæ. Quadrageſimo ſeptimò, ex quibuſcunque cauſis poteſt quis iuſtè exhæredari, & donatio reuocari & matrimonium diſſolui, ex iiſdem etiam vaſallum feudo priuari poſſe dicunt, dummodo ex cauſæ eiuſmodi ſint, vt ad priuationem feudi rectè & dextrè adcommodari poſſint: hanc enim regulam ſumunt vulgò ex §. *prædictis modis*, *titul.* 24. *libr. ſecundi*, de qua tamen quid alii quidam ſentiendum putent, dicam poſteà. Et has quidem *Schraderus* conſtituit cauſas, ex quibus ob delictum ſuum vaſallus feudo priuari poſſit. Addit deinde in *cap.* 10. alias ſeptem cauſas, in quibus nullum verſatur delictum vaſalli, vt eſt primo Clericatus, vel monachiſmi profeſſio à vaſallo facta. Secundò defectus ſeu debilitatio corporis, quæ inhabilem ad præſtanda ſeruitia efficit. Tertiò, defectus hæredis maſculi. Quartò, refutatio. Quintò, ceſſio bonorum. Sextò, euictio. Septimò, reuocatio feudi facta à domino ob ſuperuenientiam liberorum. In hac enumeratione & diſtributione cauſarum amittendi feudi illud fortaſſe deſiderari poteſt; primũ, quod nimis minutè in plura membra diſſecat, quæ paucioribus comprehendi & abſolui potuerant, quod vitium reprehendere ſolet Plato. Deinde, quod quaſdam cauſas etiam omittit, non ſolum ex iis in quibus delictum verſatur, ſed etiam in quibus nullum, verbi gratia, Interitum rei feudalis. Item, lapſum temporis ad quod feudum fuerat conſtitutum, item conſolidationem, item præſcriptionem libertatis, aliosque modos, de quibus infra. Sed, vt ſupra dixi, maluit ille pinguiore quadam Minerua, & ad vſum fori adcommodatiore ratione ſcribere, quàm nimis eſſe ſolicitus circa methodum artificioſam, quam ab ingenioſis hominibus, & veritatis ſtudioſis aliam atque aliam pro cuiusque captu, vel etiam pro arbitrio inſtitui videbat. *Antonius Contius* has cauſas reuocat ad quinque ſumma genera: *Amittitur* (inquit) *feudum vel voluntate, vel caſu, vel crimine,*

ne, vel culpa, vel negligentia. Fornerius autem ad tria capita refert, nempè, ad *caſum*, *voluntatem*, & *culpam*. Duarenus duo tantum conſtituit ſumma genera, *Aut culpa, Aut ſine culpa vaſallus feudum amittit.* In qua aptiſſima certè partitione conuenit ipſi cum Schradero, qui vult aut ob delictum, aut ſine delicto ex aliis cauſis vaſallum feudo priuari. Quam Duarenus vocat *culpam*, ipſi eſt *delictum*. Alij denique aliter. Nã omniũ methodos & partitiones perſcrutari, aut hîc referre, neque pretium eſt operæ, neque libet aut vacat. Poſſet quis etiam ita partiri: Cauſas amittendi feudi alias eſſe voluntarias, alias inuoluntarias. Et hæ autem & illæ multifariam poſteà ſubdiuidi poſſunt. In *Contiana* illa partitione hoc primum videtur reprehenſionem mereri, quod vir doctiſſimus culpam à negligentia diſtinguit, cum tamen nihil aliud ſit culpa, quam negligentia, ſicut lata culpa definitur nimia negligentia ab *Vlpian. in l. cedere diem*, *§. fin. D. de verbor. ſignificat.* & magna negligentia culpa eſſe dicitur à *Paulo in l. 226. D. eod.* Excuſari tamen poteſt, ſi dicamus, Contium *negligentiam* vocare eam culpæ ſpeciem, quæ in omittendo eſt. ſic enim Interpretes culpam diuidunt, vt alia ſit in committendo, alia in omittendo, vide *gloſſ. & Doctores ad l. ſi mora. D. ſolut. matrimon. Et Weſenbec. cap. 15. de feudis, nu. 5. argũm. l. 164. D. Reg. Iuris.* Secundò, Quod Contius diſtinguit crimen & culpam, cum etiam in crimine quolibet culpa verſetur. Vnde & Fornerius ſub culpæ nomine non ſolum comprehendit delictum ſiue culpa, ſiue dolo commiſſum, ſed etiam crimen. Sed hoc quoque excuſari poteſt, nõ ſolum ea ratione, quod crimen verum committatur dolo, *l. 7. D. ad L. Corn. de ſicar.* qui à culpa differt plurimum, vt ad Inſtit. audiuiſti, verum etiam eo quod interdum docendi cauſa minus adcuratè quis loquitur. Tertia reprehenſio ipſi Contio communis eſſe poteſt cum Fornerio, quòd etiam is videatur ſua voluntate feudum amittere, qui vel deliquit, vel crimen aliquod perpetrauit. poterat enim non commiſiſſe quod commiſit, cum nemo inuitus delinquat, vt docet *Ariſtot. 3. Eth.* Sed reſpondendũ, ſponte quidẽ delinquere, vel crimen perpetrare vaſallũ (quan-

quam etiam nonnulla ſunt delicta ἀκούσια, quæ ignorantia contrahuntur, vt eſt in definitione legis tradita à Papiniano in *l. 1. D. De legibus.* Et apud Demoſthenem citatum à *Martiano in l. 2. eodem titulo.*) Sed non tamen ſponte ſua etiam obligari ex delicto ad pœnam, quæ hîc eſt priuatio feudi. Delicta quidem ipſa ſponte ſuſcipiuntur, ſed quæ inde oritur obligatio ad pœnam, ea verò eſt neceſſaria & legitima, *l. obligamur. 51. §. lege obligamur. D. de obligationib. & actionib.* & eatenus ἀκούσια συναλλάγματα vocantur delicta ab *Ariſtotele 5. Ethic.* Sunt deinde etiam ἀκούσια, ratione eius aduerſus quem delinquitur. Quis enim eſt, qui non mallet iura ſua integra atque illæſa manere, quam poſtea vulnerata remedium quærere, & adhibere, eoque nomine aduerſarium habere obligatum? *argum. l. vlt. C. In quib. cauſ. in integ. reſtitu. neceſſ. non eſt, & l. 1. C. Quando lice. vnic. ſine iudic. ſe vindic.* Vnde & Terentius Eunucho: *Malo ego, nos proſpicere, quàm hunc vlciſci acceptâ iniuriâ.* Rectè igitur cauſæ amittendi feudi ex voluntate diſtinguuntur ab iis, quę ex delicto, ſiue illud crimen ſit. Illud quoq; initio obſeruabis: Delicta committi à vaſallo, aut in ipſum ſeniorem, hoc eſt, vel in perſonam eius eorumve, qui ipſius poteſtati aut effectui ſubiiciuntur, vel in res ipſius: aut committi in alios extraneos, plurimumque ſæpè intereſſe, an aduerſus ipſum, an aduerſus alios fuerint commiſſa, ſicut inferius adparebit, cum quærimus de feudo amiſſo ad quem redeat: Præterea & hoc memineris: culpam ſiue delictum in materia feudali vocari *Feloniam*, idq; verbum commune eſſe in vtriusq; perſona, tàm domini, quam vaſalli, *§. Domino committente Feloniam, t. 26. & t. 47. Feud. 2. Cuiac. ad d. t. 2. li. 1.* vocat militare verbum, quo non tantū rebellio ſignificetur ἀνταρσία, ſed in genere quælibet fraus, culpa, improbitas, putat ipſe tractum eſſe ex Græco φήλωσις & φήλωμα, quod ſanè reperitur apud Suidā, Heſiodum & alios, vt & verbum ipſum φηλόω, apud Æſchinem in Agamemnone φῶς, ἐφήλωσε φρένας, lumē decepit oculos: verius tamē puto eſſe ex Germanico Fehlen/vel Fallen, vt aliàs quoq; dixi. Nimirū maiores noſtri iſta mollicie verbi vidētur mitigare voluiſſe aſperitatem

tatem

tatē rei, perinde vt veteres Romani in ſentētia capitali ferenda dicebant: parū cauiſſe videri, Er hats vberſehen, quem tamen volebant intelligi grauiter deliquiſſe. vide *Feſt.* & *Briſſ. lib. 5. formular.* Porrò Felonia alio nomine Longobardico etiam *Aſtalium* dicitur, ab *aſtu*, vt videtur *Cuiacio d. loco*, & inde verbum *aſtalire tit. 5. & 17. Feud. 1.* vbi tamen legitur vulgò *aſſalierit*, vel etiam *aſſilierit*. Quod poſterius Hotomannus probat *in Lex. Feud.* Sic *Aſtalium facere* exponitur decipere *in ll. Longobard. l. 6. tit. 1. Feud. 1.* & animo aſto aliquem occidere, vel caſam incendere eſt voluntariè doloq; malo id facere, *l. 19. tit. 9. eodem lib. 1. & libr. 2. tit. 54. lib. 12. & lib. 15.* interdum etiam abſolute dicunt aſto, vt *d. l. 12. & l. 1. tit. 19. libr. 1.* Quod autem Cuiacius putat etiam apud Plautum dici *animum aſtum*, id eſt, doloſum, & apud Accium in Medea apud Non. *aſtam linguam*, pro fraudulenta & falſidica, in eo falli videtur vir doctiſſimus. nam quod ad Plauti locum attinet in Pœnulo: Scena: *Fuit hodie: aſto*: non eſt nomen, ſed verbum. Sic enim ſorori ſuæ ſoror: Miſera timeo, quid hoc ſit negotii, mea ſoror. ita ſtupida ſine animo aſto. Vt taceā, quod non rectè citat verba Plauti interpoſito verbo, *eſt*: mea ſoror ita ſtupida eſt. Non enim de ſorore alteri, ſed ipſa ſoror de ſe iſta loquitur. Deinde ad locum Accii, is apud Nonium in verbo *lactare* ita legitur: Niſi vt aſtu ingenium lingua laudem, & dictis lactem lenibus. *Aſtu*, inquam, legitur, nō *aſtā*, vt Cuiacius. Et aſtu laudare eſt dolo malo, non ex animo laudare aliquem. De iis locis ita ſentio: quæ tamen obiter dicta velim & abſque libidine contradicendi tanto viro, cuius erit felix ſi quis veſtigia adoret.

3. D. *Quid erat, quod antea innuebas à quibusdam reprehendi in vulgata regula Feudiſtarum de cauſis amittendi feudi?*

M. Fabricarunt quidam Interpp. ex §. *prædictis modis, tit. 24. libr. 2.* huiusmodi regulam: Quæcunq; ſunt iuſtæ cauſſæ exheredationis & diuortii ac repudii, itemque reuocandæ donationis, adde & libertum in ſeruitutem iterum redigendi: eædem cauſæ ſunt vaſallum feudo priuandi. Aliqui tamen non hoc voluiſſe

putãt Obertum. ſed hoc tãtum: quod ob cauſſas prius à ſe enumeratas iure ac meritoquis feudo priuari poſſit, quodque illæ cauſſæ nitantur tam naturali, quam ciuili ratione; id intelligi poſſe, ſi quis contulerit nouã conſtitutionem iuſtas cauſſas exhæredationis enumerantem (intelligit autem *Nou.* 115.) & alias veteres conſtitutiones, intellige *tit. Cod. de repudiis, & tit. de reuoc. donat. l.* 9. *quibus adde tit. De ingratis libertis & liberis.* Ita poſt Franciſcum Curtium ſentit *Duarenus cap.* 14. *de feud. num. vigeſimoquinto.* Item *Giphan. in tract. de Feud.* quem fecit Ingolſt. & *Iohann. Schonerus libro primo Diſput. Feud. diſt.* 10. *num.* 17. Hic illud notabis, priuationem ſiue ademptionem feudi ſæpè ab hiſtoricis vocari *exhæredationem*, videlicet, propter ſimilitudinem, vt eruditè obſeruauit *Cuiac. ad tit.* 2. *lib.* 1. *Feud.* idemque repetiit *libr.* 3. *tit.* 1. Feudi, inquit, ereptio exhæredatio eſt: ſicut etiam hoc vtrobique rectiſſimè inculcat, cauſas remouendi & abdicandi vaſalli relinqui diſceptandas iudicio Pariũ Curiæ, ſeu convaſallorum; proindequè non certas neque legitimas, ſed arbitrarias eſſe, perinde vt olim ante Iuſtinianũ cauſſæ exhæredationis erant incertæ & in arbitrio poſitæ centum virorũ, qui de inofficioſi querela cognoſcebant, vt ad *tit. Inſtit. de inoffic. teſt.* dictum eſt. Vide etiã ad hanc rem *Iacob. Menochium de Arbitrariis iudicum quæſtionib. caſu* 266. *& ſeq.* Solet hic quæri cõmuniter, an numerus cauſſarum exhæredationis expreſſus ac definitus à Iuſtiniano in *Nou.* 115. poſſit ampliari, an inquam, propter cauſſas vel æquè graues vel grauiores poſſit exhæredatio fieri, quæ quæſtio non eſt propria huius loci, cum non ſit de feudis, de quibus nulla valeat teſtatoris diſpoſitio, vt ſupra dictum. Putat tamen *Schraderus poſſe p.* 9. *c.* 9. *n.* 20. vbi plurimos ad hanc rem allegat. Iaſon quoq; prolixè in vtramq; partem diſputat ad *Auth. non licet, C. de liberis præter. Iulius Clarus in* §. *Teſtam. quæſt.* 41. *num.* 2. *& ibid.* additio ſimiliter adfirmat, poſſe hic fieri extenſionem ſiue productionem, qua in ſententia memini etiam eſſe *Hieronymum Schurpfium in conſil.* Diuerſa tamen in ſententia eſt *Viglius ad* §. *vltim. Inſtit. De inoffic. teſtam, & in* §. *vltim. Inſtit,*

Inſtitut. De exheredat. liberorum: pro qua facit, quod ait *Imp. in cap. 3. d. Nou. vt prater ipſas nulli liceat*, &c. quam etiam probat & aliquot rationibus communit *D. Giphanius in comment. C. ad d. Auth. Non licet, Cod. de liber. prater.*

4. D. *Expecto à te explicationem ſi non omnium (qua fortaſſe quia arbitraria, vt dixiſti, infinita ſunt,) ſaltem pracipuarum cauſarum amittẽdi feudum, ob quas inquam vaſallus iure ſuo excidat. nam de domino, quomodo is ſuam proprietatem perdat, ſeparatim te dicturum promiſiſti?*

M. Ne hîc quaſi temerè vagemur, & promiſcua velut turba cauſarum pariat tibi confuſionem, & obſcuritatem, memoriæquè officiat, placet certos limites nobis circumdare, intra quos contineatur curſus explicationis noſtræ. Primum ergò videamus illas cauſas, & caſus quibus vaſallus feudum amittit ex culpa: deinde viſuri eos, quibus ſine culpa. Culpam intelligis me hîc latiſſimè adcipere, vt etiam crimina dolo perpetrata comprehendat. Et ex culpa quidem primum ea, quæ in committendo, quod quis non debebat facere: tum ea, quæ in omittendo, quod quis officii neceſſitate cogente facere debebat, verſatur: Rurſum quæ in committendo poſita eſt culpa, aut aduerſus ipſum dominum contrahitur, idque tripliciter, vel perſonam ipſius in corpore aut honore offendendo lædendoquè, vel res ipſius ac bona, aut aduerſus alios, ſed poteſtati adfectuive eius ſubiectos, vt ſunt liberi, vxor, ſoror domini, domeſtica, &c. Aut denique aduerſus planè extraneos, id eſt, neque poteſtati, nequè adfectui ſenioris ſubiectos, & hos vel ſingulos, vel vniuerſos ſiue totam Rempubl. Ad has veluti claſſes non erit tibi difficile omnes cauſſas priuationis feudi, quæ vnquam incidere poſſunt, referre. Et de his iam ordine me interrogare poteris, vbi prius te admonuero de tribus: Primum eſt, In dubio iudicem debere proniorem eſſe ad abſoluendum, quàm ad condemnandum: quod quidem præceptum non in feudis tantum auferendis, ſed generaliter in omnibus iudiciis, maximéque pœnalibus valet, *lege* 155.

Factum, §. *In pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt,& ibi Phil.Dec.D.de Reg.iur.c.49.In pœnis, & ibi Dynus & Petrus Peccius de Reg. iur. in 6.* qua de re etiam Senecæ libri de Clementia conſuli poſſunt, eodemq; pertinet *Andr.Tiraquelli tract. de pœn.temper.aut remittend.* Secundo,quod plerique Interpp.velint,pœnam priuationis feudi nunquam habere locum,niſi expreſſo iure caueatur, quos vide apud *Menoch.d.caſ.num.16.* Tertio,Non deeſſe etiam qui exiſtiment:quia toti nobilitati iſtiusmodi priuationes & exempla reuocatoria ſint præiudicialia; & quia non parum animos ipſorum alienos reddant ab amore & fidelitate dominorũ (iuxta illud noſtrorum hominum Prouerbium, All zu ſcharpff/macht ſchartig: *nimia aſperitas odium parit*) inde factum & moribus introductum eſſe,vt etiã ex cauſis iure feud. expreſſis nõ facilè ſoleat ſuper commiſſo & priuatione feudi pronuntiari, ſed potius alia pœna, & quidem pecuniaria pro qualitate admiſſi vaſallo irrogatur, quàm ad hoc extremum & aſperrimum remedium perueniatur, quo velut mortuum membrum à corpore abſcinditur, ita vaſallus à domino reiicitur. Nam neque Medici facilè ad ſectionem & vſtionem membrorum corporis humani deſcendunt, niſi fruſtra omnis alia curatio tentata ſit, vid. *Weſemb. conſil.43.num.116.cum ſeqq.Melch.Kling.conſil. 60. inter conſilia Modeſtini Piſtoris vol.1.& Modeſtinum ipſum conſil.59.& conſil. 61.*

5. D. *Expone quæſo caſus,quibus vaſallus feudo priuatur ob culpam, & quidem circa ipſum dominum eiusq; perſonam immediatè commiſſam?*

M. Huiusmodi cauſas ferè Tredecim reperio: quarum ſingulas ſuis textib. & autoritatib. breuiter comprobabo. Facilè autem princeps ac grauiſſima inter illas eſt,ſi vaſallus dominum occidat, gladio,an veneno,an aliter,nihil intereſt.§.*porro,in verbis: vel morti eius inſidiatus fuerit:*(rectius dixiſſet *vitæ*) *t.24.li.2.Feud.* neque id mirum:non ſolum enim à tãto ſcelere ipſum abſtrahere debuerunt iuris naturalis præcepta; Alterum lædere prohibentia; ſed etiam peculiaris illa ſanctiſſimaque neceſſitudo, quæ ipſi cum domino feudi inter-

intercedit, immò iuſiurandum quod ei præſtitit, cuius vnum caput fuit, *Incolume*, ne ſcilicet vaſallus in damno ſit domino ſuo de corpore ſuo, vt habent verba textus *tit.6.lib.* 2. quo item promiſit nunquam ſe fore in conſilio vel auxilio, vel facto, quo dominus amittat vitam. *tit.* 7. *eiusdem libri.* Si igitur non modò principiorum iuris naturalis, & præcepti diuini de non occidendo, verum etiam iuratæ huius fidei ſuæ oblitus, domino vitam eripiat, digniſſimus profectò eſt, cui nō ſolum feudum, ſed & vita ſua rurſus eripiatur, tanquā proditori & perfido, ſecundum illam terribilem ſententiam ab ipſo Deo prolatam: *Quicunque effuderit ſanguinem humanum, fundetur ſanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*, Geneſ.9. Item, *omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt.* Matth.26. Item, *qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Apocalypſ.13. Ampliatur hæc cauſſa, vt vaſallus feudo priuari poſsit ob ſolas quoque inſidias vitæ domini ſtructas, & ob ſolum aſſultum ſiue adgreſsionem, etiamſi non fuerit ſecuta mors domini, ſiue etiamſi inſidiæ non peruenerint ad effectum. §. *ſimiliter, tit.5.lib.1.* & §. *ſi ſcienter, t.17.d.§ porrò, tit.24.libr.2.feud.* & §. *ſi voluerit, vbi Bald.t.51.* & *tit.57. Zaſ.par.10.n.27. in fine.* Et de adſultu vide eundem *Zaſium n.37.* & *ſeq.* Aliud tamen eſt, ſi tātùm voluerit vaſallus dominum offendere, nec tamē hunc adfectum, & prauam cogitationem produxerit in effectum: ſi non laborauerit, vt ait Feudiſta in *d.§. ſi voluerit.* ob hoc, inquam, feudo nō priuabitur. nam cogitationis pœnam nemo patitur, *l.18.D. de pœn.* cum ſimilibus iuribus quæ Accurſ. allegat in verbis, *feudum amittat. d.tit.51.* Præclarè in hanc ſententiam ſcribit *Lactantius in Epitome ſua diuinarum Inſtit.cap.3.* Poterant leges delicta punire: conſcientiam munire non poterant. Cui ſimilia ſunt apud Tertullian. Neque his aduerſatur, quod ait *Apuleius lib.4.Florid.* In maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc, vindicantur, cruenta mente pura manu. ſufficit ad pœnam meditari punienda. nam cogitationē, ſicut & meditationem ſceleris, intelligit nō nudam ac ſimplicem cogitationem in mente incluſam & retentam, ſed quæ

forâs ad actum procedit, ſiue quæ externum quoque adſumit conatum. Hic conatus delinquendi, ſiue affectus, qui iam forâs prorumpere, & in effectum produci cœpit, cum quis quantum in ipſo fuit iam cõpleuit, & perpetrauit quod inſtituerat, habetur pro delicto. Quo pertinent illa in iure noſtro: In maleficiis voluntatem ſpectari, non exitum: conſilium vniuscuiusque, non factum puniẽdum eſſe; cõſilia hominum, non exitus rerum legibus vindicari: non quæri factum, ſed cauſam faciendi, etiam qui effectu ſceleris potiri non potuerunt, puniri tamẽ propter voluntatem pernicioſæ libidinis, & ſimilia. Sic Iſidorus Peluſiota Epiſt. 399. ἀπὸ τῶν ἐπιχειρημάτων, οὐκ ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων τὰ πράγματα ὡς τὰ πολλὰ κρίνεται. Et conſimiliter alicubi Diodorus Siculus. Vide *Paullum libro quinto Sentent. titul.*23. *& l.*1. *cum l.* 14. *D. ad l. Corn. De ſicariis, l.*7. *C. eod. tit. l.* 1. *D. de Extraordinariis crimin.* Et rurſus Paullum *libro quinto, titulo quarto, l. verum eſt* 39. *D. de iniuriis, l.*53. *D. de furtis, cum ſimilibus.* de quo loco communi vide tractatum *Felini*, quem laudat & *Zaſius par.* 8. *numero vigeſimo octauo*, *& Iacob Spigelius in comment. ad Guntherum lib.* 8. ad illos verſus:

— Ne quis fore credat incultum,
Quicquid in auguſtos auſus committere reges,
Vel meditatus erit. Hotomannus quoque ad *d. §. ſi voluerit, titul.*51. *& Schraderus par.* 9. *d. cap.* 4. *numero* 47. Item *Iul. Clarus libr. quinto Sentent. §. fin. quæſtion.* 92. *& Iac. Menochi. De arbitr. iudic. caſ.* 360. Acrius hic eſt iudicium Dei, qui etiam meditatum ſcelus vindicat pœnis vltricibus: qua de re memorabile eſt exemplum Glauci, qui oraculum conſuluit, Num abnegans depoſitum impune id laturus eſſet; ac reſponſum tulit, *Ipſam hanc cogitationem de abnegando non fore impunitam.* Cui quidem Apollinis dictioni etiã euentus reſpondit, quãdo Glaucus cum tota domo ſua periit. vide *Herod. li.* 6. *& Iuuen. Saty.* 13. Sed ad rẽ redeamus. Igitur, vt dixi, voluntas praua vaſalli erit extra pœnam priuationis, ſi non laborauerit, id eſt, ſi non adceſſerit conatus, qui pro delicto habetur, eo tamen diſcrimine quod conatus eſt, quaſi in itinere, cum delictum ſiue

crimen

crimen conſiſtat in meta *d.*§.ſi voluerit. Quod autem additur ibidem, *etiamſi laborauerit*, non amittere feudum, id rectè ſic reſtringit ibidem gloſſ. ſi eum pœnituerit antè quàm compleret, *arg.l.19.Qui falſam, D.ad l.Cornel.de falſ.* Sed oportet vt vltrò deſtiterit. Nam ſi neceſſitate adactus, puta quòd vel videret ſe impoſſibilia conari, aut quòd ab aliis impediretur, nihil iuuabit ipſum, neque excuſabit vlla pœnitentia: quomodo rectè alibi ſentit *gloſſ. tit.* 5. *libr.*1. *in verbo*, exercuerit, quam & *Zaſius probat, par.* 10. *num.* 28. Immò etiamſi iuraſſet vaſallus necem domini, non punietur priuatione, ſi non etiam fuerit cædes ſubſecuta, dummodo ne coniurauerit ſeu conſpirauerit cum aliis in necem domini, vt *Zaſius ibidem num.39.ex ſententia Iſernia & Aluarotti ad d.§.porrò,tit.* 24. Aliud enim eſt iurare alicui ſimpliciter necem, aliud in eius necem coniurare: quorum hoc illo grauius atque atrocius habetur. De coniurationibus autem copioſè ſcripſit Collega noſter *Scip.Gentilis duob.libris.*

6. D. *At qui pœnitentiâ ſuâ nemo nocens eſſe deſinit, vt memini traditum ad Inſt.ex l.65.D.de furt.l.pen.D.vi bon. rapt. & l.17. quis ſit fugitiuus, D.de Ædil.edict.cum ſimilib. Quare ergò hìc pœnitentia veniâ digna cenſetur?*

M. Regula illa vera eſt, de delictis iam perpetratis & conſummatis. Ab eorum pœna neminem excuſat nec veniam tribuit in iudicio humano pœnitentia: ſed à nondum cõſummatis, imò nequidẽ inchoatis excuſat. Ea namq; nondum ſunt delicta. In conatu eſt locus pœnitẽtię, (& deſiſtẽti impunè erit, dũmodo, vt dixi, deſiſtat vltrò, nõ coactus, neq; ab aliis impeditus:) in delictis conſummatis non item. Quid quod ne quidem in iam cõſummatis perpetuò illa regula obtinet. Exemplo ſint ea, quæ adlegat *Accurſ.in d. ll. & Hotom. in fin.comment.ad d.§.ſi voluerit.*

7. D. *Quid ſi vaſallus defenſionis ſuæ gratia dominum occiderit, cum aliter euitare periculum non poſſet?*

M. Hoc caſu non incurret in pœnam priuationis, vt neq; in vllam aliam. Quæ eſt notabilis & veriſſima exceptio, tradita ab Accurſ. in verbis: *vel morti. titul.* 24.*libr.*2.de qua prolixè agit *Schraderus p. 9. cap.4.n.54.*

& ſeqq. Nam quodquis ob tutelã corporis ſui fecit, iure feciſſe exiſtimatur: & vim vi repellere omnes leges, omniaque iura permittunt; & aduerſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere, *l. 3. vt vim. D. de Iuſt. & Iur. l. 4. & l. 45. ſcientia, §. Qui cum aliter, D. ad l. Aquil. l. 1. §. vim vi. D. de vi & vi armata. Cicero pro Milone. c. ſignificaſti, extra de homicidiis.* Quod autem fit iure permittente, nullam meretur pœnam. *l. 4. Gracchus, C. ad L. Iul. de adulteriis, c. 40. Qui peccat. 23. quæſt. 4.* Et damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi, non aliis imputare debet, immò ſentire nõ videtur, vt eſt in regula vtriusque iuris. Sed ea defenſio fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, cuius limites ſi vaſallus exceſſerit, non euadet pœnã priuationis. De qua inculpata tutela, (quã Germani vocant eine Nothwehre) prolixe explicant *Dd. ad d. l. vt vim, D. de iuſt. & iur. & Panormitanus ad cap. ſignificaſti, extra de homicidio. Vide & Iul. Clar. in §. Homicidium, n. 24. & aliquot ſeqq. Schraderum d. p. 9. cap. 4. Val. Volzium in comment. ad l. Cornel. De ſicariis, cap. 7.* vt nunc taceam tractatus aliorum doctiſsimos de hoc Defenſionis argumento editos, vt *Zoanneti, Romulei, Iac. Nouelli, Fortu. Garciæ, & Mar. Salomonii*: apud quos etiam hoc diligenter diſcutitur, an liceat alterum occidere ob defenſionem rerum ac bonorum; item, an ob defenſionem proprii honoris, & an pro defenſione perſonarum coniunctarum, an deniq; pro extranei alicuius defenſione: quorum nonnulla etiam adtingit *Accurſius in gloſſ. ad §. ſi quis alium, in verbis, vitam ſuam defendendo, tit. 27. libr. 2. Feud.* quæ omnia pluribus hîc perſequi, alienum eſt à noſtro inſtituto.

8. D. *Eſtne & alia exceptio qua vaſallus dominum occidens liber ſit à pœna priuationis?*

M. Altera eſt Exceptio, niſi vaſallus dominum in adulterio vxoris ſuæ depræhenſum occiderit: tunc enim feudo priuari nõ poterit. Rationes exponit *Schraderus d. cap. 4. num. 92.* Quod autem hîc Dd. argumentantur à liberto ad vaſallum ex *l. 38. ſi adulteriũ cum inceſtu. §. liberto. D. ad l. Iul. de adulteriis,* vbi dicitur, *liberto non eſſe ius occidendi patronum in adulterio deprehenſum,*

quia

quia cuius honori & famæ, eiusdem multò magis & vitæ parcere debeat: videtur mihi ea comparatio claudicare. Multò enim plura debet libertus patrono, quam vaſallus dominò, cum & beneficia multò plura maioraque ab eo adceperit, adeoq; & nouus homo per manumiſſionem factus ſit.

9. D. *Quæ eſt ſecunda cauſſa?*

M. Si vaſallus atroci aliqua iniuria afficiat dominum. Ita enim adcipies, quod ait *Feudiſta in d. §. porrò. titul.* 24. *Graues iniurias intulerit.* Et huc pertinent verba in formula fidelitatis: *Quod tu recipias in perſona tua aliquam læſionem*, &c. Non autem ob quamlibet leuem iniuriam pœna priuationis locum habet. Porrò vnde æſtimetur leuitas vel grauitas atquè atrocitas iniuriæ, traditum eſt in §. *Atrox. Inſtitut. de iniuriis. Vide & Menoch. de arbitr. iud. quæſt.* Si igitur vaſallus impias manus ingeſſerit in perſonam domini, id eſt, ſi eum vulnerarit (intellige non tamen animo occidendi: nam alioquin hoc ad primam cauſſam potius pertineret) ſi verberarit, ſi pulſarit, meritò priuabitur feudo: cum & donatio ob hanc cauſam reuocetur à donatario ingrato *l. fin. Cod. de reuoc. donationibus.* & vxor à marito repudietur, *l. conſenſu. Cod. de repudiis*; & filius à patre iure exheredetur. *Nou.* 115.

10. D. *Dic tertiam cauſſam?*

M. Iniuriæ reali rectè adiungemus, proximo loco verbalem, quam ſignificare voluiſſe videtur *Feud. in d. §. porrò,* cum ait, vel inhoneſtas iniurias. nam in ea quoquè obliuiſcitur vaſallus ſui iuriſiurandi, cuius vnum caput fuit, Honeſtum, *tit.* 6. *libri ſecundi.* Iurauit enim ſe non fore in conſilio, vel auxilio, vel facto quod dominus accipiat iniuriam vel contumeliam, vel quod amittat aliquem honorem, quem habet, habiturusve eſt. Idem dicendum ſi vaſallus contra dominum libellum famoſum ſparſerit. nam hæc quoque & quidem grauiſſima eſt iniuriæ ſpecies. *tot. tit. Cod. de famoſis libellis.*

11. D. *Dic quartam cauſam?*

M. Quarta cauſſa eſt, ſi vaſallus in aliquo caſtro

ſeu vico dominum, vel eius vxorem ſcienter per vim adgreſſus obſederit & oppugnauerit: Quanquam non malè fortaſſe hanc cauſſam etiam retuleris ad culpam in res domini commiſſam. *d.§.ſimiliter, titul.5. libri primi, & titul. 17. in verbis, ſi ſcienter ſeniores aſſalierint, & d.§.porrò, titul.24. libri ſecundi Feud.* ſed hîc opus eſt diſtinctione. Aut enim dominus eiusvè vxor eſt in caſtro, ſeu vico proprio, aut in alieno. Si in proximo, non videtur attendenda ſcientia vel ignorantia vaſalli. omninò enim ab obſidione & expugnatione caſtri dominici abſtinere debuit, ſiue dominus in eo eſſet, ſiue abeſſet, item ſiue præſentiam eius ſcierit, ſiue ignorauerit, dummodo hoc ſcierit, arcem illam eſſe domini. Si in alieno, tunc rectèvtemur illa diſtinctione inter ſcientiam & ignorantiam. Idq; voluiſſe videtur etiam *Accurſ.in d.§.ſimiliter, in verbo, ſciens*; eumque ſecuti ſunt & alii Feudiſtæ, quæ ſententia *Giphanio* quoque non iniqua videtur. Ideò autem requirimus ſcientiam; quia dolus malus, abſq; quo crimen nullum committitur, non poteſt cadere in ignorantem & errantem, cum is qui errat non videatur conſentire. *l. Nihil conſenſui, §.vlt. D. de R. I.* vbi vide *gl.in Phil. Dec.* ſed de hac re conſulendus etiam eſt *Iohann. Vaudus libr. 1. quæſt. 46.*

12. D. *Dic quintam cauſam?*

M. Si vaſallus cum hoſtibus domini amicitias copulauerit, vt loquitur textus in *tit.57. libri ſecundi.* Sed hoc ita adcipe, dummodo amicitia illa cum inimicis domini ſit coniuncta cum damno & fraude domini, & eius tendat in perniciem: ſi, inquam, ſit confœderatio, conſpiratio, & coniuratio quædam contra dominum. alioqnin .n. ſimplex amicitia, quæ bona fide ſine fraude & pernicie domini cum aliis quantumuis inimicis eius coleretur, nō debet vaſallo nocere. Nam iniquum certè dominus ab eo poſtularet, ſi vellet eum mandatas iras & inimicitias ſuſcipere ac gerere, omnesq; eos odiſſe, ac pro inimicis habere, quos dominus fortè odit. vide *Zaſium p.10.n.32.cum ſeq. Borch.cap.8.num.121. tum 3.ſeqq.* vbi multa pulcherrimè tradit de præſumtione & coniecturis, quæ aduerſus aliquem exiſtunt ex

pra-

prauo ſodalitio. Vnusquisque enim talis eſſe, aut certè fieri, aut futurus præſumitur, quales ſunt ii, quorum conſuetudine gaudet, & quibus familiariter vtitur: Si boni, bonus; ſin mali, malus. Oraculi enim inſtar eſt illud Menandri à D. Paullo quoque laudatum, 1. *ad Corinth.* 15. *φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί.* Id eſt, *Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.* Sic enim Græca reddidit Tertullianus *lib.* 1. *ad vxorem*: vbi eleganter ait, hunc verſum ſanctificatum eſſe ab Apoſtolo: cum quo conueniunt, quæ ſcribit Euripides referente *Diod. Siculo lib.* 12. *Bibliotheca:*

Si quis malorum gaudeat conſortio,
Non quæro quali ſit præditus indole,
Vt certus iiſdem præditum eſſe moribus.

Nam vt ait *Floridus* in carmine pulcherrimo de qualitate vitæ, quod refert *Iuſtus Lipſius libr.* 1. *Elect. cap.* 5. & primus in lucem edidit *Pet. Pithœus:*

Qui mali ſunt, non fuere matris ex aluo mali: "
Sed malos faciunt malorum falſa contubernia. "

Ea manifeſtò adparet ſumta eſſe ex Theognidis. Congruit quoque vetus Senarius: *κακοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.* hoc eſt: *Si cum malis deges, malus quoque ipſe eris.* Et alter: *Αἰσχρῶν παρ' αἰσχρὰ πράγματ' ἐκδιδάσκεται. A turpibus diſcuntur acta turpia.* Magna igitur hîc opus eſt cautione vaſallo, & rectius fecerit, ſibique cōſuluerit, ſi à familiaritate inimicorum domini abſtinuerit. Nam ſi hoc nomine à domino adcuſetur, ſcire debet, præſumptionem fore contra ſe, quæ onus probandi in eum transferet, vt doceat, ſe bona fide, non in fraudem domini, neque maligno propoſito amicitiam cum ipſius inimicis iunxiſſe. Ac meritò hunc paſſum dubitabilem vocat *Zaſius d. numero* 33. in quo res tota ſit committenda arbitrio, & diſcretioni Iudicis, tanquam boni viri. Putarim autē illud quoque merito hîc conſiderandum, quando quis cœperit amicitiam iungere cum inimicis domini: vtrùm antè quàm ei inimici fierent, an poſteà, nam certè minor eſt præſumptio contra eum, qui antea, quàm qui poſtea amicitias copulauit, cum non poſſet futuros caſus prouidere. Quæ omnia ferè ſenſu communi

quoque diiudicantur. Non deſunt tamen, qui à Zaſio aliisque hac in re diſſentiant; & putent in dubio probationem incumbere ipſi domino adfirmanti amicitiam vaſalli, quam is cum inimicis contraxit, ſpectare ad ſuam offenſionem & perniciem. Vide *Nicol. Eberh. in loco de Tanquam ſiue reſpectiuis, ſub num.* 3. *& Schraderum par.* 9. *cap.* 5. *Henricum Roſenthal. cap.* 10. *concluſ.* 27. *& Rol. à Vall. conſil.* 1. *num.* 87. *volum.* 3. qui plures adlegant. Memorabile quoque eſt dictum *Baldi in §. porrò, t.* 24. *libr.* 2. Vaſallum non teneri pro domino ſuo gratis inimicitias procurare, vel alienum fieri à conuerſatione amicorum.

13. D. *Quid ſi vaſallus quis ſit duorum dominorum, qui hoſtilibus animis inter ſe diſſidere cœperunt, & ab vtroque ad ſeruitia militaria euocetur, quoniam hoc caſu non poteſt ambobus inſeruire, ſi vni adſiſtat contra alterum, an ob id feudo alterius priuari poterit? Aut quid ſi fœdus coniungat cum alterius domini inimicis?*

M. Difficilis certè eſt hic locus, ad quem *Guilielmus Fornerius* ita reſpondet in *commentar. de Feud. pag.* 104. *verſic. ſi tamen vaſallus*: debere eum antiquioris domini partes contra poſteriorem ſequi, cui poſteriori & nouo ſi per id nocuerit, non propterea ſit feudum perditurus. Nouo autem domino debere ipſum vel per ſubſtitutum ſeruire, vel dimidiam partem fructuum ſeu prouentuum illius anni dare. Adlegat §. *illud quoq; præcipimus. & §. firmiter, titul.* 55. Sed ſatis impertinenter adlegat, cum longè in aliis terminis illi textus loquantur. Quod inſpicienti per ſe manifeſtum euadet ſatis. Et quidem §. *illud quoque præcipimus*, agit de ſubvaſallo aduerſus domini ſui, id eſt, primi vaſalli delinquente, an & quando feudum committatur primo feudi domino: alter §. *firmiter*, eſt de vaſallo vnius domini. huic vel ſeruitia ipſe in propria perſona præſtare debet, vel certè hoſtenditiarum loco partem fructuum. Quæ certè non poſſunt ad noſtram quæſtionem adcommodari, quæ eſt non de vno, ſed duobus dominis: non etiam de ſubuaſallis, ſed vaſallis. De antiquiore autem domino cæteris omnibus præferendo facilè largior:

gior: & eſt *text. in §. contrà omnes, in fin. tituli vigeſimi octaui, libri ſecundi.* Sicut de Imperatore in omni ſacramento fidelitatis nominatim excipiendo, eſt §. *fin. dicti tituli quinquageſimi quinti.* Et ſupra iam diximus. Concludit tandem Fornerius, malle ſe armis poſitis domi manere, & vtrique dominorum dimidium fructuum vnius anni pendere, quam alterum dominum lædere. Rectè ſanè atque pacificè. Verùm non hîc quæritur, quid nos malimus, ſed quid ius ferat, & num feudo priuari poſſis ab eo contra quem ſteteris pro altero. Vt illud taceam, abſurdum videri, ſimul vtrique aduerſantium dominorum ſuppetias ferre, alteri quidem præſtitis ſeruitiis per teipſum, alteri verò per ſubſtitutum, aut datis hoſtenditiis, quod certè nihil aliud videtur, quàm in vtrumque latus claudicare, & contra Euangelicum ῥητὸν duobus dominis ſeruire. *Nicolaus Eberhardi in d. loco* negat poſſe quem argui de felonia ſeu infidelitate ad effectum priuationis feudi ob confœderationes cum hoſtibus vnius ex dominis contractas. Adfert ibidem exemplum de Duce Brabantiæ, qui cum eſſet vaſallus ſimul & Regis Galliarum, & Romani Imperatoris; illius quidem ratione comitatus Flandriæ & Arteſii, Imperatoris verò ratione aliorum Ducatuum & Comitatuum, confœderationem fecerit cum Anglis viciniis, qui erant antiqui hoſtes regum Franciæ: quam confœderationem defendit vt rectè factam, quæque non mereatur priuationem feudi apud regem Franciæ; quia non fecerit eam, tanquam comes Flandriæ & Arteſii, verum vt Dux Brabantiæ, & ratione aliarum ditionum, quæ nihil commune habeant cum rege Franciæ. Sic & alia ſunt exempla magnorum Principum, qui reſpectu diuerſarum prouinciarum & ditionum diuerſos adgnoſcunt feudi dominos: verbi gratia, Dux Lotharingiæ partim Rom. Imperat. partim verò Regis Galliarum eſt vaſallus. ſic & aliqui Principes diuerſo reſpectu ſunt & Pontificis & Imperatoris Romani vaſalli. Quanquam ea res miras ſæpè confuſiones & turbas excitare ſolet, de quib. non noſtrum inter eos tantas decidere lites.

14. D. *Dic ſextam cauſam, ſiue culpæ in ipſius domini perſonam commiſſæ ſpeciem?*

M. Si vaſallus dominum adcuſauerit de crimine capitali. §. *item ſi delator. tit.* 24. *libr.*2. ſecundum communem intellectum & *gloſſ. & Dd. & §. ſimiliter, titul.* 33. vbi vide *gloſſ.* Rem ſeu cauſam capitalem intelliges; cuius pœna eſt mors, vel aquæ & ignis interdictio, cuius in locum ſucceſſit deportatio, *lege* 13. *D. de bon. poſſeſ. l.* 10. *D. de iure patron. lege decimaquarta*, §. *is demum, D. de bonis libertorum.* Et quidem optimo iure ex hac cauſſa vaſallus feudo priuabitur, cum etiam patronus & patroni filius excludatur à beneficio bon. poſſeſſionis, contra tabulas liberti, quod aliàs habent, ſi in teſtamento ſunt præteriti. *dicta lege* 10. *D. de iure patronatus, cum ſimilibus.* Multò igitur magis vaſallus ob hanc cauſſam beneficium ſuum amittit. Deinde, quia & filius ob hanc cauſam exheredari poteſt. *verſic. ſi in eos in crimine capitali, c.* 3. *Nou.* 115. Ampliatur autem hæc regula, primùm, vt etiam veritas criminis non excuſet vaſallum adcuſatorem à pœna priuationis. Sic enim rectius ſentire mihi videtur *Curtius par.* 4. *de feud. num.* 62. *Fornerius pag.* 106. & *Sonsbeccius par.* 12. *numero* 47. qua gloſſ. Aluarottus & alii ad *d.* §. *ſic delator.* Vnde etiam fatetur Præpoſitus limitationem illam gloſſ. mirabilem & ſingularem eſſe: ſed nobis non tantum mirabilis, ſed etiam planè falſa videri debet.

15. D. *Atqui delicta nocentium nota eſſe oportet, eaq́ puniri expedit Reipubl. l.* 18. *D. de iniuriis, l.* 51. *ita vulneratus, §. quod ſi quis, D. ad l. Aquil?*

M. Credo equidem; ſed non inde ſtatim hoc efficitur, quemuis promiſcuè à quouis accuſari poſſe, cum poſſit honeſtius ab aliis inſtitui adcuſatio, quæ fœdè inſtitueretur à tàm neceſſariis coniunctiſque perſonis: vel etiam cum poſſit magiſtratus ex officio, & per *viam inquiſitionis,* quam vocant, aduerſus nocentes procedere. Sunt enim etiam iure ciuili prohibitæ quædam perſonæ ab accuſando, *lege* 4. *l.* 8. *cum aliquot legibus ſeqq. D. de accuſat.* cum autem generaliter loquatur textus prohibitorius in *d.* §. *ſimiliter,*

militer, quid ni etiam generaliter atquè indiſtinctè eum exaudiamus. *argum. leg.* 8. *de pretio. D. de public. in rem act. cum ſimilibus.* Adcedit quod etiam filius patrem, & patronus eiusque filius libertum, ne quidem de vero crimine adcuſare poteſt, de quo nemo dubitat *dd. legibus, vt l.*10.*l.*13.*l.*14. *& l. decimaquarta d. Nou.* 115. Hæc igitur prima ſit ampliatio, quæ etiam confirmari poteſt per *l. vltim. Cod. de delatoribus, libr.*10. Altera hæc eſto: Etiamſi vaſallus dominum in cauſſa leui adcuſauerit. magis enim probo ſententiam *Sonsbeccii d. par.* 12. *numero quadrageſimo ſeptimo*; licèt alii vulgò contradicant, ſecuti gloſſam, vt videre licet apud *Schraderum par.*9. *cap.* 8. *numero* 5. Tertiò, etiamſi minor fuerit vaſallus, qui dominum adcuſauit. Placet enim ſententia *Guilielmi Fornerii pag.* 105. qui negat, huic ob ætatem veniam tribui oportere. nam tametſi ætati & imprudentiæ ferè ſuccurrunt iura, vt eſt in Reg. iuris: tamen in adcuſatione id locum non habet; cum qua potius malitia quædam coniuncta eſſe videtur, quàm imprudentia. Quarta ampliatio eſt, etiamſi vaſallus non per ſe ipſe adcuſauerit, ſed vel alium ſubornarit, vel pro alio adcuſatore fideiuſſerit, vt rectè *Accurſius in dicto* §. *Item ſi delator, in verbo, perdit*; quem communiter ibi ſequuntur Feudiſtæ. Ex qua gloſſ. obiter obſeruabis varietatem lectionis in textu: Nam, pro *perdit*, aliqui libri habuerunt: *indignationem domini non euitabit*; quod rectè exponit Accurſius, id eſt, feudo priuari poteſt; quem & Zaſius ſequitur *p.* 10. *num.* 41. ſolet autem hodieque mandatis Principum adiici fere comminatio indignationis, bey vermeidung deß Herren höchſter vngnadt: quem morem in mandatis Principum perveruſtū eſſe licet animaduertere in Epiſtolis Imp. Iuliani. Quinta ampliatio huic vicina eſt, etiamſi dominum adcuſanti alteri vaſallus aduocationem tantùm præbuerit, vt docet *Zaſius numero vigeſimoquarto, d. par.* 10. quamuis aliàs aduocatus ab accuſatore diſtinguatur, *lege decimaquarta*, §. *ſi patroni filius, D. de bonis libertorum, leg.* 54. *D. de rei vindicat.* ſi quis tamen cogatur vel officii ratione, vel à iudice, neceſſitas excu-

ta eſſe debet, vt recte idem *Zaſ. d. loco & n.* 50. *poſt gloſſ. in d. verbo, perdit.*

16. D. *Nulla ne ſunt ab hac regula Exceptiones?*

M. Immò excipitur primum adcuſatio de crimine læſæ maieſtatis. nam ob hanc à vaſallo aduerſus dominum inſtitutam feudum non amittitur. *gloſſ. & communiter Dd. in dicto §. item ſi delator.* Veriſſime id quidem. nam & filius patrem ex tali cauſſa reum facere poteſt, ſine metu exhæredationis, *d. Nou.* 115. & ſeruus dominum, *leg. vltim. Cod. de delatoribus, libro decimo, l.* 7. *D. ad l. Iul. maieſtat.* cum alias ſeruorum delationes contra dominos non audiantur, teſte etiam Cicerone pro rege Deiotaro: neque etiam ſerui in caput domini torqueri debeant, ne videlicet in cauſis dubiis ſalus domini ipſorum arbitrio commiſſa videatur, qui fere hoſtilem animum in dominos gerere conſueuerunt, vt eleganter Paulus in *leg. vnius, §. ſeruo. D. de quaſt. & in libro quinto Senten. titulo decimoſexto. vbi vide Cuiac.* Vnde nec in crimine læſæ maieſtatis delationes ſeruorum in dominos quidam Impp. admittendas cenſuerunt: fortaſſe rectius. Vide *Cuiac. ad d. l. vltim. Codic. De delatoribus.* Ideo autem ad adcuſationem hanc admittuntur iſtæ perſonæ; quæ alias remouerentur; quia publica vtilitas & ſalus, quæ hic vertitur ac periclitatur, omnibus priuatis vtilitatibus, & neceſſitudinibus meritò antefertur. *argum. l. minimè, D. de religioſ. lege tertia, Cod. de primipilo, libro duodecimo, capite tertio, extra de poſtulatione prælatorum.* quò pertinent, quæ alias adduxi, ex Cicerone & Varrone: Patriam eſſe maiorem & antiquiorem parentem, omnes omnium charitates in ſe vna complexam. Secunda exceptio eſt, niſi vaſallus ſuam ſuorumque iniuriam perſequatur: nam hoc quoque caſu excuſatur, *gloſſ. in d. verbo, perdit. Zaſius par.* 10. *numero quadrageſimoſeptimo, argum. leg.* 14. *§. ſi patris mortem, & §. ſi pater, D. de bon. libertorum, lege vndecima, in pr. & lege duodecima, §. lege Iulia: D. de adcuſationibus, cum ſimilibus.* Tertia exceptio eſt, niſi vaſallus impetrata abolitione ab inſtituta adcuſatione deſtiterit, priuſquam

vsquam peroraſſet vſque ad ſententiam vel poſt interpoſitam adpellationem, quàm diu ea pendet, *arg.d.l.*14.§.*Adcuſaſſe autem. D.de bonis libertorum. Zaſ. d.p* 10. *num.*48. Sed hic diſtractio eſt neceſſaria; aut enim ideò quis vult deſiſtere à cœpta adcuſatione, quod crimen intentatum à ſe non poſſit probare: aut alia de cauſa, pœnitentia videlicet ductus. Priore caſu priuationis pœnam haud quaquam effugiet: poſteriore excuſabitur, vt rectè *gl.in d.verbo,perdit*; quam & alii communiter ſequuntur.

17.D. *Dic ſeptimam cauſam?*

M. Si vaſallus teſtimonium dicat aduerſus dominum, §.*ſimiliter.tit.*33.*lib.* 2.*feud.* & rectè: nam & vox, *liberti*, contra dominum improba eſſe dicitur, *l.*4. *D.de teſtibus. Zaſ.part.*10.*num.*50. & clienti contrà patronum non fuit teſtimonii dictio. teſte Dionyſio Halicarnaſſæo & Plutarcho in vita Romuli. Diſtinguendum tamen eſt inter cauſas, in quibus teſtimonium vaſallus reddit. Aut enim cauſa eſt criminalis, aut ciuilis. In criminali indiſtinctè arcetur à teſtimonio, ſiue magna grauisque ſeu modica ac leuis ſit cauſa. In ciuili autem modica tantum admittitur. In magna non item. *Æguinarius Baro lib.*3. *de beneficiis, cap.*3. *& in comment. ad d.§. ſimiliter. Cuiac.lib.*2. *Feud.tit.*36. qui verbum, *modica*, ſuo loco motum rectè reſtituit: *In criminali non licere, in ciuili modica licere.* Quæ autem ſit dicenda cauſa magna vel modica, relinquatur arbitrio Iudicis definiendum.

18.D. *Nunquam ne igitur ob teſtimonij dictionem vaſallus effugiet pœnam priuationis?*

M. Immò: Exceptio prima eſt, ſi vrgenti ac ſtricta coactione cum ſeriò ſe excuſaret ac reniteretur ad teſtimonium contra dominum perhibendum, pertractus a Iudice non adtendente vllas excuſationes. *Zaſius n.*49. *d.part.*10. *Borch. cap.* 8. *num.* 128. non enim videtur dolo malo facere, qui iuſſu iudicis aliquid facit, cui parere neceſſe habet, vt eſt in *reg iur.l.*167. §.1. *D. de R. I.* iuſſus, inquam, iudicis & prætoris, alteriusq; magiſtratus excuſat quemque à dolo & culpa. Secundò excipitur cauſa feudalis; verbi gratia, ſi lis ſit ſuper negotio inueſti-

turæ,in hac enim poteſt vaſallus impunè teſtimonium dicere contrà dominum: immò non alii teſtes in inueſtitura admittuntur, quam pares curiæ, ſi haberi poſſunt,*tit.* 32.*& tit.* 33. §. *quod autem dictum eſt lib.* 2. *Feud. Zaſius ſub d.n.*49.*Forner.pag.*167.

19. D. *Dic octauam cauſam ſiue ſpeciem culpæ in ipſius domini perſonam commiſſæ?*

M. Si vaſallus delator domini ſui extiterit, & per delationem illam dominum graue diſpendium ſuſtinere fecerit, *d.*§. *item ſi delator,tit.* 24. *lib.* 2. Etſi enim vulgò ferè eum textum adcipiunt de adcuſatione, de qua paulò antè dictum;pro qua interpretatione faciūt cum alia loca iuris noſtri, tum vel maximè *l.* 10. *D. de iure patron.* vbi dicitur eum qui nomen alicuius detulit adcuſaſſe intelligi, quod item adcuſator nomen quam pro delatore vſurpat,vt in *l.ſenatus, & l.deferre,* §. *iidem decreuerunt, D. de iure fiſci,* tamen probabiliter *Sonſbeccius part.*12.*n.* 46.*arg.* §.*ſi delator, in d.Nou.*115.vnde feudalis iſte textus deſcriptus eſt;delatorem putat eum hìc adcipiendum eſſe, qui fiſco nunciat rem caducam, vel bona vacantia, vel commiſſa, vel ereptitia, item tacita fideicommiſſa in fraudem legum relicta in rapacibus,aliaque bona huiusmodi,quę ad fiſcum pertinent, & ab aliquo poſſidentur. Hoc genus hominum etiam nunciatores dicuntur,*l.*3.*C.de iniuriis*, & quadruplatores,à quarta videlicet, quæ ex illis bonis fiſco nunciatis præmii loco ipſis cedebat, idque vulgare præmium delatoris dicitur in *l.*13.§.*Extat.D.de iure fiſci,*quod eruditè explicat *Cuiac.libr.*19.*obſeru.cap.*3. Vide etiam eundem ad *tit. Codicis, de delatoribus libr.* 10. Item ad Sententias *Pauli lib.*5.*tit.* 16. Cum autem ſæpè abuterentur iure delationum etiam aduerſus innocentes, quos calumnioſè deferebant, non tam amore ac ſtudio Iuris fiſcalis conſeruandi, quam præmii duntaxat ſui cauſa: hinc factum, vt perinde apud Romanos odioſum eſſe cœperit nomen delatorum & quadruplatorum atq; olim apud Athen. Sycophantarum: Vnde & ab Imp. vnum maximum vitæ humanæ malum dicitur execranda pernicies delatorum, & humani generis inimici delatores,*l.*1.*& l.*10.*C.Theod.li.*10.*t.*10. & à Syneſio in Epi-

ſtolis

ſtolis communes *alaſtores regionis.* A bonis etiam principib.ſæpè vrbe pulſi ſunt delatores,vnde Martialis:

Exulat Auſonia turpis delator ab vrbe.

Rectè,*turpis delator*; nã probroſum eſt dici delatorẽ, & hoc nomine iniuriarũ iudicio experiri licet, vt eſt in *l.*3.*C.de iniur.* atq; hanc interpretationẽ *Sonſbecij* etiam cõprobant verba ſequentia in *d.* §. *item ſi delator:* Graue diſpendiũ,quæ manifeſto adcipiẽda ſunt de bonis,quę tertius dominus amittit ex illa delatione ſeu nunciatione fiſco facta. Ex adcuſatione verò nõ tàm in bonis, quã in capite & vita læditur reus. *Auth. Bona defunctorum.C.de bon.dam.*Diſpendiũ, inquã,vt & contrariũ illi compendium de bonis propriè dicitur, non de vita.

20.D.*Dic nonam cauſam*?

M.Si vaſallus iudex ſit, & ſententiã ferat contra dominum in cauſa magna & graui, quæ ſententia poſteà in iudicio adpellationis ex iiſdem actis reformetur:dũmodo ſit ſuſpicio doli,fraudis vel latæ culpæ contra vaſallum. *Zaſ.p.*10.*n.*47.*iuncto n.*50.*Curtius p.*4.*n.* 73.*Nic. Vigelius in methodo iuris feud.c.*5.*cauſa* 29.

21. D. *Quæ eſt decima ſpecies culpæ in ipſius domini perſonam commiſſæ?*

M. Reuelatio arcanorum domini dolo malo facta à vaſallo,vt domino noceret. Quod feudiſta his verbis ſignificat in *tit.*17.*li.* 1.*ſi credentiam ad eorum damnum ſcienter manifeſtauerint.*Hoc etiam iurauit inter cætera vaſallus,vt eſt in formula fidelitatis *t.*5.*lib.*2. in verbis *: nec id,quod mihi ſub nomine fidelitatis cõmiſerit dominus,pandam alij ad eius detrimentũ,me ſciente* Item *t.*7.in verb.*etſi aliquid mihi de ſecreto manifeſtaueris,illud ſine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatum faciam.* Notãdũ eſt autẽ,quod in *d.t.*17.*li.*1.additur aduerbium,*ſcienter*,& *t.*5.*li.*2.*me ſciente.* Quibus verbis ſignificatur dolus malus & ſtudium,conſiliũ ac propoſitũ nocendi.Si igitur abſq; dolo malo,non *damnificandi animo*, vt loquitur Accur.ad *d.t.*17.aliquid fortè arcani,quod reticẽdũ fuerat vaſallo exciderit imprudenti, quamuis id fortè redundet ad damnum domini, non tamen ob id feudo priuabitur,*argum.l. Qui iniuria.* 53. *D.de furt.& argum. l.*79.*Fraudis interpretatio.D. de Regulis iuris.*vbi eleganter Papinia. ſemper in Iure ciuili fraudis interpretatio

non ex euentu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur. Faciunt huc, quæ dicta ſunt ad *Inſtit.* §. *in fraudem.tit.Qui & ex quibus cauſis manum*. Addit *Zaſius d.p.* 10.*num.*35. hanc exceptionem niſi ſupina & craſſa ignorantia eſſet, quam ait dolo æquiparari. Quod mihi nõ probatur, ea ratione, quia in delictis & pœnis, vt hîc certè agimus de delicto & pœna priuationis, lata culpa non ęquiparatur dolo, ſed in contractibus tantum. Deinde quia à dolo, quæuis etiam fatua cauſa excuſat, vt eſt tralatitium.

22. D. *Quid ſi vaſallus animo & propoſito maligno arcanum domini manifeſtauerit, vt damnum ei daret, & tamen euentus damni non fuerit ſubſecutus, an adhuc priuabitur feudo?*

M. Videbatur dicendum, hoc caſu nõ habere locum pœnam priuationis, & quia in manumiſſione aliaque in fraudem creditorum facta alienatione coniunctim requirimus vtrumque, conſilium, inquam, & rẽ ipſam, ſiue euentum damni, *l.*10. *D. Qui & à quibus manumiſſi lib. l. ait prætor*, §.1.*D. Quæ in fraud.cred.* Et ſanè ita nonnulli exiſtimarunt vt *Aluarottus*, *Curtius & alij*, quos refert *Roſenth.cap.*10.*concluſ.*60. Sed contrarium verius eſt, cum in maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus, *l.* 14.*Diuus.D.ad L.Cornel.de ſicariis.cum ſimilibus:* & quia ſolus etiam conatus delinquendi puniatur, vt ſupra dicit, de quo vide etiam *Zaſ.num.*35.

23. D. *Quod ſi dubium ſit, quo animo vaſallus domini ſecretum enunciauerit, & ipſe quidem dicat ſe dolo & conſilio nocendi caruiſſe, dominus autem non acquieſcat, vtri incumbet priuatio vaſallorum an domino?*

M. Quemadmodum aliàs ſemper contra eum eſt præſumptio doli, qui rem fecit illicitam, quæque ſit de genere prohibitorum, *l.* 1. *& ibi omnes Dd. notant.C.ad L.Corn.de ſicariis.Rol.à Valle,conſil.* 52.*num.* 33. *volum.*4. *Crauettam conſil.*2.*num.*12. *lib.* 1. ita hic quoque contra talem vaſallum præſumitur quod dolo malo vulgarit arcanum. Quare ſi dicat dolum malum à ſe abfuiſſe, hoc ipſum tenetur probare, vt quilibet reus ſuam exceptionem. Probabit autem ſuam innocentiam & ſinceritatem, vel ex coniecturis ac circumſtantiis, puta,

quia

quia non inimicis,ſed amicis domini talia detexerit,in quos nihil ſiniſtræ ſuſpicionis cadebat, &c. vel etiam quod extremum remedium, & quaſi ſacra anchora erit,per iuſiurandum purgationis, cui ſtandũ erit. nam alias quoque traditum eſt, ea quæ in animo hominis conſiſtunt,verbi gratia, bono an malo propoſito quis fecerit quid iureiurando decidenda eſſe. Cauti ergò & circumſpecti eſſe debent vaſalli, nec pleni rimarum, qui,vt Comicus ait, *hac atq; illac perfluant*, ne ſe in has difficultates ſua futilitate coniiciant; memores illius quod eſt apud Horat.lib.1.Epiſt.18.

Arcanum nec tu ſcrutaberis vllius vnquam:
Commiſſumq; teges & vino tortus & ira.

Item Satyra 4.lib.1.

Fingere qui non viſa poteſt,commiſſa tacere
Qui nequit,hic niger eſt;hunc tu, Romane,caueto.

Cumque omnis arcani enunciatio futilis ſit ac fœda, tum maximè ea odioſa ac deteſtanda eſt, quæ fit ab iis, qui ex amicis inimici aliquando facti ſunt;in re militari quidem, qui ſecreta ſiue conſilia renunciant hoſtibus, capitis quoque pœnam luunt, & aut viui exuruntur,aut furcâ ſuſpenduntur, *l. 6. §. exploratores. D.de re militari.l.*38.§.1.*D.de pœnis.*

24.D. *Quid ſi vaſallus literas domini aperuerit?*

M. Puto hanc quoque iuſtam eſſe priuationis cauſam, maximè ſi argumentum earum reuelauerit inimicis domini ad eius perniciem. In genere autem quæ ſit pœna propoſita aperienti literas alterius, vide apud *Wurmſerum tit.* 47. *obſeru.*25. vbi docet aliquando pœnam eſſe *L. Cornel. de falſ.* aliquando extraordinariam ſtellionatus, prout ſcilicet aliquis vel legendas dederit ac prodiderit aduerſario ſcribentis,vel ipſe tantum pro ſe legerit. Illud hîc quoq; obiter obſeruabis ex doctrina *Baldi ad finem tit. De pace Conſtantiæ,ſenatorem*,quem vocat ipſe *Ancianum*,qui arcanum reuelet in damnum communitatis ſuæ,remoueri debere ab officio,quod & *Zaſius probat num.*36.*part.*10. *& obſeruat. commun.prax.* in conſiliis enim in primis requiritur taciturnitas & fides.

25.D. *Quæ eſt vndecima cauſa?*

M. Si vaſallus contra dominum famoſam aliquam actionem inſtituerit, *text. & gl.* in verbis: *Salua reuerentia, t. 22. & t. ſeq. verſic. quomodo, lib. 2. Feud.* huiuſmodi enim actio, quamlibet ſit ciuilis, tamen proximè adcedit ad accuſationē & crimina, in quib. etiā condemnatum ſequitur infamia, *l. 7. D. de publ. iud. l. 1. D. de his qui not. infam.* Argumentum quoq; ducitur à liberto & patrono; quorum ille non debet huic vllam famoſam actionem intendere, quod ſup. latius probauimus, cum de reuerentiâ domino à vaſallo debita diceremus: quibus addere potes, quæ ſcribit *Roſenth. c. 10. concl. 32.*

26. D. *Nullane eſt Exceptio?*

M. Excipitur vaſallus, qui atroci & reali aliqua iniuria à domino adfectus, contra ipſum agit, de quo vide W*eſembec. c. 10. num. 15. vbi adlegat gl. & Dd. in c. 1. §. item ſi delator, t. 24. lib. 2.*

27. D. *Sed an etiam ob interdictum vnde vi aduerſus dominum propoſitum agens vaſallus feudo priuabitur?*

M. Hæc eſt duodecima cauſa amittendi feudi ſecundum aliquos, ſed non caret controuerſia. Sunt enim qui volunt indiſtinctè cum hoc interdicto experiri cōtrà dominum non poſſe, vt *Zaſ. part. 11. num. 23. & ſeq. Fornerius de feud. pag. 93. Menochius de recuperanda poſſeſſione remed. 1. num 96.* Ex illorum igitur ſententia locum habebit pœna priuationis, ſi vaſallus hoc interdicto vti voluerit. Alii contra interdictum hoc vaſallo concedunt, vt *Iacob. de S. Georg. Andr. de Iſernia*, quem refert & probat etiam *Mynſing. cent. 4. obſeru. 91. in verſ. quare non ineptè Borcholtus cap. 9. num.* 18. qua in ſententia fuit etiam Vincentius in Speculo doctrinali citatus à *Cuiac. tit. vlt. in fin. li. 2.* ex horum ſententia non amittet vaſallus feudum ſuum ex hac cauſa. Alii denique diſtinguunt inter vim armatam & inermem, vt ob illam quidem poſſit vaſallus interdicto vnde vi agere aduerſus dominum, ob iſtam non item, ſed vti debeat actione in factum. *Menochius d. remed. 1. nu. 98.*

28. D. *Quæ eſt decima tertia cauſa?*

M. Inficiatio ſeu abnegatio domini vel feudi, vel totius, vel partis, vel etiam qualitatis & conditionis feudi facta à vaſallo ſcientè dolo malo ſeu fraudulenter, §.

vaſallus

vaſallus ſi feudum, & §. vaſallus feudum, tit. 26. lib. 2. feud. & §. vlt. tit. 24. eod. lib. ratio eſt odium mendacii; cuius & aliæ paſſim in iure ciuili ſunt pœnæ; de quibus paulò poſt dicam. Nihil enim magis contrarium eſt iuſtitiæ & veritati, (quæ anima eſt Reipubl.) quàm falſum & mendacium, vt grauiſſimè ſcribit *Ioach. Hoppertus lib. 12. de vera Iuriſprudentia, tit. 6.* Deinde quantum eſt crimen ingrati animi abnegare beneficium, eiusque auctoritatem erubeſcere, vnde & apud Perſas turpiſſimum ducebatur crimen ingratum eſſe & mentiri; item ſecundo loco deberi æs alienum, teſte Herodoto li. 1. Videbatur hæc cauſa referenda eſſe inter eius culpæ ſpecies, quæ committitur circa res domini, non circa perſonam ipſam. Et ſanè mixtam quandam cauſam continet. Quia tamen iſta inficiatio & abnegatio maximè reſpicit ad contumeliam domini, ideò rectè hic de ea tractamus.

29. D. *Cum vt confeſſio, ita & negatio ſit vel iudicialis, vel extraiudicialis, & cum non tantum noceat extra iudicium facta confeſſio, quantum in iudicio, vt explicatur ad tit. D. de confeſſis, & ad tit. de interrogationibus in iure faciendis, an etiam hic aliquod eſt diſcrimen inter inficiationem?*

M. Nihil refert in iudicio, an extra iudicium vaſallus dominum & beneficium abneget. Nam vtrouis modo feudum ipſi aufertur, dummodo fuerit mendacii conuictus. Primùm enim generales ſunt textus ſupra adducti, neque diſtingunt inter locum abnegationis in iudicio, an extra id fuerit facta. Secunda ratio apertè oſtendit §. *vaſallus ſi feudum, dict. tit. 26.* etiam extra iudicialem inficiationem eandem mereri pœnam, dum ait de patefactione alterius vaſalli apud dominum prætermiſſa, quę ipſi non debeat eſſe fraudi: qui certè locus de extraiudiciali abnegatione omnino accipiendus eſt: nam de iudiciali ſtulta eſſet quæſtio, an alius vaſallus domino eam patefacere teneatur, cum non poſſit dominus ignorare, ea quæ propalam in iudicio, quod inter ſe & vaſallũ exercetur geſta ſunt. Atque ita veriſſimè eum textum ponderabimus, cum *Cuiac. in com. ad t. 5. li. 4.* vbi etiam notabis lectionẽ meliorẽ, quam ita manifeſto veram eſſe iudicabit Cuiac. vt

verbum de ea nullum fecerit, & tamen ab aliis vulgò negligitur: Nimirum ita legendum: *eo quod negauit feudo, eiusve conditione expoliabitur*; vbi vulgò, (immò etiã apud *Hotom.* & *Gothofred.*) malè editur; *eò quod abnegauit feudum eius vel conditionem.*

30. D. *Quid ſi vaſallus negans feudum, erret?*

M. Ignorantia eius erit excuſata eique ſubuenietur, ne feudum perdat. *d. §. vaſallus feudum.* In errantem enim & ignorantem non cadit dolus. Et ideò ait Feudiſta *d. tit. 26. ſi vaſallus feudum ex certa ſcientia inficiatur*; item, *feudum quod ſciens abnegauit.* Vnde etiam in priſca illa formula iuriſiurandi erat: *ſi ſciens fallo*; de qua vide *Feſt. lib. XI.* Item ex animi ſententia, vt Cic. in Acad. q. *Maiores*, inquit, *voluerunt primum ex animi ſui ſententia quemq; iurare. Deinde ita teneri, ſi ſciens falleret.* Sic & Plin. in Paneg. expreſſit explanauitque verba: *Quibus caput ſuum, domum ſuam ſi ſciens fefelliſſet Deorum iræ conſecraret, &c.* Quam ad rem plurima collegit *Briſſonius libr. 8. de formul. poſt Cuiac. lib. 1. obſeru cap. 21.*

31. D. *At quomodo poteſt vaſallus ignorantiam prætexere facti proprij, cum non poſſit ipſe ignorare, an de eo feudo iurarit fidelitatem nec ne. Alieni quidem facti, & qualitatis probabilis & tolerabilis eſt ignorantia, proprij non item. l. 3. & ibi gl. D. de iur. & fact. ignor.*

M. Rectè dicis, ſed intelligere debes hanc ignorantiam de perſona non ipſius vaſalli, qui ſemel inueſtitus eſt de feudo, & iurauit, ſed de eius ſucceſſore. Ille improbè faceret, ſi ignorantiam adlegaret facti proprii: In hoc iuſta eſt ignorantiæ cauſa, ſi inquam, cum hærede agatur, non ſi ipſe agere velit, *l. 42. qui in alterius, D. de Regul. Iur.* & ita Hotomannus quoque explicat *§. vlt. tit. 24. libr. 2. Feud.* Craſſa tamen & ſupina ignorantia nunquam erit excuſata, vt rectè Accurſius in *d. §. vaſallus ſi feud. in verbo ſcientia.*

32. D. *Quid ſi quis dubitet de re aliqua, ſit ne feudum an allodium, & ſi ſit feudum, qualia ei impoſita ſint ſeruitia, item ſitne feudum antiquum an nouum, proprium, an improprium, Francum, an non Francum, Ligium, an non ligium?*

M. Qui dubitat, dubitanter quoque reſpondere debet

bet per verbum: *Neſcio, d. §. vaſallus feud. tit. 26. & d. §. vlt. tit.* 34. Sed ambiguè reſpondere perinde eſt, ac ſi nihil reſponderis, *l. De ætate. §. nihil intereſt. D. de interrogationibus.* ideoque *dubitans* hîc habetur pro *ignorante*, ſicut & aliàs in iure ciuili, *l. vlt. & ibi gloſſ. C. de condict. indebiti. l. 2. D. Quis ordo in bon. poſſ. ſeruetur.*

33. D. *Quid ſi vaſallus à domino conuentus litem conteſtetur negatiue, ita vt hodiè in iudiciis eſt receptum: Nego narrata pro vt narrantur, & petitionem fieri debere.*

M. Hæc negatio ei non nocebit, *argum. l. 11. ſi dubitet, D. de fideiuſſorib. Zaſ. part. 10. num. 53. verſ. 3. ſi vaſallus*, de quo tamen non immeritò quis dubitet.

34. D. *Quid ſi vaſallus non feudum ipſum, ſed aliam rem domini celauerit, an ob id feudo priuari poterit?*

M. Ob hanc cauſam feudo vaſallus non priuabitur. nam diſertè textus feudales de ipſo feudo loquuntur, non de aliis rebus dominicis ad quas proinde non ſunt porrigendi.

35. D. *Quid ſi non totum feudum, ſed partem duntaxat eius inficiatus ſit, priuabitur ne toto, an parte tantum?*

M. Rectè reſpondet gloſſa: quam communiter ſequuntur *Interpp. & Cuiac. quoq; lib. 4. feud. t. 5.* hunc eam tantum partem, quam inficiatus eſt, amiſſurum, & non totum feudum. Primùm enim non debet vlterius progredi metus, quàm reperiatur delictum, *l. 22. ſancimus. D. de pœnis. l. 43. §. Iulius Longinus. D. de vulg. & pup. l. Paulus reſpondit. D. ad SC. Trebell. l. 6. & ibi Bartol. aliiq; Dd. D. de his quib. vt indignis.* Deinde, quià & is, qui partem feudi alienauit contra Conſtit. Impp. non toto feudo priuatur, ſed ea tantùm parte, vt expreſſum eſt *tit. 38. li. 2.* in verbis: *Si totum alienauerit perdat totum, ſi partem, perdat partem.* Tertiò, quia etiam inofficioſum teſtamentum, pro ea tantum parte infringitur, in quà teſtator contra officium pietatis deliquit, id eſt, quoad inſtitutionem. Cætera verò capita firma manent. *Auth. ex cauſa, C. de liberis præteritis*, quod exemplum etiã Accurſius in argumentum adducit ad *d. titul. 38. in verbo, partem.*

35. D. *Quid ſi feudum fuerit indiuiduum?*

M. Si feudum non recipiat diuiſionem, vt pro parte

auferri, pro parte relinqui vaſallo non poſſit, hoc caſu putarim ſtricto iure totum ei adimi poſſe. Benignius tamen fortaſsè fuerit, vaſallo mendacii conuicto multam aliquam irrogare & feudum relinquere.

37. D. *Quid ſi neq; feudum totum neq; eius partem, ſed tantum conditionem aliquam vaſallus abnegauerit?*

M. Tum non ipſo feudo, ſed conditione tantum illa expoliabitur, *d §. vaſallus, t. 26. lib. 2.* ſecundum veriorem Cuiacii lectionem.

38. D. *Quid ſi non ipſum feudum neq; conditionem eius, ſed inſtrumentum inueſtituræ duntaxat abneget, an ob id feudo ipſo priuabitur vaſallus?*

M. Qui inſtrumentum inueſtituræ (quod *breue teſtatum* vocatur) abnegat, aut celat dolo malo, hunc quoque feudo priuari poſſe ait *Schraderus part. 9. cap. 6. nu. 23.* quod licèt ſatis durum videatur, ideoque contrariam ſententiam probabiliorem exiſtimet *Henricus Bocerus*; tum quia inſtrumentum feudi non ſit feudum ipſum: Ob alias autem res domini à ſe celatas non debeat vaſallus feudum amittere, vt ſupra dictum: tum quia pœnæ non debeant adiuuari interpretatione, ſed potius reſtringi ac molliri, vt eſt in regula iuris, & *l. 19. cum quidam. D. de liber. & poſt.* tamen eatenus defendi & tolerari poteſt ea ſententia, ſi aliter quàm ex pactis inueſtituræ inſtrumento comprehenſis conſtare non poſſit de conditionibus feudi. Tunc enim certè vaſallus, qui breue teſtatum fraudulenter ſupprimit, quid aliud quàm conditiones feudi abnegat? Proindeq; non quidem ipſo feudo, ſed illis conditionibus, quæ fortè pro ipſo erant, priuabitur, ſecundum ea quæ paulò ante dixi. Neq; ita planè ſeparatum eſt inſtrumentũ feudale à feudo, vt aliis rebus domini, quæ planè ſeparatam à feudo naturam habent, annumerandum ſit. Immò qui tradit inſtrumentum mancipiorum animo donandi, ipſa mancipia donaſſe videbitur, *l. 1. C. de donat.* & qui legat chirographum, nomen ipſum eo comprehenſum legaſſe cenſetur, *l 44. ſeruum filij, §. Eum qui chirographum. D de leg. 1. l. 59. qui chirographũ. D. de leg. 3.* ſicut etiam is qui furatur chirographum, tenetur de ſumma in eo comprehenſa, *l. 27. qui tabulas, cum ſeqq. D. de furtis.*

39. D.

39. D. *Quid ſi vaſallo vno abnegante feudum, eiuſq; conditionem, alius fortè conſcius ei ſit, huius mendacij, tenetur ne domino id patefacere ſub pœna priuationis feudi?*

M. Immò alius vaſallus, quamuis ſciens hoc non patefaciat domino, tamen feudum non amittit. Non igitur nocet ei tacuiſſe, *d. §. vaſallus, t. 26.*

40. D. *Sed an non vaſallus ea ipſa reticentia facit contra Iuſiurandum ſuum, quo promiſit, ſe adiuturum dominum in recuperanda retinendaque re, quam contigerit eum iniuſte amittere, verſic. & ſi contigerit, tit. 7. lib. 2. Atqui hæc reticentia alterius vaſalli maximè damnoſa eſt domino, cum tamen vaſallus in memoria habere debeat etiam Vtile, vt eſt tit. 6. eod. lib. An non deniq; veritas æquè læditur tacendo quàm falſum dicendo?*

M. Exclamat quidem *Zaſius num. 53. part.* 10. hîc inter ſe pugnare iura feudalia, verum non eſt hæc vera pugna, ſed tantùm adparens, ſiue, vt Græci vocant *ἐναντιοφανής*. Iurauit quidem iſta vaſallus, ſed ita demum, ſi eius opera requiratur, *§. etſi, & §. licèt vaſallus, tit. 26. lib. 2.* Non enim cogitur vltrò ſe offerre, niſi magnum periculum ſciat domino imminere, de eo demum cogitur ipſum certiorare, *§. prætereà ſi vaſallus, tit. 24. libr. 2. & d. §. licet vaſallus.* Nullo autem modo ſe obſtrinxit illo iureiurando ad delatoriam quandam curioſitatem, hæc enim à nemine exigitur, vt eleganter *Vlpian. in fin. leg. 6. D. de iur. & fact. ignor.* Rectiſſimeque hoc ſcripſit *Cuiac. ad tit. 5. libr. 4. feud.* non omnia quæ in rem ſunt domini indicare domino vaſallus debet; ſed ea tantum, quæ ad domini vitam, exiſtimationem, & patrimonii grandem iacturam ſpectant: per *dictum §. præterea. Zaſ. dict. loco*, putat etiam hanc rationem reddi poſſe; quia nemo debet ſeſe vltrò in teſtem offerre non rogatus. Vnde etiam inter generalia Interrogatoria ſuper quibus teſtes examinantur quæri ſolet, an teſtis ſe obtulerit. Nam qui ſe obtulit, hoc ipſo ſuſpectum ſe reddidit. Addit etiam ex Ciceron. Epiſtolarum familiarium; *Neminem in rebus alienis curioſum eſſe debere*, quod pertinet ad *l. culpa 36. D. de Regulis Iuris, & ad leg. conſulta 23. Cod. de teſtamentis*, & extat hac de

re inſignis Commentarius Plutarchi *περὶ πολυπραγμοσύνης*: item totus liber ſextus *Ioannis Spinai contrà curioſitatem* directus eſt, illuſtribus & ſententiis, & Exemplis refertiſſimus. Quod poſtremò loco dicebas, veritatem æquè lædi reticentia veri, atque proferendo falſum, id non eſt vſquequaque verum; ſed tum demũ valet, quando quis vel interrogatur de dicẽda veritate ſicut teſtis, vel aliàs vltrò ſua ſponte eam propalare tenetur officii ratione. Alioquin enim futurum eſſet, vt curioſitatem quandam delatoriam in vitam humanam introduceremus, quæ meritò exoſa eſt legumlatoribus, vt paulò antè audiuiſti ex *l. culpa, de Reg. iur. & l. 23. C. de teſtam. & ex l. 6. D. de iur. & fact. ignor.*

41. D. *Dixiſti, mendacium etiam iure ciuili multis caſibus puniri? Eos igitur nunc velim in memoriam mihi reuoces prius, quàm ad alias feudi amittendi cauſas procedas?*

M. Faciam, vbi prius admonuero & de mendacii definitione, & de differentia quæ eſt inter mendaciũ dicere & mentiri. Mendacium eſt falſæ vocis ſignificatio cum intentione fallendi. Ita ex B. Auguſtino definit *Accurſius in l. de ætate, §. ſi cum eſſet. D. de interrog. act. Intentionem fallendi* vocat Auguſtinus, quod Iuriſconſulti ſolent *dolum malum* dicere, quo ſine nec falſum nec mendacium, nec vllum aliud crimen committitur. Porrò inter mendacium dicere & mentiri, quamuis vulgò ferè hæc confundantur, tamen hoc intereſt, quod qui mentitur, ipſe non fallitur, ſed alterum fallere conatur; immò quantum in ſe eſt, fallit: qui verò mendaciũ dicit, ipſe fallitur. Ideoq; vir bonus cauere debet ne mentiatur; prudens ne mendacium dicat. Alterum incidit in hominem, alterum non; vt argutè diſtinxit *P. Nigidius Figulus* homo acutiſſ. teſtè *Gell. li. 11. c. 11.* Incidit in hominem dicere mendacium; id eſt, poteſt hoc adcidere homini, etiam viro bono, vt mendacium dicat, deceptus videl. ab alio, & referens, quod adcepit, pro vero, licet falſum ſit. Humanum quippe eſt errare, labi, decipi; at mentiri non incidit in hominẽ, id eſt, nemo caſu, ſed quiſq; ex propoſito aliud dicit, quàm ex animo ſentiat verum eſſe. In ſumma, decipi quis poteſt inuitus: decipere autem niſi volens non poteſt. Caſus autem qui-

bus etiam ius ciuile mendacio & inficiationi pœnam propoſuit, nouem inſigniores breuiter recenſebo; reliquos aliunde te petere iubebo. Primùm igitur ſocius, qui actione pro ſocio conuentus negat ſe ſocium eſſe, perdit beneficium competentiæ, quod aliàs haberet, videlicet ne in ſolidum condemnetur, & iam propter mendacium iſtud in ſolidum tenetur, non autẽ in quãtum facere poteſt, *l.63.§.hoc quoq;, & l.etiamſi, §.vlt.D. pro ſocio.l.22.§.vlt.D. de re iud.* Secundò, qui abnegat propriam ſcripturam, is conuictus amittit beneficium exceptionis non numeratæ pecuniæ, immò in duplum quoq; condemnatur, *Auth. contra qui propriam. C. de non nu.pecun.* Tertiò, fideiuſſor qui negat ſe fideiuſſiſſe pro aliquo, conuictus perdit beneficium diuiſionis, quod alias ex Epiſtola D.Hadriani inter plures fideiuſſores locum habet, *l.10.§.ita demum.D.de fideiuſſor.* An autem inficiator talis perdat beneficium excuſſionis, quod vocant, ſiue ordinis, argumenta & auctoritates in vtramque partem refert *Anton. Teſſaurus decis. 50.* Quartò, qui abnegat depoſitum certis quibuſdam caſibus (vt incendii, ruinæ, naufragii vel tumultus cauſa factum) is pœnæ cauſa in duplum condemnatur, *l.1.D.depoſiti §.in duplum & §.ſed furti.Inſtit.de Action.* Quintò, qui damnum à ſe datum inficiatur, etiam in duplũ tenetur actione *l.Aquil.* quæ aduerſus confitentem alioquin ferè eſſet ſimpli, *§. Vi autem bonorum. verſic.ſed & L.Aquil.d.§.in duplum & d.§.ſed furti. Inſtit. de Actionib. §.Ex quibuſdam.Inſtit.de oblig.quæ quaſi ex contractu.* Sextò, qui negat legatum ad pias cauſas à ſe relictum, is alterum tantum pro pœna ſoluere cogitur: neq; ſolum ob inficiationem, ſed ob dilationem quoq; ſolutionis hîc creſcit lis inficiando, *d.§.Ex quibuſdam, & d.§.Vi autem bonorum.* itẽ mixta eſt actio. *Inſt.de action.* Septimò, heres negans rem aliquam eſſe hæreditariam, in mendacio deprehenſus, perdit beneficium Legis Falcidiæ: vt probaui ad *Inſt De Lege Falc.* Octauò, poſſeſſori qui inficiatur poſſeſſionem rei aufertur illa & adiudicatur actori, qui rei vindicationem aduerſus eum inſtituit, vt eſt in *l.vlt. D. de rei vind.* IX. Sic ſi quis cum ex ſemiſſe heres eſſet, in iure interrogatus reſponderit ſe ex qua-

drante hæredem eſſe, mendacii hanc pœnam feret, vt in ſolidum conueniatur, non enim debuit mentiri, dū ſe minoris portionis hæredem adſeuerat, *l.11.de ætate*, §.3.*ſi cum eſſet.D.de interrog.* X. Sic cui ſimile eſt quod dicitur in *l.17.ſi ſeruus, eod.tit.* Si plures domini eiuſdem ſerui omnes mentiantur, ſuum non eſſe, vnuinquemq; eorum teneri inſolidum qui poſſidet rem iure pignoris vel alio aliquo, & conuentus à creditore, licèt poſteriore, negat rē fuiſſe ſui auctoris, propter pœnam mēdacii multatur poſſeſſione, quæ ad actorem transfertur. *Auth. item poſſeſſor. C. qui potiores in pignore habeantur & N.*18. XI. Sic etiam punitur qui ſe Emphyteutam eſſe negauerit. XII. qui tutorem. XIII. qui libertū. XIIII. qui filiumfamilias. XV. qui deniq; ciuem: de quorum pœnis videte *Iaſon. ad l.5.quod te. D.de reb.cred.ſi cert.pet.* & *Teſſaurum Deciſ.*50.

42. D. *Videris iam ſatis dixiſſe de ijs culpis, quæ in cōmittendo conſiſtunt, & quidem aduerſus perſonam ipſam domini. Nunc priusquā tranſeas ad eas culpæ ſpecies, quæ vel circa res domini à vaſallo committitur, vel eas quæ aduerſus alios ſiue domini poteſtati adſectluive ſubiectos, ſiue prorſus extraneos audire ex te cupio eas culpas, quæ in omittēdo ſunt poſitæ, cum videl. vaſallus omittit aliquid, quod ratione officij facere debebat. Hoc enim conſentaneum videtur, & conſequens ſuperiori tuæ partitioni?*

M. Probè meminiſti. Huiuſmodi autē culpæ omiſſionis ſpecies quaſi octo conſtituere poſſumus, quas ordine ac breuiter exponā, dū tamē hoc memineris, in quibuſdā ſimul vtrūq; cōcurrere, & culpā, inquā, omiſſionis, & culpā cōmiſſionis; quód deinceps in exēplis erit manifeſtius. §.43. D. *Quæ eſt prima ſpecies culpæ omiſſionis?*

M. Si vaſall⁹ intra tēpus lege definitū nō petierit renouationē inueſtituræ; culpa hæc eſt in omittēdo conſiſtens, ob quā dign⁹ eſt qui feudo priuetur, videtur.n. dominū ſuū contēſiſſe. Tēpus autē illud in feudo quidē nouo eſſe arbitrariū, in antiquo autē eſſe annū & diē, idq; indiſtinctè: nō autē in aliis annū & diē; in aliis annū & mēſem, ſupr. dixim⁹ in loco de inueſtitura. Oportet autē renouationē petere intra illud tēpus, ſiue mortuus fuerit prior domin⁹, ſiue prior vaſall⁹. illo caſu ab

hærede

hærede domini, iſto ab hærede vaſalli; quoties, inquã, mors vel domini feudi, vel vaſalli interuenerit: ſo offt ſich ein Fall begibt. Vide *t.22.li.1.& 2.feud.t.24.in pr.& t.40.§.vl.& t.52.§.vl.& t.55.§.præterea ſi quis inſeudatus.*

44. D. *Sed vnde hoc tempus numerare incipimus?*

M. Currit annus & dies non à tẽpore mortis, ſed à tẽpore ſcientiæ, quando videl. vaſallo innotuit vel innoteſcere potuit mors prioris vel domini, vel vaſalli. Craſſa tamẽ & ſupina ignorantia non erit excuſata, ſi fortè vaſallus ignoret, qđ omnes in ea ciuitate ſciũt, vt rectè *gl in verb. vltra annum, d.t.22.li.1.* Sit igitur hæc prima exceptio, qua ceſſat regula de priuatione feudi ex hac cauſa, nẽpe, iuſta & probabilis ignorantia mortis alienæ. Altera exceptio huic vicina eſt, ſi vaſallus rẽ feudalẽ eſſe ignorauerit *arg.§.ſi vaſallus feud alien igno.t.26.li.2.* Ratio vtriusq; eſt eadẽ; quia dolus in ignorantẽ non cadit. Sola autẽ doloſa omiſſio nocet, *d.t.52.§.vl.* Tertia exceptio ſiue excuſatio a pœna caducitatis, eſt vaſalli ætas pupillaris, id eſt, ſi nondũ ſit natus annos 14. *Zaſ.p.7.n.8.* quam ætatem Feudiſtæ longè aliter quàm ius ciuile nunc *infantiam* vocant, nunc *minorem ætatem*, nunc *impuberem*, vt *d.t.22.li.1.* vbi tamen alii legunt, *infamiã*; vt monuit *Accurſ.* Sed *Hot.* & *Cuia.* retinent *infantiam*, *§.ſi minori, & ibi Accur.* quẽ ſequuntur *Hot.& Cuia.t.26. iuncto §.præterea ſi quis, t.55.* Licet aliàs Longobardi minorẽ vocent eũ, qui eſt inf. annos 18. vt notauit *Hoto.in Lex.feud.& ad d.§.ſi minori.* Ratio huius Exceptionis eſt, quia hæc ætas non eſt doli capax. Sola autem doloſa omiſſio nocet, vt paulò antè dictum. Vt taceã, quod qui ea eſt ætate quę ignorat quod videt, vt ait *l.1.verſ.impuberes.C.de falſa monet.* fidelitatem quoq; iurare non poteſt, *d.l.ſi minori, cum §.ſeq.t.26.* Putat autem Accurſ. & pleriq; alii quos refert *Iul.Clar.q.49.num.5.* ex hac cauſa læſo minori ſuccurri per reſtitutionem in integrũ vſq; ad 25. annũ cum hoc ipſo ſit læſus, quod intra id tẽpus inueſtiturã nõ petiit: de qua tamẽ nõ immeritò dubites, ſicut ipſe quoq; hæſitanter hoc ponit: fortè inquit, *reſtituitur in integ.* Illud hîc obiter obſerues: non diſtingui in feudis inter ſexũ quoad pubertatẽ, quẽadmodũ

iure ciuili inter mares & fœminas hac in re diſcrimen eſt, vt voluit Baldus, quem ſequuntur plerique ad *d.* §. *præterea*, *tit.* 53. *Vide Borcholtum cap.* 8. *nu.* 17. Quarta Exceptio eſt, ſi iuſta aliqua cauſa interuenerit, quæ vaſallum à pœna caducitatis excuſare poſſit: cuiuſmodi cauſæ recenſentur iſtæ: capitales inimicitiæ, item iuſta abſentia, verbi gratia, Reipubl. cauſa vel ſtudiorum. Inimicitias autem capitales pleriq. intelligunt eas quas exercet vaſallus cum ipſo domino feudi, quibus tamen non ipſe, ſed dominus cauſam præbuit. Et quidem hoc ampliatur, etiamſi dominus ſaluum conductum vaſallo obtulerit, cui vaſallus ſe committere non cogitur, vt videre eſt apud eundem *Borcholtum nu.* 10. 11. *& ſeq.* vbi & hoc ex *Iacob. Menochio libr.* 2. *de arbitrariis iudic. caſu* 110. rectè refert arbitrio iudicis definiendum eſſe, quænam ſint capitales inimicitiæ. Sic, inquam, pleriq; Feudiſtæ. Alii tamen volunt, intelligi debere inimicitias cum aliis ſuſceptas. De abſentia porrò iuſta, quod dixi, ſic intellige: niſi procuratorem relinquere potuerit vaſallus, nec tamen reliquerit, per quem inueſtiturã petere potuiſſet, *gl. in d. t.* 22. *li.* 1. *Feud.* quã & *Cuiac.* ibidem probat. Vide etiam *d. t.* 40. §. *vlt.* Deinde abſentiã intelligere oportet nõ modò vaſalli, ſed etiã domini: niſi dominus conſtituerit procuratorẽ, qui ſuo nomine renouationẽ inueſtituræ concederet. Poteſt enim inueſtitura per procuratorem & dari & accipi, vt ſupra *d. per* §. *vtrum*, *t.* 3. *li.* 2. *feud.* Sic ſi iter ſit intutum propter metũ contagionis peſtilentis, vel incurſum latronũ aut hoſtium, aut propter bella. Item ſi acciderit incarceratio, vel captiuitas vaſalli, &c. de quib. Dd. tractant ad *d. t.* 21. *li.* 1. *feud.* Facit huc *l.* 2. *D. ſi quis caut. & gl. in c. imputari, de R. I. in* 6. Quinta exceptio eſt, niſi controuerſia de feudo fuerit mota, & antequam lis decidatur, tempus fuerit elapſum. Nam & hîc nihil eſt, quod imputari poſſit vaſallo, qui lite impeditus & incertus eſt redditus. Vide *Matth. de Affl. ad d. tit.* 22. Sexta Exceptio eſt, niſi mortuus ſit vaſallus infra prædictum tempus. Tunc enim hæres eius in feudo antiquo habet annũ & diẽ nouiter cõputatũ à morte vaſalli, nõ attẽto tẽpore quod iã cucurrerat vaſallo priore. Dixi, *in feudo antiquo*: nam in feu-

do no-

do nouo, id eſt, quando filius ſuccedit patri, qui primo adquiſiuerat feudum, coniungitur tempus anteceſſoris cum tempore ſucceſſoris. Quam diſtinctionem plerique omnes probant, ſecuti *Aluarot. ad d. titul.* 22. Vide & *Borcholt. cap.* 8. *n.* 8. & 9. cum ſeq. Ratio differentiæ, quia in feudo nouo filius patri tantum ſuccedit, & pro vna perſona cum ipſo reputatur: In feudo antiquo ſucceditur non tàm vltimo defuncto, quàm vlterioribus & primo adquirenti ſuccedit. Septimo excuſatur vaſallus à pœna caducitatis, ſi dominus ab eo poſt ceſſationem anni & diei, id eſt, poſt feudum ſibi commiſſum denuò receperit ſeruitia, idq; ſciens ac prudens, & nulla adiecta proteſtatione. Hac enim receptione ſeruitiorum videtur pœnam caducitatis remiſiſſe, *gl. in verb. & menſem, verſic. ſed pone, & in verbo damnetur, verſic. ſed ſi dominus, in d. tit.* 22. *D. ibidem. Aluarottus ad* §. *licet, tit.* 26. *lib.* 2. *Iaſon ad l.* 2. *Cod. de iure Emphyt. num.* 124. Dixi, *ſciens:* Aliud enim eſt, ſi ignoranter ſeruitia poſtulauerit, aut vltrò oblata receperit: nam nemo ignorans ſuo iuri renunciaſſe videtur, *l. nec ignorans, C. de donationibus.* Dixi etiam, *nullâ adiectâ proteſtatione.* Nam ſi dominus ſeruitia denuò recipiens, proteſtatus fuerit, ſe ſaluo iure ſuo ſeruitia recipere, non præiudicat ſibi, neque cenſetur caduci pœnam remiſiſſe. *Aluarot. & alii ad d. tit.* 22. Octaua exceptio eſt, niſi infamia interuenerit domini, ſecũdum lectionem quorundam in *d. tit.* 22. Ratio eſt, quia cum infamibus nullum nobis commercium eſſe debet, quibus & portæ dignitatum non patent. *c. infamibus. De R. I. in ſexto, l.* 2. *C. de dignitatibus, libr.* 10. atque hæ ferè ſunt iuſtæ excuſationes à pœnâ priuationis, quæ aliàs imminet vaſallo ob non petitam inueſtituram intra iuſtum tempus: de quibus etiam vide *Iacob. Ardizonem in tract. de feud cap.* 72. Et de pleriſque etiã explicat *Borcholdus initio cap.* 8. Huic non eſt diſſimile, quod etiam emphyteuta qui nõ ſoluit canonem, ob iuſtum impedimentum excuſatur à pœna priuationis, vt docet *Iaſon ad d. l.* 2. *n.* 63. *C. de iure emphyt. Phil. Decius conſil.* 138. Hanc porrò cauſſam amittendi feudi elegantib. verſibus complexus eſt *Gunther. lib.* 8. quos hîc referam priusquam ad alia pergamus:

Succeſſor feudi totum ſi fortè per annum,
Atque diem tacito prima iam tempore pubis,
Siue dolo, ſeu deſidiâ, ſeu mente ſuperbâ
Spreuerit à domino feudalia poſcere iura,
Perdat, & hæc dominus proprios adſumat in vſus.

45. D. *Quid ſi elapſo iam anno & die veniat vaſallus inueſtituram petens, poteritne moram purgare atq; ita effugere pœnam caducitatis?*

M. Quanquã non deſunt, qui admittãt moræ purgationẽ, ſi fiat antequam dominus declarauerit volũtatem ſuam de priuatione, vt videre licet apud *Vulteiũ lib.1.de feud.c. 11. n. 23.* tamen verior videtur contraria ſentẽtia, quæ confirmari poteſt his potiſſimum rationib. Prima eſt ſumpta à ſimili: Emphyteutæ non conceditur morę purgatio, ſi poſt ceſſationẽ triennii afferat canonem, idque ſecundum rigorem, teſte *Matth. de Afflict. deciſ. 714. Et Iulio Claro in §. Emphyt. q. 8. num. vltim. Franc. Conano lib. 7. comment. cap. 13. n. 9. Giphanio deniq; ad tit. C. de iure Emphyteutico,* vbi ait, huic iuri nõ potuiſſe derogari per Papam in *c. potuit. extra de locatione,* quo permiſit, poſſe moram celeri ſatisfactione purgari. Si igitur hęc purgatio non cõceditur Emphyteutæ; Ergo neq; vaſallo permitti debet, ob paritatem rationis. Vtrobiq; enim mora eſt in rẽ, quæ non poteſt purgari. Secundo, quia quandocunq; pœna alicui imponitur à legib. ob maleficium, ibi nec moræ purgatio, nec pœnitentia locum habet: ſicut de pœnitentia alias dixi, neminẽ eã deſinere nocentem eſſe, alioquin pleriq; omnes impunè euadere, & legũ pœnas ſimulatione pœnitentię eludere poſſent. *l. 65, D. de furtis, l. pen. D. vi bonorum raptorum, l. 1. §. ſi rẽ, D. depoſiti, l. ſi inſulam, vbi Bart. Iaſon & alii, itemq; Zaſius n. 35. & ſeq. D. de V. O. vide etiã l. 19. D. de leg. 2. l. 35. Qui ob rem, D. de cõdict. indeb. l. 10. D. de fideicõmiſſ. libert. cum ſimil.* Tertio, quia vaſallus ex iſta ceſſione anni & diei feudũ perdit ipſo iure, ita vt id redeat ad dominũ. ſic enim ſonant textus, in *d. t. 24. in pr. & d. t. 55. in §. præterea,* vt vno ore traditum eſt ab Interpretib. Quartò, quia ius ſemel quæſitum non poteſt domino auferri abſq; ſuo facto. Fieret autẽ hoc, ſi purgationẽ morę inuitus admittere cogeretur. *arg.*

l. 11.

l.11.id quod noſtrum,D. de R.I. Quintò purgatio moræ ex bono & æquo fit teſte *Paul.in l.91.ſi ſeruū,§.ſequitur, D.de V.O.* Non patitur autē æquum & bonum, vt quis lucrū reportet, & conditionē ſuam meliorē faciat ex dolo ſuo,*l.1.D.de dolo malo,l.1.§.1.D.de doli mali & metus except.* & indignus legū auxilio videtur,qui in leges auſus eſt cōmittere.*l.37.in fin.D.de minorib.* Quæ autem huic ſentētiæ obiici ſolent,non adeò magni ſunt momenti & diſputationibus reſeruari melius eſt.

46. D. *Audiui primam ſpeciem culpæ omiſſionis; dic age & reliquas?*

M. Secunda ſpecies eſt, ſi vaſallus cum reſciuiſſet vel periculum vitæ domino imminere, vel capturam (ſic.n.interpretor *captionem*, quam vocat Feudiſta, licet alias in iure ciuili captio ſæpè deceptionē & fraudationē ſignificet) vel grandē patrimonii iacturam domino imminere, non tamē de ea certiorē ipſum quantocius fecerit, vt ſc.domin⁹ periculū declinaret, aut, cū poſſet, eā ope ſua nō auerterit. *§.præterea t.24.li.2.verſ.vtile,& verſ.etſi cōtigerit t.6.li.*2. Et quidē iſta omiſſio nō tātū ſi doloſa fuerit, vaſallū feudo indignū facit, verum etiam ſi ex negligentia tantùm proficiſcatur. *d.§ præterea, verſ. quod ſi non fecerit. vbi Accurſius* hoc notandum monet, etiam ex ſola negligentia feudo aliquem priuari.

47. D. *Quæ eſt tertia ſpecies?*

M. Si vaſallus requiſitus nō præſtat domino ſeruitia, quæ pro feudo ei debet: ſi domino ſuo deſeruire noluerit, vt ait Feudiſta in *§.1.t.21.li.1.* Qua quidē non eſt alia iuſtior cauſſa beneficii auferēdi, vt ait *Obertus Ortenſius,§ ſed non eſt alia,d.t.24.* Nam cum beneficium detur propter officium, ceſſante officio, merito etiam ipſum ceſſabit beneficiū. Facit huc, quod ob cauſſam datum cauſsâ non ſecuta poteſt condici. *toto t. De condict.cauſa dati, cauſſa non ſec. & tit.C.de don. quæ ſub modo.* Vnde etiam in *d.t.* 21. addit Feudiſta, ob *denegata ſeruitia* proponi condictionem cauſſa data, ad repetēdum feudum. Sed de actionibus infra ſeparatim. Sic & conductor ſi nō ſeruet legem locationis, itemq; emphyteuta, qui nō ſeruat legē contractus, expelli poteſt à locatore, itemq; à domino emphyteuſeos. Notabis autem, quod dixi, *requiſitus*, id eſt, cum ſeruitia ab eo

poſtularentur. nam vltrò ea offerre non cogitur, vt alias dixi ex §. *etſi vaſallus, & §. licet, tit. 26. lib. 2. & ex tit. 21. lib. 1.* Exceptio eſt, niſi fortè iuſta impedimenta vaſallo obſtiterint, quo minus ſeruitia domino exhibere poſſit. tunc enim feudum non amittit; quæ exceptio ab ipſo Feudiſta additur in *d. §. ſed non eſt alia, verſic. aliud eſt.* Quodnam autem iuſtum ſit impedimentum, relinquendum eſt arbitrio parium curiæ, tãquam iudicum in hac cauſſa. Ad hanc culpę ſpeciem refero, ſi vaſallus munera iuſtæ militiæ à domino vocatus detrectet, neque dominum comitetur in bello. Quam tamen proficiſcendi neceſſitatem poteſt vitare vel alio æquè idoneo pro ſe miſſo, vel datâ parte fructuum eius anni ſiue datis hoſtenditiis, de quib. ſupra dictum ex §. *ſimiliter, tit. 40. lib. 2. & §. firmiter, tit. 55.* Suntq; hac de re inſignes verſus *Guntheri lib.* 8. quos alibi retulimus & expoſuimus.

Pertinet quoque huc illa ſpecies officii, quo vaſalli Imperatoris ad comitatum Principis euocati, dũ proficiſcitur ad coronationem ſuſcipiendam præſto eſſe debent, atque ad delectum reſpondere, idque ſub pœnâ priuationis feudi. Qua de re ſic ait idem Guntherus libro ſecundo:

At quicunque domi domino nolente relictus
Defuerit, feudo priuari curia cenſet.

Vbi etiam hiſtoricus ille refert, Epiſcopum Halberſtatenſem & Bremenſem ex tali nota amiſiſſe regalia iura, id eſt, feuda ſua, & complures alios cenſura vindice regni amiſiſſe, diu tali poſſeſſa reatu, quod nimirum Friderico I. expeditionem ſuſcipienti in Italiam defuiſſent. An autem poſſit vaſallus talium ſeruitiorum libertatem præſcribere ſeſeque præſcriptione aliqua tueri, aliàs vidimus.

48. D. *Quæ eſt quarta ſpecies culpa omiſſionis?*

M. Si vaſallus dominum in prę lio campeſtri ſiue in acie dimiſerit ac deſeruerit periclitantem, non mortuum nec ad mortem vulneratum, vt initio *tit. 5. & in fin. tit. 21. lib. 1. Feud. & §. item qui dominum, tit. 24. & tit. 57.* in verbis, *ſeu in campeſtri bello.* Quanquam hęc deſertio ſimul etiam factum quoddam ſeu cõmiſſionem

com-

complectatur, videlicet, fugam. Dixi: *non mortuum, nec ad mortem vulneratum.* hæc enim duo hoc in loco æquiparantur: & qui in prælio mortiferum vulnus accepit, pro iam mortuo habetur; quamuis aliàs non ſoleant hi duo ęquiparari, vt eſt *textus in l.11.§ Celſus ſcribit, D. ad l. Aquil.* Differentiæ rationem hanc eſſe puto, quia tempore prælii ſemper difficilior ſolet eſſe curatio, quàm in pace. A contrario igitur ſenſu licebit vaſallo mortuũ vel mortifero vulnere percuſſum impunè deſerere abſque metu priuationis, & ſuæ ſaluti conſulere quoquo modo poteſt, cuius expediendæ omnis iam honeſta eſt ratio. In ratione huius rei inueſtiganda non opus eſt Oedipo. nam fruſtrà tunc amplius adſiſteret domino & propugnaret: nec ipſi, inquam, prodeſſet, & ſe in præſentaneum diſcrimen coniiceret, ac in ſeipſum crudelis eſſet.

49. D. *Sed vnde æſtimabitur vulneris qualitas, an fuerit letale nec ne?*

M. Arbitrio iudicis hoc definietur, adhibito conſilio medicorum, quibus tanquam peritis in ſua arte credendum eſt. Vide *Nicol. Boerium in deciſ. quæſtion. 323. & Iacob. Menoch. libr. 1. de arbit. iud. Quæſt. caſu* 275. vbi aliquot ſigna & coniecturas recenſet vulneris letalis, vel nõ letalis, quas etiam *Borcholdus refert, c.8.n.* 89. & 90. ſed hæc omittamus, vtpotè, quæ ſint magis medica, quà iuridica.

50. D. *Quid ſi dubium ſit, an vulnus fuerit mortiferum?*

M. In dubio Iudex pronuntiabit, vulneratum non eſſe mortuum ex vulnere. *Menoch. d. loco num.* 13. *argum. l. pen. D. de pœn. & l.* 155. *§. vltim. D. de Reg. Iur.* quod tamen haud ſcio, an in noſtro caſu non habeat locum.

51. D. *Quid ſi vaſallus per errorem putet dominum eſſe mortiferè vulneratum, cum tamen is, vel planè vulneratus non eſſet vel certè non letaliter, atque ita fugiendo ipſum deſerat?*

M. Nonnulli putant ob id feudo priuandum non eſſe: de quo *Franc. Sonsbeccius parte* 12. *num.* 13. ſed fuga vaſalli non tantum doloſa, verùm etiam ea, quæ ex

negligentiâ & culpâ fit, omninò eſt coercenda. *arg. d. §. præterea, tit. 24. libr. 2.* niſi forte vaſallus fuerit deceptus falſo rumore, cui tamen non temere fidem adhibere debuit.

52. D. *Dixiſti vaſallum feudo priuari poſſe, ſi dominum periclitantem in acie deſeruerit: quid igitur ſi nondum impendente periculo eundem deſtituerit?*

M. Videbatur à contrario ſenſu dicendũ, hoc caſu eum non incidere in pœnam priuationis. Et ita quidem multi voluerunt *Dd. ad §. item qui dominum, t. 24.* Sed contrarium verius videtur, etiã hunc eſſe dignum cui feudum auferatur; quia nimirum exemplo ſuo aliis nocuit, & præſidio ſuo dominum orbatum hoſtibus obiecit, contra quos ſatis eſſe tutus poterat, ſi rem amiſiſſet. Accedit huc, quod ille quoq; qui tãtùm denegat ſeruitium domino feudi, tamen feudo priuari poteſt, vt ſupà audiuiſti, in tertia ſpecie culpæ omiſſionis.

53. D. *Quid ſi vaſallus cum ſciret dominum mouere iniuſtum bellum, cœpiſſet auxilium ei præſtare, poſtea eundem deſerat, mutata voluntate, priuabitur ne feudo?*

M. Hanc quæſtionem proponit *gl. initio t. 5. lib. 1.* & reſpondet, vaſallum hoc caſu feudum non amittere, ſi pœnitentia ductus reſilierit à propugnatione cauſſæ iniuſtæ: quam ſententiam communiter Dd. probant, vt videre eſt apud *Henric. Roſenthal. cap. 10. concluſ. 13. & apud Ludolph. Schrad. p. 6. de feud. cap. 6. num. 87.* Videtur autẽ mihi quoq; ſententia æquiſſima, vt talis vaſallus ob deſertionẽ domini pro cauſſa iniuſta belligerantis feudo non priuetur: primũ, quia ab initio poterat, immò etiã rectiùs debebat ab eiusmodi cauſſa abſtinere, vt ſupra dictum. Deinde, quia à peccato deſiſtere laudabile eſt: ſicut contra ſcientem ac prudentem in malo perſeuerare non modò probroſum, ſed & planè diabolicum eſt. Tãtò enim grauiora ſunt peccata, quantò diutius infelicẽ animam detinent adligatam, vt ſunt elegantes textus in iure canon. *c. 5. in malis, c. 8. vnusquisq; & c. 10. magna ſapientia, 22. q. 4. cap. vltim. ext. de conſuetudine.* Accurſius hanc quoq; rationem adfert, quia ſufficiat, ſi vel in paucis amici labore nobis

conſu-

conſulatur, vt ait Imper. in *l. 20. Tutori C. de neg. geſtis.* ſi tamen dominus etiam in cauſa iniuſta in præſentaneũ vitæ periculum inciderit, volunt quidam, debere eum à vaſallo defendi: in quam ſententiam adlegant textum initio *tit. 28. lib. 2. feud. verſ. ſed cum palam eſt.* vbi tamen diſtinguitur inter defenſionem domini, & offenſionem aliorum pro domino, guerram iniuſtam & irrationabilem faciente, & relinquitur hæc res arbitrio vaſalli: Quod quidem an ſatis rectè fiat, alibi diſputauimus.

54. D. *Nunquam ne igitur vaſallus, qui dominũ deſeruit, à pœna priuationis excuſatur?*

M. Immò ſunt quædam exceptiones: vt prima, ſi dominum deſeruerit, cum eſſet prorſus inutilis ad eius defenſionem, verbi gratia, ſi brachiis abſciſsis aufugit. hoc. n. caſu nihil iuuiſſet dominum vaſalli in prælio permanſio, quo exemplo vtitur *gl. ad d. t. 5. lib. 1.* An autem vaſallus cogatur ſalutẽ domini anteponere propriæ, quam quæſtionem Accurſius ibidem attingit, vt & in *gl. pen. ad tit. 39. lib. 2.* de ea quid ſentiendum ſit, ſupra audiuiſti; nempè poſſe vaſallum ſine repræhenſione propriam ſalutem domini ſaluti anteferre, & antiquiorem habere; ſecus quàm ſeruus domini, de quo eſt *l. 1. §. hic autem quæritur. verſic. ſerui. D. ad SC. Syllan.* Altera exceptio eſt, ſi nimia ſit hoſtium, quibus cum bellum geritur ſæuitia, atq; immanitas, cuius terrore vaſallus fugerit, dominumque deſeruerit: huic enim merito ignoſcetur. Vide *Schrad. p. 6. cap. 6. n. 83.* nam etiamſi vaſallus iurauerit, ſe pro poſſe ſuo, ſiue pro viribus adiuturum eſſe dominum, vt eſt *tit. 7. lib. 2.* tamen id demum poſſe dicimur, quod fieri poteſt commodè. *gl. in verbo, potuerit. d. tit. 39. arg. l. Nepos Proculo. D. de V. S.* Vnde & Ariſtoteles in Ethicis ait, in doloribus ac terroribus, qui ſuperant omnem modum humanæ naturæ, perferendis, fortitudinem non cerni.

55. D. *An etiam pœnitentia vaſallum excuſabit à pœna caducitatis, ſi, cum fugere ac dominum deſerere cœpiſſet, ſtatim redierit, mutato conſilio & domino opitulatus fuerit denuo?* —

M. Videbatur dicendũ ꝙ excuſetur. *l. Quicquid calore*

negligentiâ & culpâ fit, omninò eſt coercenda. *arg. d. §. præterea, tit.* 24. *libr.* 2. niſi forte vaſallus fuerit deceptus falſo rumore, cui tamen non temere fidem adhibere debuit.

52. D. *Dixiſti vaſallum feudo priuari poſſe, ſi dominum periclitantem in acie deſeruerit: quid igitur ſi nondum impendente periculo eundem deſtituerit?*

M. Videbatur à contrario ſenſu dicendũ, hoc caſu eum non incidere in pœnam priuationis. Et ita quidem multi voluerunt *Dd. ad §. item qui dominum, t.* 24. Sed contrarium verius videtur, etiã hunc eſſe dignum cui feudum auferatur; quia nimirum exemplo ſuo aliis nocuit, & præſidio ſuo dominum orbatum hoſtibus obiecit, contra quos ſatis eſſe tutus poterat, ſi rem amiſiſſet. Accedit huc, quod ille quoq;, qui tãtùm denegat ſeruitium domino feudi, tamen feudo priuari poteſt, vt ſupà audiuiſti, in tertia ſpecie culpæ omiſſionis.

53. D. *Quid ſi vaſallus cum ſciret dominum mouere iniuſtum bellum, cœpiſſet auxilium ei præſtare, poſtea eundem deſerat, mutata voluntate, priuabitur ne feudo?*

M. Hanc quæſtionem proponit *gl. initio t.* 5. *lib.* 1. & reſpondet, vaſallum hoc caſu feudum non amittere, ſi pœnitentia ductus reſilierit à propugnatione cauſſæ iniuſtæ: quam ſententiam communiter Dd. probant, vt videre eſt apud *Henric. Roſenthal. cap.* 10. *concluſ.* 13. *& apud Ludolph. Schrad. p.* 6. *de feud. cap.* 6. *num.* 87. Videtur autẽ mihi quoq; ſententia æquiſſima, vt talis vaſallus ob deſertionẽ domini pro cauſſa iniuſta belligerantis feudo non priuetur: primũ, quia ab initio poterat, immò etiã rectiùs debebat ab eiusmodi cauſſa abſtinere, vt ſupra dictum. Deinde, quia à peccato deſiſtere laudabile eſt: ſicut contra ſcientem ac prudentem in malo perſeuerare non modò probroſum, ſed & planè diabolicum eſt. Tantò enim grauiora ſunt peccata, quantò diutius infelicẽ animam detinent adligatam, vt ſunt elegantes textus in iure canon. *c.* 5. *in malis, c.* 8. *vnusquisq;, & c.* 10. *magna ſapientia,* 22. *q.* 4. *cap. vltim. ext. de conſuetudine.* Accurſius hanc quoq; rationem adfert, quia ſufficiat, ſi vel in paucis amici labore nobis

conſu-

conſulatur, vt ait Imper. in *l. 20. Tutori C. de neg. geſtis.* ſi tamen dominus etiam in cauſa iniuſta in præſentaneũ vitæ periculum inciderit, volunt quidam, debere eum à vaſallo defendi: in quam ſententiam adlegant textum initio *tit. 28. lib. 2. feud. verſ. ſed cum palam eſt.* vbi tamen diſtinguitur inter defenſionem domini, & offenſionem aliorum pro domino, guerram iniuſtam & irrationabilem faciente, & relinquitur hæc res arbitrio vaſalli: Quod quidem an ſatis rectè fiat, alibi diſputauimus.

54. D. *Nunquam ne igitur vaſallus, qui dominũ deſeruit, à pœna priuationis excuſatur?*

M. Immò ſunt quædam exceptiones: vt prima, ſi dominum deſeruerit, cum eſſet prorſus inutilis ad eius defenſionem, verbi gratia, ſi brachiis abſciſsis aufugit. hoc. n. caſu nihil iuuiſſet dominum vaſalli in prælio permanſio, quo exemplo vtitur *gl. ad d. t. 5. lib. 1.* An autem vaſallus cogatur ſalutẽ domini anteponere propriæ, quam quæſtionem Accurſius ibidem attingit, vt & in *gl. pen. ad tit. 39. lib. 2.* de ea quid ſentiendum ſit, ſupra audiuiſti; nempè poſſe vaſallum ſine repræhenſione propriam ſalutem domini ſaluti anteferre, & antiquiorem habere; ſecus quàm ſeruus domini, de quo eſt *l. 1. §. hic autem quæritur. verſic. ſerui. D. ad SC. Syllan.* Altera exceptio eſt, ſi nimia ſit hoſtium, quibus cum bellum geritur ſæuitia, atq; immanitas, cuius terrore vaſallus fugerit, dominumque deſeruerit: huic enim merito ignoſcetur. Vide *Schrad. p. 6. cap. 6. n. 83.* nam etiamſi vaſallus iurauerit, ſe pro poſſe ſuo, ſiue pro viribus adiuturum eſſe dominum, vt eſt *tit. 7. lib. 2.* tamen id demum poſſe dicimur, quod fieri poteſt commodè. *gl. in verbo, potuerit. d. tit. 39. arg. l. Nepos Proculo. D. de V. S.* Vnde & Ariſtoteles in Ethicis ait, in doloribus ac terroribus, qui ſuperant omnem modum humanæ naturæ, perferendis, fortitudinem non cerni.

55. D. *An etiam pœnitentia vaſallum excuſabit à pœna caducitatis, ſi, cum fugere ac dominum deſerere cœpiſſet, ſtatim redierit, mutato conſilio & domino opitulatus fuerit denuo?*

M. Videbatur dicendũ ꝙ excuſetur. *l. Quicquid calore*

48.*D.de R.I.* Vbi breui reuerſa vxor, nec diuertiſſe videtur; quia non fecit hoc iudicio animi ſiue ἐκ προαιρέσεως, ſed potius calore & impetu, verius tamen eſt pœnitentiam hic non præſtare excuſationem: idque primum ex generali regula ſuprà tradita, neminem pœnitentiâ ſua nocentem eſſe deſinere. Deinde, quia & is fugitiuus eſt, qui ex fuga rediit, *l.* 17. §.1. *D. de ædil. edict.* Prætereà, quia miles etiam, qui tantum exceſſit agmen, punitur *l.* 3.§.*ſed qui agmen, D.de re milit.* & qui prior fugam iniit, propter exemplum capite plectitur, vt eſt in *l.6.D.eod.tit.* Accedit, quod & illo ipſo momẽto, quo vaſallus fugitiuus dominum deſeruit, maximum in periculum eum coniecit. Vide & *Martin. Laudenſem ad d.t.5.libr.1.& Franc. Curt. in tract. de feud. par. 4.num.12.Sonsbeccium par.12.n.14.*

56. D. *Quid ſi duo ſint fratres commune habentes feudum, quorum vnus dominum deſeruerit, alter manſerit in fide & ſtrenue perſtiterit in defenſione domini, an huius fidelitas illum excuſabit ſubleuabitque à pœna priuationis, an verò nihilominus eam ſuſtinebit, quàm ſi ſolus fuiſſet?*

M. Anceps eſt hæc quæſtio; de qua ita viſum eſt *Baldo & Aluarotto ad tit.5.libr.1.& Iaſoni ad l.1. Cod.de tranſact.* (eamque ſententiam & *Ludolphus Schraderus probat.p.6.c.6.num.91.*) fidem ac perſeuerantiam vnius fratris prodeſſe debere alteri deſertori, eumque ſubleuare ne in pœnam incidat. nam ſæpe propter alios aliquid obtinemus, quod ex noſtra tãtum perſona nunquam obtinuiſſemus: vt eſt exemplum apud *Bartol. in l.præcipimus,§.Ex obſeruando, Cod.de adpellat.& l.3.in fin. D.de alimen.legat.l.ſi communem, D.ſeruitut. quemadm. amit.l.ſi inter duos, D.de liber.leg.Innocentium in c.ad audientiam, ext. de præſcriptionibus. Barbatiam in rubr. extra de officio delegati. & apud Angel.in pr.tit. de inoffic.teſtam.* Alii contra exiſtimarunt, eum, qui ex duobus fratribus fugit, ſua parte priuandum eſſe: quæ ſententia mihi quoque probabilior videtur, de qua *Borchold. c.8.num.87.*ſecutus *Mart.Laudenſem, Curtium: vid. & Nic.Mozzi.in cap. Ex quibus cauſis feudum amittatur.n. 96.item Sonsbeccium p.12.n.13.* Ratio eſt, nę delicta ma-

neant impunita, ſed culpa ſuum teneat auctorem. *l. ita vulneratus*, 51. *D. ad l. Aquil. l. 22. Cod. de pœnis, l. 26. crimen, D. eod.* Neque enim vel innocens odio nocentis prægrauari, vel nocens innocentis puritate gaudere aut ſubleuari debet, *arg. l. 45. & l. 52. §. vlt. D. pro ſocio. l. 8. in fin. & l. 11. §. dominus, & l. vlt. §. Magnus, D. de public. & vectigal. item l. pen. Cod. de condit. inſert. l. 13. D. de manumiſſ. teſt.* quò & illud pertinet ſacrarum literarum effatum, *Vnumquemq; ſuum onus portaturum.*

57. D. *Quid ſi feudum, quod duo fratres commune habent, fuerit indiuiduum?*

M. Hoc caſu exiſtimauerim, fratrem deſertorem domini aliter puniendum eſſe, quàm priuatione ſuæ partis, & locum habere poſſe multam aliquam pecuniariam ratione indiuiſibilitatis.

58. D. *Quid ſi ciuitatis feudum habentis pars aliqua dominum feudi in prælio deſeruerit, num ob id ciuitas feudo, eiusve parte priuari poterit?*

M. Non poteſt, de quo *Roſenthal.* qui plures adlegat *cap. 10. concluſ. 14.* Nam pars ciuitatis neq; contrahendo, neq; delinquendo poteſt nocere toti ciuitati, vt docet *Hartm. lib. 5. quæſt. 37. in pr.* Quemadmodum nec Prælati ſeu Epiſcopi delictum Eccleſia luere debet, vt præclarè ſcribit *Guntherus lib. 2.*

—*Neque enim quod Paſtor iniquè,*
Geſſerit, Eccleſiæ fas eſt in damna refundi.

Quocirca ſi Eccleſia feudum habeat, & peccet fortè eius Epiſcopus aut Prælatus, non quidem ipſa Eccleſia feudum perdet; quia nemo alienam culpam ſuſtinere, aut alieni criminis ſucceſſor conſtitui debet; ſed Epiſcopus ſolus feudo priuabitur. Vide & *Hartm. tit. 54. obſeru. 3.*

59. D. *Satis multa dixiſſe videris de dimiſſione ſeu deſertione domini in prælio. Vnum tamen etiam, priusquam ad alias cauſſas priuationis tranſeamus, quærere mihi liceat. Quid enim ſi domino nihil nocuerit ignaua & probroſa vaſalli fuga, an euadet pœnam priuationis?*

M. Immò adhuc poterit vaſallus feudo priuari, ſecus, quàm *Zaſius putabat p. 10. de feud.* quem rectè reprehendit *Fornerius in comment. de feud. ſub t. de commo-*

do quod dominus ex feudo percipit, *in* §. *Quid ſi auſugerit cliens.* Nam vaſallus iſte, quantum quidem in ipſo fuit, iam prodidit atque perdidit dominum ſuum, qui quod conſeruatus eſt ex prælio ſiue acie, non fidei neq; virtuti vaſalli adceptum ferre debet, ſed vel ſuæ ſtrenuitati, vel etiam caſui ac fortunæ, quæ in bellis plurimum valent. Neque tantum euentus rerum, ſed & conſilia pernicioſa legibus vindicari ſolent, *lege tertia*, §. *ſi quis rem*, *D. de re militari*, & *Cicero pro Milone.*

60. D. *Quæ eſt quinta ſpecies culpæ omiſſionis, ob quam vaſallus feudo excidat?*

M. Si vaſallus dominum ab hoſtib. captũ, cum poſſet, redimere neglexerit. Hoc enim vnũ eſſe ex officiis vaſalli iam ſupra diximus. vide *Schrader. p.9. cap.*8.

61. D. *Quæ eſt ſexta ſpecies?*

M. Si carceri incluſum ſciens dominum nõ liberauerit cum poſſet. nam ad hoc quoq; vaſallũ ſupra probaui teneri, vbi huius rei fundamenta attuli.

62. D. *Quæ eſt ſeptima ſpecies?*

M. Si dominum inopem pro feudi quantitate atque ad dimidiam partem fructuum annuorum alere neglexerit. Hanc enim ſententiam veriorem eſſe ſupra oſtendimus ex *Topic. Nicol. Eberhardi in loco à feudo ad Emphyteuſin*, & *obſeru. Hartmanni*, *item ex Tract. feudali Schraderi p.9. c.*8.

63. D. *Quæ eſt octaua ſpecies?*

M. Si vaſallus domino iuſtitiam facere neglexerit, vt loquitur Feudiſta in §. *illud tamen*, *t.*24. *lib.*2. quæ verba poſſunt quidem triplicẽ recipere interpretationẽ; videlicet primo hãc: ſi vaſallus domino in ſua curia iuſtitiã adminiſtrare ſiue ius reddere recuſet, **wann er jhme das Recht verſagt / oder jmen nicht rechts verhelffen will.** Secundò hanc: ſi in iudicio Parium Curiæ vaſallus non ex æquo & bono iudicet, lite inter dominum & alium vaſallũ agitatâ. Tertio hanc: ſi iuris ſui de feudo experiundi cauſſa non pareat euocatus edictis domini, quibus ad iudicium de feudo vocatus eſt: ſiue quod idẽ valet, ſi per contumaciã iudicio ſe ſiſtere noluerit. Sed poſtremã harũ expoſitionum cæteris omnib. præ-

fert

fert *Cuiac. arg. §. vlt. in fin. t. 22. li. 2. feud.* cum quo etiã *Hotoman.* conſentit ad *d. § illud tamẽ, t. 24.* vbi vocat hãc contumaciã *iudicialem*: Idemq; *Hotom. in Lexico feud.* etiã plures ſignificationes huius formulæ adnotat & exemplis comprobat.

64. D. *Quæ eſt nona ſpecies?*

M. Si vaſallus non ſtuduerit placare ac reconciliare dominũ offenſũ fortè ab aliis, in quos vaſallus aliquid iuris habet; v. g. à filio ſuo, item à ſubuaſallo, *§. inſuper ſi filius vaſalli, t. 55. lib. 2. iuncto §. quæſitum, tit. 51. & §. illud quoque præcipimus, d. tit. 55.* qui textus tanquam commentario illuſtrari poterunt, ſi conferas paraphraſin metricam *Gunther. lib. 8.* quam recitabo:

Si patris dominum vaſalli filius acri
Læſerit offenſa, feſtinet protinus illum
Conciliare pater: quod ſi contemnet agendum,
Munere priuetur. Si verò audire monentem
Filius indomitâ neglexerit aure parentem:
Non erit in feudo ſucceſſor idoneus illo,
Ni prius accenſam domini placauerit iram.
Si tuus ex feudo tuiquam vaſallus id ipſum
Contulit, atque tuo vaſallum munere fecit
Ipſe ſibi, ſi fortè tuam iam tertius ille
Succeſſor meruit factis atrocibus iram,
Nec tibi pro culpâ domino mediante ſecundo
Fecerit ipſe ſatis, reprobato protinus illo,
Ad dominum redeant feudalia iura ſecundum.
Si tuus ille ſuum tibi conciliare fidelem
Spernit, & aut torpens aut perfidus eſſe probatur,
Ambobus ſpretis ad te tua iura recurrent. Hæc Guntherus; ex cuius verbis: *aut torpẽs aut perfidus*, nota obiter, quod & ſup. monui ex Accurſio, *Nõ modò perfidiã ac dolũ, ſed & torporẽ ac negligẽtiã ſufficere ad feudi priuationẽ.*

65. D. *Quæ eſt decima ſpecies culpæ omiſſionis?*

M. Si vaſallus in præſtatione annui canonis, quem domino debet, per trienniũ ceſſauerit, ſecundũ quoſdam dignus eſt qui feudo priuetur: quãuis alii & quidem cõmuniter diſſentiant, teſte *Iulio Claro in §. feudum, quæſt. 51. Schradero part. 9. cap. 6. numero 75. cum ſeqq. & cap. 8. num. 20. & ſeqq. Roſenthal. cap. 10. concl. 19.*

Nec deſunt qui diſtinguant & limitēt, vt tunc demum ſit locus priuationi, ob non ſolutum canonē, ſi feudum principaliter ob canonē ſit conceſſum. tunc.n. verum eſt, nō fieri id, propter quod feudum eſt datum. *arg. §. ſed non eſt alia, t.24. libr.2.*

66. D. *Cupio cognoſcere tàm aientiū, quàm negantium fundamenta, quib. inter ſe collatis, magis eluceſcat veritas?*

M. Eorum qui negant, hæc eſt potiſſima ratio; quia hęc cauſſa amiſſionis in iure feudali nusquā ſit expreſſa. Non debet igitur ab Interpretib. induci, cum ſit odioſa. Nā tametſi de emphyteuſi in iure hoc cautū ſit, eam ob non ſolutū canonē amitti, *l.2. C. de iure emphyt.* (vnde etiā argumentū ad feudum ducunt cōtrarię ſententię auctores) tamē hoc ad feudū produci nō debuit, cū pœnæ nō ſint interpretatione ampliandæ, aut producēdæ. Eorū verò qui aiunt (vt ſunt in primis *Franc. Sonsbec p.12. d.t.n.64. & ſeq. itē Henr. Bocer. in diſp.17. theſi 124. claſſ.4.*) hæc ſunt argumēta: Primū ab emphyteuſi ad feudū, de quo tamen quid hoc caſu ſentiendū ſit, paulò ante audiuiſti. Secundum, quia in prætermiſſione ſolutionis annui canonis aiunt non minus verſari contemptū domini feudi, quā in ipſa denegatione ſeruitiorum perſonaliū. Quare ſicut vaſallus ob nō præſtita ſeruitia feudo priuari poteſt, vt ſupra dictum: ita etiā volunt poſſe ob nō ſolutum canonē. Vbi.n. eadem eſt ratio, ibi idē ius ſtatui debet. Sed hoc ipſum videtur ſatis cōtrouerſum ac dubiū, de pari contemptu, qui vtroq; caſu interueniat: Sicut & illud quod tertio loco adferunt, de ſimilitudine obligationis ad ſeruitiorum perſonaliū & canonis pręſtationē: & illud, quod quartò adlegant de fraude & dolo, quodq; talis vaſallus ſit perfidus in dominū, qui diu in ſolutione canonis ceſſauit. poteſt enim etiam ſine dolo & fraude ac perfidiâ ceſſare & non ſoluere. Quintò inquiūt, vaſallus indignū ſe facit feudo, ſi nō det operā, ne domin⁹ rē, quam habet, habiturusve eſt, amittat. Hoc.n. iurauit ſe facturum, *verſ. et ſi contigerit, tit.7. libr.2.* Sed hoc quoq; argumentum vides quam infirmū ſit. nam per iſtā ceſſationē in ſoluendo canone, nihil rei ſuę, aut iuris amittit domin⁹, cū ſalua ipſi ſit ſua aduerſus vaſallū obligatio,

& canon

& canon, priuſquã ſoluatur, nõ ſit domini: aliud namque eſt noſtrum eſſe, aliud nobis deberi, *l.*27.*D.de auro & arg.leg.* Magis igitur inclino in eorũ partes, qui negant, hãc eſſe cauſam ſatis idoneam priuationis feudi: Aut ſi quis omninò vrgere velit ſententiam aientium, non aliter eam admittedam puto, quam ſi fraudulenter, doloſè ac perfidè vaſallus in ſoluendo ceſſauerit. Dolus autem non præſumitur, ſed à domino pœnam priuationis intentante & vrgente probandus eſſet.

67. D.*Audiui decem ſpecies culpæ in omittendo poſitæ. Atq; ita iam abſoluiſti ea, quæ circa ipſam domini perſonã vaſallus fecit, aut non fecit, ob quæ feudi priuationẽ meritò incurrit. Proximum nunc eſt, vt illas culpæ ſpecies exponas, quæ circa res domini committuntur.*

M. Antè omnia illud tenebis: Res domini hoc loco intelligendas eſſe, tum ipſum feudum, tum alias extra feudum domini proprias. Etſi.n.feudum vaſalli quoq; ſit, & dicatur, tamen non pleno iure ipſius eſt; quia directum, vt vocãt, dominiũ manet domini. Non etiam irreuocabiliter ipſius eſt, quia multis modis extinguitur, atque amittitur, & ad dominum feudi reuertitur. Videamus igitur primum, quomodo ex culpa in ipſa re feudali commiſsâ vaſallus feudo priuetur. Deinde quomodo ex culpa in aliis rebus domini extra feudũ.

68. D. *Quomodo vaſallus circa ipſum feudum malè ſe gerens feudo priuetur?*

M. Duobus ferè modis hoc contingit, primum deterioratione feudi, quod retinet. Secudo, alienatione eius, quod a ſe dimittere cogitat. De vtroq; iam ſuprà me agere meminiſti, cum ea explicarẽ, quæ vaſallo in feudo denegantur. Neq; verò actũ agã, ſed quædã ibi intacta reliquimus, quæ hîc opportunè adiici poſsũt.

69. D.*Deterioratio feudi qualis eſt?*

M. Textum hac de re agentem adduxi ex §. *econtrario.verſ.meliorem.tit.*8.*lib.* 2. cui nunc addo §.*prætereà ſi vaſallus, in verb. Aut patrimonii grandem iacturam facere molientem, tit.*24.§.*Quicunq; aduocãtiam.in verbo, beneficiũ inornatè tractauerit, tit.*27 *lib.*2. (vbi tamen rectius cum *Hotom.*& *Cuiac.*legas, *inordinatè.*) Idcircò autem vaſallus ob deteriorationẽ priuatur feudo, quia facit

contrà officium ſuum,&iuratā promiſſionē,de nō damnificando domino,vt eſt in *t.7.lib.2.* Sic etiā emphyteuta interdū ob deteriorationē prædii emphyteutici ſuo iure priuari poteſt. *Auth. Qui rem, C.de ſacroſanctis Eccleſiis, Nou.120.c.8.Mynſ.cent. 6. obſeru.86. Hartm. Piſtor.lib.1.q.18.* Sic & vſufructuarius rē vſufructuariā deteriorem faciens, ex tali cauſſa ius ſuum perdit, vt ad *Inſtit.* audiuiſti *tit.de vſufruct.* Sic & conductor ex prędio conducto ob talem cauſſam expelli poteſt. *l.3.Cod. de locato & conducto*; & dixi ad *tit. Inſtitut. De locat. & conduct.* Non tamen ob quamlibet deteriorationem ſtatim expelli volunt vaſallū, ſed ita demum ſi cōcurrant hæc tria: Primū,ſi deterioratio facta ſit dolo malo,vel culpa eius. Secundo,ſi inſignis & grandis ac notabilis quantitatis ſit. Tertio,ſi pertineat ad perpetuā feudi iacturam. Primum requiſitū probatur cùm aliis locis plurimis,tum vel maximè per *tit. 21. libr. 1. Feud. De feudo ſine culpa non amittendo,& §.ſancimus,vt nemo miles adimatur de poſſeſſione ſui beneficii,niſi conuictâ culpâ,tit.22.* Vnde etiā coniunguntur,dolus,negligentia & fraus in *§.prætereà ſi vaſallus,tit.24.libr.2.* Dolus autem vaſalli ex eo maximè arguitur, ſi admonitus à domino non reſipuerit, non deſtiterit à deterioratione, *Schraderus p.9.c.6.num.69.* Quanquam hæc admonitio domini non ſit adeò neceſſaria, quin etiam abſque ea poſſit locum habere priuatio. De ſecundo requiſito,id eſt,quod oporteat grandē & inſignē eſſe deteriorationem(quæ autem talis ſit dicenda, vel quæ ſit modica, definiēdum eſt arbitrio iudicis, vt recte docet *Menoch. lib.2.de arbitr.iud.caſu 78.*)vide *tit.24.lib.2.Feud.* vbi aliquoties Feudiſta nominat *grandem iacturam, graue diſpendium:* item, *graue crimen.ſi grauiter deliquerit,ſi graue quid commiſerit.* Item in *tit. 23.* vocantur *egregia ingratitudinis cauſa*, de quo loquendi modò eruditè explicat *Zaſius p. 10. num. 65.* Si igitur vaſallus ex ſilua feudali, quæ non ſit cædua, arbores frugiferas doloſè cædat, eaq; res vergat in magnū & notabile damnum eius ſiluæ,nec ſubſtituat alias in locū exciſarum: ex hac cauſſa feudo priuandus venit. *Iaſon ad l. 7.§.ſi fundum, n.2.3.4.D.ſolut.matrimonio. Schraderus p. 9. cap. 6. num.*

77.Idem

77. Idem ſi vaſallus villam feudalem diruat, vnde inſigne damnum feudi emergat. *arg. l.13.§.fructuarius cauſſam, D. de vſufruct.* Tertium requiſitum, nempè vt perpetua ſit deterioratio, à quibuſdã in dubiũ vocatur: Quia nimirum vaſallo non liceat feudi conditionem, ne quidem in qualitate facere deteriorem vt ſupra dictum, & quia multis in locis iuris feudalis traditum ſit, quoties ſua culpa vaſallus effecerit, vt non poſſit ex feudi fructibus ſeruitia ſeniori præſtare, toties eum feudo priuari poſſe, vide *tit.52. & tit.55. libr.2.* Ergò inquiunt hæc conditio, vt deterioratio contineat iacturam perpetuam, aliena eſt à iure feudorum.

79. D. *Quid ſi feudum ſit Emptitium ſiue pecunia comparatum?*

M. Etiam huiuſmodi feudum ex cauſſa deteriorationis amittitur: quæ eſt notabilis ampliatio ſuperioris regulæ. Ratio dubitandi eſt, quia feudũ emptum ſit impropriũ: quæ etiã ratio nonnullos mouit, vt ſtatuerent non amitti tale feudum quamlibet deterioratũ. vide *Aymonem Grauettam, cõſil... n.109.* Sed ratio decidẽdi eſt, quia feudum etiã improprium iiſdem ex cauſis amittitur, ob quas & proprium, *arg. §. pen. & ibi gloſ. t.26. lib.2. iuncto tit.* 48. vide & *Zaſium p. vlt. n.21.* vbi ait: *Feudum Emptitium in cæteris placitis feudalibus omnibus relinqui ſub recta & ſimplici natura feudi, eo ſolo excepto, quod non ſit gratuitum:* & idem *Zaſ. ead. p. ſub n.3.* generalem doctrinã de feudis degenerantib. & impropriis tradit hanc: Feuda licèt in aliquib. contra cõmunem naturam feudorum conceſſa, tamẽ in reliquis capitulis ſiue placitis non alteratis remanere in recta ac ſimplici feudorum natura. Accedit & hæc ratio, quod textus feudales ſupra adducti generaliter loquuntur atque indiſtinctè de quouis feudo ob deteriorationem amittendo. Iam verò tritum eſt illud: *Vbi lex non diſtinguit ibi nec nos debere.*

71. D. *Quid ſi vaſallus partem duntaxat feudi deteriorauerit, an toto priuabitur?*

M. Immò partis deterioratio facit, vt illa tantũ parte priuandus videatur: cum & alienatio partis non toto feudo, ſed ea tantum parte, quam alienauit, va-

ſallum priuet, *tit.38. lib.* 2. in verbis: *ſi partem alienauerit, partem perdat*; & ibi bona *gl.* Non enim vlterius progredi debet metus, quam reperiatur delictum. Vide & *Schraderum par.9.c.6.num.*70. Nec obſtat *l.3.§. ſi autem non totum, D. de SCto Sillani.* vbi dicitur parum referre, totum teſtamentum, an pars eius aperiatur. Nam hoc dicitur reſpectu SCti illius, in quod æquè delinquit, qui partem aperit teſtamenti antequã vindicata ſit nex defuncti, atq; is qui totum: nec debet trahi ad feudi vel deteriorationem, vel alienationem. Nihil etiam mouet *l. etiamſi,* 101. *D. de legat.* 1. vbi etiam tutor partis bonorum, ſi à tutela ſe excuſet, toto eo priuatur, quod ipſi teſtamento eſt relictum. Nam etiam tutor partis bonorum pupilli, tamen eſt tutor, & cum totum detrectet tutelæ officium, meritò & omni carebit beneficio legati vel fideicommiſſi: Secus eſt, ſi quis partem feudi deteriorauerit, vel alienauerit: hic enim non poteſt dici totum deterioraſſe vel alienaſſe. Denique non obſtat quod feudum ſit ius quoddam, ac proinde indiuiduum, quod pro parte auferri, pro parte relinqui non poſſit. nam feuda multa ſunt diuidua ſupra diximus.

72. D. *Audiui de culpa in deterioratione feudi commiſſa. Expecto nunc vt dicas de ea, quæ eſt in alienatione?*

M. Regulam quidem de prohibita feudi alienatione cum ſuis rationibus, ampliationibus, atque exceptionibus, tum etiam de ſpeciebus alienationis ſupra tractauimus, vnde repetere licet. Hic verò tantum quæſtiones quaſdam huc pertinentes & ibi omiſſas proſequemur: vbi hoc præmiſero, prohibitioni alienationis ab Impp. Lothario & Friderico I. hanc eſſe additam ſanctionem, vt vaſallus contraueniens, feudo priuetur.

73. D. *Quid ſi ignoret vaſallus feudum eſſe, ac putat eſſe allodium & rem propriam?*

M. Vaſallus qui ignorãs feudũ alienauit, non amittit ius ſuum: ideoq; feudum non domino, ſed ipſi vaſallo reſtituendũ eſt, ab eo qui adcepit, *§. ſi vaſallus feud. t.26.* nam quod dicitur, *alienatione feudũ aperiri domino*, id intelli-

intelligendum eſt, cum à ſcientibus alienatur beneficium, vt eſt elegans *textus in tit.* 42. *vbi vide gl.* de ignorantia qualis ea eſſe debeat, vt excuſetur, non enim quælibet excuſabilis eſt: non craſſa & ſupina, non facti proprii, non denique iuris, quamuis hanc in mulieribus & minoribus excuſari ibi dicat *Accurſius* reclamãtibus aliis, vt videre eſt apud *Zaſium part.* 10. *Vide etiam Andr. Gail. lib.* 2. *obſeru.* 48. vbi multa præclara adfert de ignorantia, quando & quatenus illa noceat vel non. Et huius Exceptionis ratio euidens eſt, quia ignorans nõ videtur contemſiſſe dominum, *argum. l.* 50. *D. Locati*: vbi non contemnit diſciplinam qui ignorat militem.

74. D. *Sed quomodo vaſallus ignorantiam ſuam probabit, ſi fortè dominus neget, contendens, eum ſciuiſſe rei conditionem?*

M. Per iuſiurandum *d tit.* 4. *in verb. ſi vaſallus iurare poterit. Vide & Schraderum part.* 9. *cap.* 1. *num.* 45. *cum ſeqq.* Nam quæ in animo conſiſtunt, (vt ſcientia & ignorantia, vt bona malaq; fides, &c.) probantur iurata cuiusque adſertione. *c.* 4. *Ext. de Exceptionibus*, *c. vlt. ext. Qui matrimonium accuſare poſſunt. Andr. Gail. d. obſ.* 48. *num.* 25. Ad hoc tamen iuſiurandum non ſemper vaſallus debet admitti, ne videlicet via adperiatur periuriis, ne auctores ſimus periurii. Quid enim ſi non ſit veriſimile, eum ignoraſſe? Quid ſi ſcire potuerit, ac debuerit feudum eſſe? idque etiam Accurſius voluiſſe videtur ad *d. tit.* 42. *in verbo, iurare poterit*, vide etiam *text. in §. fin. t.* 41. *& præclarè Zaſium par.* 10. *num.* 10. vbi ait: *tunc deferri iuſiurandum vaſallo, ſi coniecturis aliquibus iuuetur, & ſi vir bonus ſit, non etiam ſi ſint præſumptiones contra ipſum.*

75. D. *Quid ſi dubitans vaſallus, an feudum ſit, ita alienauerit?*

M. Putant plerique hunc non eſſe multandum feudo; primum, quia textus nominant certam ſcientiam, *§. vaſallus feudum, tit.* 26. *& §. fin. tit.* 34. *lib.* 2. *Feud.* Secundò, quia dubitatio imitatur ignorantiam, & dubitans comparatur ignoranti, *l. vlt. C. de condict. indeb. l.* 22. *§. ſi autem, C. de furtis, & l.* 2. *D. Quis ordo in bon. poſſ. ſeru.* & dixi ſupra cum agerem de inficiatione feudi. Tertiò illud quoque accedere poteſt, quod dubitans non [illegible]

dici contemnere dominum, quem certò nõ ſcit ſe habere. Mihi tamen in mente verſatur illud Ciceronis: *Ipſa dubitatio ſignificationem habet iniuriæ.* Deinde, quemadmodum is qui dubitat, dubitanter reſpondere debet de feudo, non autem negare, vt ſupra dictum: Ita etiam videtur abſtinere debere ab alienatione feudi. Itaq; talis meo iudicio vix effugiet pœnam priuationis.

76. D. *Quid ſi vaſallus inter alienandum adiecerit hanc conditionem, ſi dominus conſenſerit alienationi: ſi domino placuerit, ſiue ſaluo beneplacito domini, liberabiturne à pœna priuationis?*

M. Verius eſt ipſum liberari, niſi feudum in aliquem potentiorem alienauerit, ex cuius manibus non poſſit feudum recuperari ſiue reglutinari. Nam tali adpoſita conditione ceſſat ratio. Iam enim non contẽſit dominum, cui ius ſuum expreſsè reſeruauit: integrum, qui alienationi conſentire non cogitur: immò antequam dominus conſenſerit, non poteſt dici alienatio. Eſt enim hæc venditio conditionalis: cuiuſmodi contract⁹ tunc demũ perficiuntur, quando impleta eſt conditio, qua non exiſtente, deficiunt, *arg. l. 7. D. de contra. empt. l. vl. C. eod. t. §. ſed & certum. Inſt. de empt. & vendit.* hæc. n. eſt natura & vis conditionis, vt ſuſpendet rẽ vel actum cui adiicitur, vt audiuiſti ad *tit. Inſt. De verbor. obligat.* Quod autẽ addidi de alienatione facta in potentiorẽ, in hac fruſtrà adiici talem clauſulã ſiue conditionem: Eam limitationẽ tradit *Zaſ. d. p. 10. ſub n.* 14. rectiſſimè. nam hic locum habet verſus M. Palingenii; *Cui vis eſt, ius non metuit: Ius obruitur vi.* Atq; hæc altera ſit Exceptio, qua officium ſuum perdit regula de feudo ob alienationem amittendo (prima enim erat de ignorantia probabili vaſalli.) Etſi autem non deſunt magni autores, qui huic ſententiæ contradicant, ac velint hãc adiectionem nihil operari, ſi nihilominus ſecuta ſit traditio: cum ſit præteſtatio ipſi facto cõtraria, niſi addatur: *Non aliter nec alio modo*, vt videre eſt apud *Bald. ad l. vni. n. 36. C. de his quæ pœna nomine relin.* Et apud Iaſon, ad *l.* 8. *§. morte, num. 27. D. de op. nou. nunc.* Et *Iul. Clarus quæſt. 31. nu. 5.* quibus nuper acceſſit *And. Fachinaus li. 7. controuerſ. c. 85.* tamen, vt dixi, verius eſt, huius clauſulæ

adie-

adiectione vaſallum releuari à metu priuationis, cuius ſententiæ autores plurimos vide apud *Zaſium p.*10. *n.*15.*Borch.c.*8.*n.*82.*Roſenth.c.*9.*concl.*98.*&* 100. *Menoch. conſil.*38.*n.*12.*&* 13.

77. D. *Quid ſi traditio non ſit ſecuta contractum?*

M. Tunc vaſallus feudo non cadit, vt ex Iſernia probat *Iul.Clar.q.*31. *n.* 3. quæ tertia nobis erit exceptio.

78. D. *Quid ſi contractus alienationis à vaſallo factus ſit nullus atq; inualidus?*

M. Tunc vaſallus feudo priuari non debet, niſi etiam veram & actualem fecerit traditionem, teſte *Iul. Clar.d.quæſt.*31.*nu.*1. atq; hæc quarta ſit exceptio. Dixi, *veram & actualem traditionem.* Nam ſi tantùm ficta interueniat puta, per conſtitutum, quod vocant poſſeſſorium (de quo tamen quid ſentirem ſup. expoſui) vel per precarii rogationem: Æquitas ſuadet hanc non ſufficere ad priuationis pœnam, licèt communiter de rigore iuris contrarium ſentiant. Vide eundem *Clarum nu.* 4. *& Fachinæum lib.*7.*cap.*86.

79. D. *Quid ſi vaſallus feudum à ſe alienatum & traditum in continenti recuperauit?*

M. Hoc caſu nonnulli volunt, pœnam amiſſionis ipſum euitaturum: Quia ſicut is qui ſtatim ac natus eſt, deceſſit, ne quidem natus videtur, *l. vlt. C. de inſtitut. & ſubſtit.* Sicut item vxor, quæ ſtatim ad maritum reuerſa eſt, nec diuertiſſe videtur, *l.*3.*D. de diuortijs & repudijs, l. Quidquid calore, D. de R. I.* Deniq; ſicut is qui poſſeſſionem, à quâ vi deiectus eſt, illico recuperat, non per vim poſſidere, ſed poſſeſſionem ſemper retinuiſſe intelligitur; *l.*17.*D. de vi & vi armata.* Ita hîc quoque feudum, quod quis in continenti recuperat, nunquam alienaſſe videtur. Quæ quidem ſententia æquior ac benignior videtur probaturque poſt *Ardizonem, Iſerniam, Baldum, & Aluarottum, etiam Zaſio d.p.*10 *n.*4. vbi etiam numero ſeq. declaratur, quid ſit *in continenti recuperari*, ac tandē id relinquit arbitrio iudicis. Et hæc eſſet quinta noſtra Exceptio, quæ tamē non caret controuerſia: nā pro contraria ſententiā (quam poſt *Bartol. in l. ſequitur* 4. §. *Idem Labeo, in fin. D. de Vſuc.* amplectuntur *Iul. Clarus d.q.*31.*n.*6. *Schraderus p.*9.*cap.*1.*n.*17. *& ſeq.*

Roſenthal.par.9.cap.9. concluſ.5. & Fachinæus lib. 7. c.84.) Pro hac, inquam, ſententia validiſſimæ quoque militant rationes, quas breuiter commemorabo: vt ad diſputationem te inſtruam. Prima hæc eſt, quia vaſallus factâ alienatione ſtatim ipſo iure feudo excidit, idque domino adquiritur. Non enim opus eſt, vt dominus voluntatem ſuam declaret, quod velit feudum ſibi cõmiſſum eſſe, quod tamen quibuſdam viſum eſt, *arg.l.1. C.de reuocandis donationibus, cum ſimilibus. Schraderus part.2.9.partis princip.ſect. 9. num.1.* In Emphyteuſis amiſſione hoc additur *ſi dominus voluerit, l.2. C. de iure Emphyt.* Sed in feudi amiſſione ſiue caducitate idem non exprimitur; ſed potius purè, ſimpliciter atque indiſtinctè dicitur, vaſallum ob alienationem amittere feudum; non autem tunc demum, ſi dominus voluerit, vel ſi declarauerit voluntatem ſuam. Alienatio, inquã, vaſalli ipſa & ius ipſum, non autem voluntas domini hoc facit, vt feudum à vaſallo alienatum amittatur, & domino committatur, vt ad ipſum redeat ſiue reuertatur, vt ipſi aperiatur. Nam his formulis paſſim hîc vtuntur Feudiſtæ, *vide tit. 24.in fin.titul.38.49.52. & 55 libr.2. Feud.* Si igitur feudum ipſo iure ob illicitam vaſalli alienationem ad dominum rediit, non debet ius ei quæſitum inuito auferri absq; ſuo facto, vt maximè vaſallus feudũ recuperauerit, *arg.l.11. de R.I.* Et hanc rationẽ *Iul.Clarus quoq; adfert d.n. 6.* Secundò, eo ipſo vaſallus dominum contemſit, quod ipſo inconſulto feudum alienare præſumſit, *arg.tit.24.in fin.* Hoc igitur delictum contemptionis per pœnitentiam, & ſubſequentem recuperationem feudi non corrigitur, neque euitatur pœna, vt ſupra quoque dixi, *l.65. D.de furtis, l. pen. D.Vi bon.rapt.l.quid ſit fugitiuus.D.de ædil.edict.* Tertiò, quia textus eſt generalis in *tit.44.lib.2.* hodiè autem (inquit) ſi ipſum feudum alienauerit, ſiquidem illicitè, (intellige absq; conſenſu domini) licèt poſtea recuperauerit, tamen penes eum non remanebit, vtpote domino ad quemcunq; peruenerit apertum. Vides, hîc non diſtingui inter recuperationem factam in continenti, & ex interuallo, ſed ſimpliciter ait, licèt poſteà recuperauerit, nempè poſt illicitè factam alienationem. Adcedit

his

his quartum etiam argumentum à ſimili, quo vtitur *Accurſ.ad d.tit.*44. in verbo, *remanebit.* Nam & clericus ſeu conuerſus à ſeculo ad religionem, quamuis poſteà habitum religioſum depoſuerit, & quaſi poſtliminio redierit ad vitam ſecularem, feudum tamen, cuius incapax ſemel effectus eſt per profeſſionem Clericatus aut vitæ monaſticæ, ſuo illo ad ſeculum reditu non recuperabit, §.*vlt.tit.*30.*lib.* 2. Ex quibus omnibus patet, quintam hanc Exceptionem valdè eſſe dubiam & controuerſam.

80. D. *Quid ſi vaſallus alienauerit feudum, quod acceperat pro ſe & quibus ipſe dederit?*

M. Non priuabitur feudo, quæ erit nobis ſexta Exceptio: Eaq; eſt communis ſententia, innixa claro textu in *tit.*48.*lib.*2.*iuncto* §.*pen. & ibi gl. tit.* 26. vbi diſtinguitur inter has duas formulas: *Do tibi feudum vt habeas ipſe & cui dederis:* & alteram illam: *Do tibi feudum vt habeas ipſe, & cui in feudum dederis.* Vide *Iul. Clarum quæſt.*31.*num.* 8. *Fachinæum lib.* 7. *concluſ. cap.* 82. & quæ ſupra hac de re adtigi.

81. D. *Quid ſi in magna neceſſitate, verbi gratia, famis, nuditatis, æris alieni conſtitutus vaſallus ad alienationem feudi proceſſerit, excuſabitne ipſum neceſſitas à pœna priuationis?*

M. Supra probaui, quod excuſet neceſſitas: quam ſententiam ita tamen temperabis, vt neceſſitate preſſus vaſallus denuntiet prius domino & conſenſum eius requirat; quem ſi non obtineat, tunc demum impunè vendat cui voluerit. Quod & *Iul. Clarus probat quæſt.*31. *num.* 11. licèt alias ſequatur communem ſententiam, quæ eſt Baldi & aliorum, probata etiam *Schradero p.* 8. *cap.*1.*num.* 20. *& Henrico Roſenthal. cap.* 9. *concluſ.* 3. *Menoch.de arbitrar.iudic.caſu* 182.*num.* 11. Non poſſe autē dominum cogi ne hoc quidem caſu neceſſitatis ad præbendum vaſallo adſenſum, cenſet idem *Schraderus nu. ſeq.* quod ſatis durum, atque inhumanum eſt, & abhorret à mutuâ illa, quæ inter vaſallum & dominum eſſe debet, neceſſitudine. Taceo quod etiam dominum egenum vaſallus alere cogitur, vt ſupra dictum. Quid ni igitur etiam dominus cogendus ſit vaſallo feudum ven-

dituro ad ſolandam famem conſentire?cum deberet vi-
cem reddere vaſallo in omnibus,*arg.§.vlt.t. 6.& t.47.lib.2.feud.* Sit igitur hæc ſeptima Exceptio.

82. D. *Quid ſi dominus ſciuerit alienationem feudi & tacuerit?*

M. Verius eſt, tunc nõ poſſe vaſallum feudo priuari: quæ eſſe poteſt octaua Exceptio. Nã tacitus quoq; cõſenſus domini ſufficit ad alienationem, vt ſit licita: quod latius probaui ſupra. Et in eadem ſententia eſſe video etiam *Fachinæum libr. 7. c.* 80. licèt multis rationibus eam impugnare conetur *Hen.Bocerus diſp.17.claſſ. 4. theſi* 88.vbi docet,taciturnitatem non ſemper imitari vel operari conſenſum.

83. D. *Quid ſi conſuetudo alicubi vigeat per quam liceat feudum abſq; conſenſu domini alienare?*

M. Non amittet vaſallus feudum, quæ eſt nona Exceptio. nam conſuetudo in iis quæ ad feuda pertinent, vincit legem & pro lege cuſtoditur,*Iul.Clar.d.q.31.n.12.* Iam verò quod fit iure permittente, non meretur pœnam,*l.4.C.ad L.Iul.de adult.*

84. D. *Quid ſi dominus vaſallo remiſerit culpam illicitâ alienatione feudi commiſſam?*

M.Iam nõ amplius vaſallus feudo priuari poteſt(quę erit decima exceptio) quia per remiſſionem & condonationem culpæ res in eum ſtatum reducitur, quaſi commiſſa non eſſet.Hîc tamen duo obſeruabis:primũ, opus eſſe noua inueſtitura de tali feudo. Secundò, ſi feudum quod per alienationem amiſſum eſt, fuerit paternum, & dominus remiſsâ culpâ vaſallum quaſi de nouo feudo rei inueſtire voluerit, oportere accedere etiam adgnatorum conſenſum.

85.D.*Cur noua inueſtitura opus eſt?*

M. Quia feudum per alienationem illicitam deſiit eſſe feudũ, ac ſtatim ipſo iure ad dominũ eſt reuerſum, ipſiq; apertum,quaſi conſolidatione quadam factâ vtilis dominii cum directo,vt loquuntur,*§.pen.t.26.& tit. 44.& §.callidus. tit.55.* Vaſallus item per contemptum domini deſiit eſſe vaſallus. Ergò ſine nouâ inueſtiturâ non poteſt feudum retinere vel recuperare. ſic & aliàs feudum ſemel amiſſum ſine nouâ inueſtiturâ non recu-

peratur,

peratur, vt videre eſt *tit.* 45. *& tit.* 54. *lib.* 2. Ducunt etiam argumentum ab Emphyteuſi ad feudum. Si Emphyteuſis (inquiunt) aliqua ex cauſa fuerit finita, non renouatur tacitè, ſine noua ſcriptura, vt docet *Iaſon ad l.* 1. *num.* 96. *C. de iure emphyteutico.* Ergò nec feudum recuperatur aut retinetur ſine noua inueſtitura. Ratio conſequentiæ eſt; quia quod in Emphyteuſi eſt ſcriptura, hoc in feudo eſt inueſtitura. Sed huius Enthymematis antecedens apud me valdè dubium eſt, qui cum *Cuiacio*, *Giphanio*, aliiſq; recentioribus cõtra communem opinionẽ ſentio, ſcripturã ad ſubſtantiã Emphyteuſis nõ pertinere. Interim tamen illud facilè cõceſſerim, ad renouationem Emphyteuſis finitæ opus eſſe noua declaratione, vel conteſtatione voluntatis domini, non minus quã in feudo huiuſmodi noua requiritur inueſtitura.

86. D. *Cur autem adgnatorum conſenſum in feudo antiquo adcedere oportere aiebas?*

M. Quia de ipſorum præiudicio agitur, *arg. tit.* 39. *li.* 2. *de alien. paterni feudi.* Non debet autem adgnatis ius ſuum, quod ad feudum habent beneficio primi adquirentis, auferri inuitis, *arg.* §. *ſi capitanei, tit.* 13. *lib.* 1. *vide Hartm. Piſt. lib.* 2. *q.* 15. *cum ſeqq.*

87. D. *Quid ſi vel dominus antequam feudum à vaſallo illicitè alienatum reuocauerit, vel vaſallus qui alienauit, moriatur, poteritne lis vel ab hærede domini, vel in hæredem vaſalli poſt mortem intentari?*

M. De hac quæſtione, an ius priuandi feudo tranſeat ad hæredes actiuè & paſſiuè, vt loquuntur, cõmodius erit inf. diſſerere. Eſt enim generalis ad omnes ex delicto deſcendẽtes priuationis cauſas pertinẽs. Interim de ea vide *gl. in* §. *Porro, t.* 34. *li.* 2. *& Iul. Clar. q.* 64. *cum ſeq.*

88. D. *Audiui de pœna vaſalli alienantis feudum, ſed qua pœnâ adficitur notarius ſiue tabellio, qui inſtrumentum alienationis confecerit?*

M. Scriba qui inſtrumentum ſuper tali contractu alienationis illicitæ ſciens conſcripſerit, triplici pœna adficitur ex Conſtit. Friderici I. nempè I. amiſſione officii ſiue depoſitionis & degradationis (quomodo etiam Iure ciuili interdũ aduocatione alicui interdicitur pœnæ cauſa, vel in perpetuũ, vel ad tẽpus, *l.* 5. *C. de poſtulan-*

do l.6.§.fin.D.Mandati) II.Periculo infamiæ.III.Manus amputatione. Et priores quidem duas pœnas conſtituerat Lotharius Imp. in *titul.* 52. *verſic. Notarium vero.* Tertiam autem addidit Fridericus in §. *callidis. verſic. ſcriba verò.* Dixi: *qui ſciens conſcripſerit*. Sic enim diſertè continetur in *conſtit. Friderici.* Et meritò. Nam ſi ignorans feudum eſſe,inſtrumentum ſuper alienatione eius fecerit, non punietur:cum nec vaſallus ipſe, qui ignorans alienauerit, puniatur, vt ſupra dictum in prima Exceptione.vide & *gl.in verbo,infamia.tit.* 52. Sic tabelliones vetitorum contractuum ſcriptores aliquando etiam irreuocabilis exilii animaduerſione plectuntur, vt eſt in *l.*14.§.*His tabellionibus. C.de ſacroſanct. Eccleſ.*De manus amputatione obſeruabis hîc regulam: plerumque qua parte corporis quis peccauit,in eadem quoque plectendum eſſe: quod elegantibus exemplis tàm ex hiſtoriis, quam ex iure noſtro & ex Galeno declarat *Cuiac.lib.7.obſeru.c.*13.Et ex eo *Borchol.cap.8.de feud.nu.* 31.quibus adde primò inſignem locum Heraclidis Pōtici in Allegoriis Homericis: vbi ait: ὥσπερ οἱ νομοθέται τοὺς πατροτύπτας χειροκοποῦσι, τὸ δυσσεβῆσαν αὐτῶν μέρος ἐξαιρέτως ἀποτέμνοντες· οὕτως Ὅμηρος ἐν ἥπατι κολάζει τὸν δι' ἧπαρ ἀσεβήσαντα. Loquitur autem de pœna libidinis, qua in iecore affectus eſt Tityus. Deinde quod & periuris plerumq; duo primores digiti, & blaſphemis lingua eiusve pars præcidi ſolet, quia nimirum ea corporis parte peccarunt: quam conſuetudinem Germaniæ adprobat etiam *Carolus V. in conſtit. criminali,cap.* 10. & *cap.ſeq.*Vide etiam *l.*3.*cum Auth ſeq. C.de ſeruis fugitiuis.* Sic interdum naſus abſciſſus legitur in adulterio deprehenſis; & qualis fuerit pœna apud Græcos vſitata in adulteris,vide apud Suidam, & Heſychius quoque eandem rem adtingit in Lexico.

89. D. *Cum igitur non valeat venditio feudi abſq; conſenſu domini facta, quid fiet de pretio, quod Emptori fortè dedit?*

M. Dixi ſupra, etiam pretium auferri vaſallo venditori: ſed diſtingui debere inter bonæ & malæ fidei emptorem, ſiue eum, qui ignorans & qui ſciens feudum comparauerit. Illi namque ſaluum eſſe pretium ſuum: hunc

hunc autem id perdere,quod ſecundum gl. & communiter Dd. fiſco applicetur. At ex ſententia Hotomanni parti læſæ,id eſt,domino adtribuatur. Ob vnum igitur factum illicitæ alienationis vides puniri tres homines; vaſallum,amiſſione feudi; notarium, qui inſtrumentũ confecit,remotione ab officio,infamia, & abſciſſione manus;denique,Emptorem amiſſione pretii.Quia verò permutatio ſimilis eſt Emptioni, *l. 1. D.de contrah. Empt.cum l. 1. D. de rerum permut.* conſequens eſſe videtur vt dicamus,etiam eum,qui permutatione facta rem aliam vaſallo dederit pro feudo, eam amittere: quamuis Impp. Lotharius & Fridericus tantum de Emptore & pretio locuti ſint.

90.D. *Audiui de culpa vaſalli commiſſa in ipſa re feudali,eiusq; tum deterioratione tum alienatione,ſequitur vt exponas,quomodo ob culpam in aliis rebus domini non feudalibus commiſſam feudo priuetur?*

M.Id accidit,ſi vaſallus domino damnum dederit in ipſius munitionibus,caſtris,aliisve poſſeſſionibus: *ſi caſtrum domini,*(vt Feudiſta loquitur) *aſſilierit*, id eſt, obſederit,vel oppugnauerit, *§.ſimiliter. tit. 5. lib. 1.& tit. 6. lib.2.in verſic.tutum. & verſic. vtile.* Nec mirum.facit enim contra iusiurandum fidelitatis. Deinde, cum ipſe damna ab aliis domino impendentia auertere debeat, inque recuperandis rebus iniuſtè amiſſis dominum iuuare,vt eſt *t.7.lib.2.& in §.praterea,tit. 24. lib.2.* Multò magis ab omni maleficio & damno ipſemet abſtinere debet. Ampliatur hæc regula duobus modis. Primum, etiamſi arx aut villa,aut vicus,caſtrum,aut ciuitas,quã vaſallus oppugnat,fuerit ipſi communis cum domino: licèt diuerſum ſentiat *Schraderus part.9. cap. 3. nu.4.* ſed alterum mihi probabilius videtur, *arg.l.47.§. 1.& ll.ſeq. D.pro ſocio,l.19.& l.ſeq. D.ad L. Aquil. l.45. D.de furtis.l.8. & l.13.D.de ſeruit.vrb.prad.* Secunda ampliatio eſt,etiãſi non ipſe vaſallus principaliter oppugnauerit caſtrum domini,ſed alteri conſilium vel opem præſtiterit.Vide *Henric.Roſenth.c.10.concluſ.52. arg. eorum qua ſupra de amicitia cum inimicis domini copulata* diximus.

91.D. *Quid ſi vaſallus neſciat,dominum eiusve vxorem in caſtro quod oppugnat eſſe:aut ſi inde abſit?*

M. Nihilominus feudo priuabitur ob hunc adſultũ ſiue oppugnationem: vt ſentit gl. quamliber contraria textui in verbo, *ſciens, d.t.5. li.1. feud.* & probat etiam poſt alios *Zaſius part.* 10. *nu.* 38. ſufficit enim ad priuationẽ, vaſallum ſciuiſſe quod caſtrum eſſet domini (aliud eſt, ſi putet probabiliter alterius eſſe) proindeque omnem vim & iniuriam abſtinere doluiſſet, etiamſi dominus non fuerit intus, aut ipſum eſſe vaſallus ignorauerit. Et quænam, quæſo, probabilis eſſet ratio differentiæ inter ſcientiam & ignorantiam vaſalli, quod dominus ſit intus, vel inde abſit? Quamuis maior fortè ſit impudentia atque perfidia eius, qui etiam in oculis domini arcem eius adgredi non veretur. Sed id nunc nõn quæritur, vter grauius peccet, vel impudentior ſit; verùm id tantùm, an caſtrum domini oppugnans dignus ſit, qui feudo multetur: quod adfirmamus indiſtinctè, ſiue ignoret dominum adeſſe, ſiue ſciat abeſſe.

92. D. *Poſteaquam de culpis aduerſus ipſam domini perſonam eiusve res tàm feudales, quam alias, commiſſis dixiſti, nec non de culpis omiſſionis: proximum eſſe videtur, vt exponas ea culpa genera, quæ perpetrantur in perſonas ſubiectas domini poteſtati, vel adfectui, tandemq́ de ijs, quæ in perſonas prorſus extraneas committuntur, & vaſallum priuatione dignum efficiunt?*

M. Rectè meminiſti Oeconomiæ noſtræ ſuperioris, quam & ipſa natura ſenſuſq́; communis dictat. Quæ ſint autem perſonæ poteſtati adfectuive noſtro ſubiectæ, didiciſti in *Inſtit.* §. *patitur, de iniurijs:* & recenſentur in §. *Item ſi fidelis, tit.* 5. *lib.* 1. *& in* §. *rurſus, tit.* 24. *libr.* 2. verbi gratia, filia, neptis ex filio (rectè *ex filio*: quamuis Cuiac. ibi moliatur mutationem textus, quam non probo. Nam neptis ex filia, non eſt in poteſtate aui materni, ſed in poteſtate patris ſui, vel aui paterni, §. *vlt. Inſtit. de patria poteſtate*) *nupta filio*, (id eſt, nurus domini,) ſoror domini, vxor domini. In his igitur perſonis ſi quis libidinetur, feudo priuari meretur. Facit enim contrà eam iuriſiurandi fidelitatis clauſulam, quæ ad honeſtatem pertinet, *verſic. honeſtum. tit.* 6. *libr. ſecundi.* Omnes autem iſtas libidinum impuritates, quas vaſallus in huiuſmodi perſonas ita coniunctas domino

expa-

expatrauit, feudiſtæ vno communi verbo *cucurbitandi* complexi ſunt, quod barbarum vocat *Zaſius part.* 10. *num.* 24. Extat autem aliquoties in his libris: vt *tit.* 5.*libr.*1.*& titul.*57. *libr.ſecundi*, & in *Conſtitutionib. Imp. Henrici II.de militum beneficijs*, quam Hotom.*libr.*3.*feud. titulo ſecundo*, refert ex Ardizone & Aluarotto. Dicitur autem vaſallus dominum ſuum cucurbitare, qui ſtuprum infert eius vxori, filiæ, nepti ex filio, nurui, ſorori, quæ eſt in domo domini adhuc in capillo, id eſt, innupta, *d.titul.*5.*libr.*1.Rationem verbi hanc eſſe puto; quia qui hoc flagitium patrare audet in perſonas tam coniunctas domino, is eum habet pro homine inerte, quaſi qui pro capite habeat cucurbitam, & peponem loco cordis, vt eſt prouerbium apud *Tertull. li.* 4. *aduerſus Marcion. c.* 40 ſiue qui pepone magis inſulſus ſit, vt ait idem in *lib. de Anima*: hominem, inquam, dignum qui cucurbitas pingat. Longobardi alio quoq; nomine idem dixerunt, nempè *facere aliquem argam*, vt in legib. Longob. continetur, quas etiam laudant Cuia. & Hot. qui eleganter deriuant hoc nomen ex Græco fonte ἀργὸς, quod ſignificat ignauum, ſtupidum, inertem ac ſegnem. Itali vulgari lingua *cornutum* vocant eum, qui ſubſeſſorem patitur ſui matrimonii, ſuæq; vxoris eſt leno; qualis apud *Herod.li.*1. eſt Candaules. Sed quo hæc tota res manifeſtior ſit, proponamus ac declaremus regulam eiusq; recẽſeamus & ampliationes & Exceptiones. Regula hæc eſt: Vaſallus feudo multatur, qui dominum ſuum cucurbitauerit, id eſt, corruperit eius vxorem, vel filiam, vel neptem ex filio, vel nurum vel ſororem adhuc in capillo exiſtentem, fratrisq; ſui domeſticam. Ratio iam ſuprà indicata eſt: quia ſcil. facit contra honeſtatem & ita contra vnam ex clauſulis iurisiurandi fidelitatis, vt ita deinceps non poſſit honeſtè ſtare in curia domini, eiq; miniſtrare. Huius porrò regulæ plures ſunt partes, pro numero videlicet perſonarum, in quas peccatur, quæque enumeratur in *d. tit.* 5. *libr.*1. *& tit* 24. 2. Sed priusquam de ſingulis videamus, exponenda nobis eſt vis verbi, *corruperit*. Hic primum intelligendus eſt actus perfectus, puta, conſtuprationis, ſeu concubitus, quod quidem omni caret dubi-

tatione. Expreſſum enim eſt in *d.t.5.in verb. cum vxore eius concubuerit.* Deinde hoc ampliatur primò, etiamſi non perfecerit ſtuprum, etſi effectu ſceleris potiri non potuit, vt loquitur Paulus in *l. 1. D. de extraord. crim. & lib.5.ſentent.* ſed tantum conatus fuerit, ſiue exercuerit ac præparauerit ſe ad impurum illum actum venereum, *d.tit.5. in verb. vel concumbere ſe exercuerit.* Ratio huius ampliationis eſt illa, quia ipſe conatus interdum pro effectu habetur: vt *l.5.ſi quis non.C.de epiſc.& cleric. l.vni. C.de rapt.virgin gl.in d.t.5. in verbo, Exercuit.* vide etiam ſupra dicta, cum ageremus de domino à vaſallo occiſo. Tum etiam voluntas pernicioſæ libidinis & conatus ſceleris pœnam meretur, etiamſi effectus non fuerit ſecutus, *d.l.1.D.de extraord.crimin.*

93.D. *Quid ſi is qui ad conatum ſceleris iam proceſſerat, ab eo deſtiterit?*

M. Si ſua ſponte & vltrò deſiſtat ante factum, excuſabitur à pœna: ſecus, ſi propter impoſſibilitatem & impedimentum ab aliis fortè adlatum. Ita probabiliter diſtinguit *gl.in d.verbo, exercuerit,* & præter alios probat *Zaſius part.10.num. 27. in fin. cum num.ſeq.* Licèt aliter diſtinguat *Franciſc. Curtius, & Baro Schenckius ad d. §. item ſi fidelis, num.2.tit.5.*

94.D. *Dic aliam ampliationem?*

M. Secunda eſt, etiamſi tantùm turpiter luſerit cum vxore domini, id eſt, impudicè eam contrectarit, *d. t. 5. & ibi gl.in verbo, luſerit,* quæ adlegat *l. 16.ſi quis amodò.t. 54.lib.2.legum Longobardicarum;* cuius hæc ſunt verba initio: *ſi quis amodò inuentus fuerit cum vxore aliena turpiter conuerſari, id eſt, ſi manum in ſinum, aut ad pectus eius miſerit, vel ad alium locum vnde turpe eſſe poteſt, cum conſenſu iſtius mulieris, &c.* Iure ciuili hæc dicitur, attentatio pudicitiæ, ac refertur inter ſpecies iniuriarum, *l.10. D. de iniurijs.* Hæc vtraque tamen ampliatio, vt & ſequentes nonnullæ, non immeritò dubites an præter vxorem etiam pertineant ad cæteras perſonas ſupradictas. Magis tamen eſt, vt non pertineant niſi ad vxorē. Primùm argumento eius, quod ait textus [*cum ea,*] ſc. vxore: idem verò non repetit in ſeqq. Secundo, Quia de cæteris perſonis paulò poſt loquens tantùm facit mentio-

mentionem *concubitus*, non etiam cæterarum rerum, quæ quaſi præparatoriæ, & promulſis Veneris eſſe ſolent. Accedit tertiò, quia pœnalia non debemus ampliare, ſed potius reſtringere. Atque ita poſt Baldum ſentit *Frid. Schenckius ad d. tit.* 5. licèt alii diſſentiant, vt *Mart. Laudenſis, Iacob. de Beluiſo, & Curt.* quos nuperrimè ſecutus eſt *Henr. Bocerus diſp.* 17. *Claſſ.* 4. *nu.* 45.

95. D. *De oſculo quid dicis? continetur ne id ſub adpellatione turpis luſus, vt ob id vaſallus feudo priuari poſſit, quod vxorem domini oſculatus fuerit?*

M. Non referam hoc loco, quæ de oſculo ſatis amœna & erudita adtulit *Borchol. c.* 8. *num.* 98. *cum* 3. *ſeqq.* Ea namque apud ipſum legere potes. Ex quibus in primis eſt memorabile exemplum punitarum à Tiberio Imp. libidinum adoleſcentis Romani Decii Mundi & Paulinæ, quibus lenociniabantur ſacerdotes Iſidis, vt prolixè ſcripſit *Ioſephus lib.* 18. *Antiquit. c.* 6. Tantum adiungam quædam ab illo Doctore meo prætermiſſa, ſcitu tamen non modò iucunda, ſed etiam partim neceſſaria. Tale eſt primò, quod *Varro in lib. de Vita pop. Romani apud Nonium Marcellum* relatus, oſculum quidem deriuat ab *ore*; at ſuauium à *ſuauitate*. Deinde diſcrimen quod antiquus interpres Terentii facit inter hæc tria: *Oſculum, baſium*, & *ſuauium*: vt Oſcula ſint officiorum: baſia pudicorum affectuum: ſuauia libidinum vel amorum. Quibus cum ferè conueniunt Gloſſaria vetera Henr. Steph. quando *Baſium* interpretantur φίλημα ἐρωτικόν: Et φιλητὴν, *baſiatorem, amatorem.* At Suauium φίλημα ἑταιρικόν. Sed hoc diſcrimen vulgò ferè negligitur, & promiſcuè hæç omnia vno *Oſculi* verbo denotatur. Quibus tertiò obſeruare licet diſtichon ex veteri Anthologia Epigrammatum, quo continentur quatuor gradus amoris ſiue lineæ totidem. Recitabo ſententiam Latinè, ſunt autem verba inſani amatoris ad eam quam amat, & qua potiri cupit: *Beatus eſt qui te aſpicit: at ter beatus, ſi audiat: & Semi Deus dato oſculo: Deus, dato vſu corporis.* Græcè hæc ita ſonant:

Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε, τρισόλβιος, ὅστις ἀκούει·
ἡμίθεος δ᾽ ὁ φιλῶν, ἀθάνατος δ᾽ ὁ συνών.

Cum ergò queritur, an vaſallus perdat feudum propter

oſculum vxori domini ſui datum, definienda erit hæc quæſtio, tùm diuerſarum gentium moribus, tùm etiam diſtinctione ipſius oſculi. Moribus quidem: Nam aliud de oſculo cenſent Galli, & his viciniores Germaniæ quidam populi. Aliud Itali, Hiſpani, & pleriq; Germanorum. Apud illos oſculum non modo omni culpa & crimine vocat, ſed etiam ſignum eſt beneuolentię & humanitatis; quod ſi quis prætermitteret, ipſorum opinione ruſticus & agreſtis haberetur. Apud hos vero oſculũ eſt criminoſum, & ſeuerè grauiterq; vindicatur, quaſi ſc. quædam arrha & præparatio rei venereæ. Vide *Alciat. lib. 4. παρέργ. c. 10.* Deinde diſtinctio illa, quam dicebam, hæc eſt; vt oſculum luxurioſum & amatorium diſcernatur ab officioſo & amico. Sic officioſum, immò & pium ſanctumq; eſt illud genus oſculi quod ambo Apoſtolorum principes Chriſtianis præceperũt ad *Rom. c. 16. v. 16. 1. ad Co. 16. v. 20. & 2. ad Co. c. 13. v. 12. 1. Epiſt. Pet. c. 5. verſ. 14.* Hinc fluxiſſe quoq; videtur, quod clericus ſi alienam mulierem amplectatur, hoc interpretandũ ſit, benedictionis cauſa factum, vt ait *gl. in c. abſit, in verbo, ſiniſtrum, 11. quæſt. 3.* Sed nequitia clericorum effecit, vt illa ſententia gloſſæ tandem communiter ſit reiecta: de quo vide & *Schrad. part. 9. cap. 2. nu. 87. cum ſeqq.* Si igitur oſculum fuerit impudicum & luxurioſum ac pręparatorium Veneris, vaſallus feudo priuabitur. Atque hæc tertia eſt ampliatio.

96. D. *Quæ præterea ad corruptelam iſtam pertinent?*

M. Quarta ampliatio ſit, ſi vaſallus vxorem domini adſectatus fuerit, ſi literas amatorias ad eam dederit, quibus ad ſtuprum ſollicitarit: Item, ſi munuſculis & aliis illecebris ac ſtrophis expugnare pudicitiam eius voluerit, de quo vide *Schenck. & alios ad d. §. item ſi fidelis, tit. 5. lib. 1.* In his enim omnibus contra honeſtatem & bonos mores facit vaſallus.

97. D. *Quid ſi non ipſe vxorem domini cæterasq; ſupradictas perſonas impurarit, ſed alteri id facienti opem tulerit?*

M. Sit hæc quinta Ampliatio, vt etiã tunc feudo priuari poſſit, verbi gratia, ſi internuntius ſeu proxeneta fuerit inter vxorem domini & adulterum, vt rectè *Zaſius part. 10. ſub n. 27.* Nam & de furto datur actio, Ope, conſilio,

Zaſius pa...

conſilio, vt audiuiſti ad *Inſtitutiones li. 4.tit.* 1. & in aliis quoque delictis tenetur is qui opem delinquenti tulit, vt docet *Menoch. de arb. iud.* Et meritò talis vaſallus tenetur quaſi de lenocinio. Nam lenocinium quoque vindicatur *l. Iulia de adulterijs, l. 2.l.ſi mater, l. qui domũ, l.etſi amicis, cum l.ſeq.D.ad l.Iul. De adult. l.* 3. *§.ſed & hi. D. de adcuſationib.* ſicut enim ſublatis receptatoribus non eſſent fures & latrones, *l.*1. *D.de receptatorib.Paulus lib.5.ſentent.* ita nec adulteri tam crebri forent, aut certè non diu laterent, ſi non eſſent lenones & ſequeſtri Veneris atque emiſſarii, quos eleganter quidam *adcipitres mulierum* adpellarunt. Vide *Guil. Fornerium in comment.de feud.pag.*101.

98. D. *Quid ſi iniuſta fuerit vxor domini, cum qua vaſallus rem habuit, vel habere tentauit?*

M. Ne tum quidem impunè feret vaſallus; dũmodo non ratione ſanguinis iniuſta ſit vxor, id eſt, modonè inceſtæ ſint nuptiæ, *argum.l.*13.*§.*1. *& §.ſed et ſi ea. D.ad l. Iul.de adult. Matth.de Afflict.ad §.*1.*d.tit.*5. Atque hæc eſt ſexta ampliatio.

99. D. *Quid ſi volenti & conſentienti domini vxori vaſallus vitium obtulerit, an non tunc ſaltem excuſatus erit à pœna priuationis?*

M. Eſt quidem regula iuris (quæ & vulgi ſermonibus trita eſt) volenti non fieri iniuriam neque dolum, *l.*145.*D. de Reg. Iur. cum ſimilibus; cap.*27.*ſcienti, de Reg. Iur. in* 6. qua de re etiam Ariſtoteles diſſerit in 5. *Ethic.* ſed nihil hoc impedit, quo minus alteri tamen vel ſic fiat iniuria, & iniuriarum actio naſcatur, cuius ſc. poteſtati vel adfectui perſona conſentiens ſubiecta eſt, *arg. l.*1.*§.vſq; adeò, & l.*26.*ſi quis ſeruum. D.de iniurijs*, proindeque verius eſt, etiam hunc vaſallum pœnam priuationis feudi non effugere; quæ erit ſeptima ampliatio, pertinens etiam ad alias perſonas, quas ſuperius recenſui, de qua etiam vide *Schraderum*, qui multorum auctoritates adlegat, *part.*9.*c.*2.*nu.*19.

100. D. *Quid ſi quaſtuaria ſiue publicum ſcortum & proſtibulum ſit, in quam, vaſallus peccauit?*

M. Communis eſt Dd. ſententia, etiam eum, qui cum talibus conſueuerit, feudo priuari poſſe, vt probat *Hen.*

*Roſenthal.cap.*10.*concluſ.*57.*& Schraderus d.loco:* quæ eſt octaua ampliatio, item communis plurium perſonarum. Ratio tamen dubitandi hoc loco eſſe poterat, quia neque ſtuprum, neque adulterium committitur in meretrice, quam vitæ vilitas & turpitudo curâ legum indignam efficit, & cui proinde iniuria non infertur, *l.*22.*ſi ea,& l.*29. *C.ad l. Iul. de adulterijs.l.*3.*§.pen. l.*13.*§.ſi quis,& l.*15.*§.ſi quis virgines. D.de iniurijs, cum ſimilib.* Hîc obiter notabis, quod meretrices in quibusdam rebuspubl. tolerantur potius quam probantur à legislatoribus. Conniuendum eſt enim interdum ad nonnulla, quantumvis mala, ne, ſi ea auertere aut excindere velimus, maiora accerſamus. Minus autem mali eſt, vt libidinem ſuam incontinentes expleant in vulgaribus mulieribus, ſiue proſtibulis, (quas eleganter Tertullian.in *lib. de cultu fœminarum, c.*12. adpellat *infeliciſſimas victimas publicarum libidinum*) quàm in alienis matronis, aut filiabus. Sed hæc dubitandi ratio nihil obſtat. Fieri namque poteſt, vt meretricia illa vita vxoris latuerit dominum: atque ita exiſtimauerim temperandam eſſe communem illam Dd. ſententiam. Nam certè ſi dominus ſciat vxoris turpitudinem ac diſſimulet, tum verò reus erit lenocinii, & proinde dolus cum dolo compenſabitur, nec ad feudi priuationē agere poterit, ne audiat illud Satyrici: *Clodius adcuſat mœchos, Catilina Cethegum.* Paria enim delicta mutua compenſatione tolluntur, *l. vlt. §.pen. & ibi Accurſ. & Bart.D.de eo per quem factum erit.* Diſtinguendum quoque puto, inter eam quæ ante matrimonium fuit vulgaris, ſed poſtea eſſe deſiit, & illam quæ eſt aut fieri cœpit talis in ipſo matrimonio, *arg. d.l.* 13. *& ibi notat Gothof.D.ad L.Iul.de adult.*

101. D. *Audiui aliquot ampliationes regulæ de feudo ob vitiatam domini vxorem amittendo. Proximum eſt, vt ſi quæ ſunt Exceptiones, addas?*

M. Exceptio hæc eſt, niſi quis ignorans talem eſſe, vitiauerit, puta, quòd perſonatam aut meretricia veſte indutam compreſſerit: ſicut Patriarcham Iudam feciſſe legimus Thamar in Geneſi, *l.*15. *§ſi quis virgines.D.de iniurijs,l.vlt.de adult.c.*6.*in lectum,*34. q.1. nam ignoran-

tia talis marito erit excuſata, cum inde abſit animus delinquendi, *argum.l.ſi quis ignorans, D.locati, l.3.§.Qui neſcit. D. de libero homine, l.11.§.vlt.D. de his qui not. infam.l.igitur, D.de liberali cauſſa.* Et hanc exceptionem etiam ad alias perſonas, de quib. mox dicetur, adcommodare debes, eſt enim generalis.

102. D. *Quid ſi vaſallus ſponſam domini corruperit?*

M. Hic quoque pœnam priuationis incurrit, vt rectè poſt Aluarot. & Ardizonem ſentit *Zaſius p. 10.n. 27. & Schraderus p.9. c.2. num. 12. cum ſeq.* vbi plurimos alios ita ſentientes adlegat. Atque hæc nona eſſe poteſt ampliatio. Quanquam enim ſponſa licet verbis de præſenti, vt loquuntur, conſtituta, propriè loquendo differt ab vxore, quæ per deductionem in domum mariti, tanquam in domicilium matrimonii conſtituitur, *l.5.D. de ritu nuptiarum, l 15. cui fuerit, D.de conditionib. & demonſtrationib. fac.l.32.ea qua, D.ad municipalem.* hodie verò per deductionẽ ad Eccleſiam, & benedictionem ſacerdotalem, vt docet *Hotom. in Illuſtr. Quæſt.* tamen nec matrimoniũ qualecunque, nec ſpem matrimonii violare oportet. Et poteſt ſponſus ſtupratorem ſponſæ etiam iure mariti adcuſare. *l.13.§. Diui, D.de adulteriis, l.7.C.eod.* Præterea ſponſæ illatam iniuriam etiam ſponſus vindicare poteſt, *l.15.§. ſponſam, D. de iniuriis.* Facit huc denique *l. 12. §. 1. & 2. D de ritu nupt. & §.ſi vxor, verſ. nam conſtat. Inſtit. de nuptiis.* vbi etiam à nuptiis ſponſæ parentis, & ſponſæ filii abſtinere iubemur, quamuis nec illa propriè ſit nouerca, neque hæc propriè ſit nurus. Item quod tutor æquè prohibetur ſibi deſpondere ſuam pupillam ac ducere. *l.60.ſi quis tutor.§.Quamuis, D. de ritu nupt.* Atque ex his facilè ſumi poteſt reſponſio ad obiectionem, qua quis fortè dicere poſſit, in pœnis irrogandis verba legum propriè adcipiẽda, nec interpretatione eſſe producenda. *l.interpretatione, D. de pœnis, c.odia. & ibi Dynus, D. de Reg.I.in 6.* nam neque lex Iulia, quamuis loquatur de viro, excludit ſponſum, *d.l.13. §. Diui.* & oratio D. Marci, quamuis nuptias tantum nominat, tamen & ſponſalia comprehendit, *d.l. 60.§. Quamuis, D. de ritu nupt.*

103. D. *Quid ſi vaſallus viduam domini ſtuprũ commiſerit, poteritne ob id feudo priuari?*

M. Diſtinguendum eſt inter viduam, quæ manet in ſtatu viduitatis, & eam, quę ad ſecundas nuptias tranſit. Et hoc quidem caſu vaſallus, qui rem cum ea habuerit, feudum non amittit. Iam enim non amplius dici poteſt iniuriâ affeciſſe priorem eius maritum, aut memoriam eius læſiſſe, quam ipſamet mulier aboleuit, & læſit iterum nubendo. Priore autem caſu magis communis eſt ſentētia, vaſallum feudo priuari ob ſtuprum in ea commiſſum. *Zaſius p.10. d.n. 27. Iul. Clarus quæſt.48. in §. feudum, & lib.5. Sentent. §. ſtuprum, num.5. Borcbold. cap.8. num.96. Roſenthal. c. 10. concluſ.55. Schraderus, p.9. cap.2. num.5. cum ſeqq.* Ratio eſt, quia vidua, quam diu talis manet, videtur in eodem matrimonio viuere, & quemadmodum viuentis mariti honore erigebatur radiisque coruſcabat, *l. vltim. Cod. de incol. libr.10.* quæ lex totidem verbis repetitur in *l. Mulieres, 13. Cod. de dignitat. lib.12.* ſic etiam vidua retinet eiusdem priuilegia & dignitatem iam defuncti, *l. Quoties, Cod. de priuileg. Scholar. lib.12. vide & Dd. ad Auth. Eiusdem, C. de ſecundis nuptiis, & ad Auth. Sacramentum, C. Quãdo mulier tutelæ offic. fungi poſſit*: & proinde eam lædens aut vitians vaſallus, videtur ipſi domino, quamuis defuncto inferre iniuriã, eiusq; manes violare, adeoque crimen priuatione feudi dignũ cõmittere. Sunt tamẽ qui contrariã ſententiã tueãtur, vt Bald. Schenck. Molinæus, Cõtius, Fornerius, Eguin. Baro, Sonsbeccius & alii, qui nituntur auctoritate textus in *§. vlt. t.21. libr.1. feud.* in verbis: *Si cõcubuerit cũ vxore domini ſui, domino viuente:* quaſi à contrario ſenſu, aliud ſit, ſi hoc fecerit domino mortuo. Nam alioquin (inquiunt) illa verba, *domino viuente,* otioſè fuiſſent addita. Et ſanè difficile eſt ad hunc locũ reſpondere. Iidem tamẽ ſententię negatiuæ propugnatores vnã tradunt Exceptionem: *Niſi vaſallus intra tempus luctus vitium obtulerit viduæ domini.* Tunc enim volunt eum iure priuari feudo poſſe: Et meritò. nam & qui ſciens vxorẽ duxerit, eam quæ priorem maritum nondum eluxit, infamia notatur iure ciuili; quia videlicet occaſionẽ præbet turbãdo ſangui-

guini, & facit vt incertus naſcatur fœtus dum neſcitur, vtrum ex priore, an ex poſteriore marito fuerit cõceptus, *l.1.& 11.§.notatur etiã, D.de his qui not.infam.* Deinde qui tã citò cum vidua domini ſe commiſcet, is videtur etiã viuente domino turpẽ conſuetudinẽ cum ea habuiſſe, nec caruiſſe adulterii ſuſpicione: argumẽto eius quod ait *Iuſt.in Nou.39.c.2.verſ.ſi.n.illas.* Tẽpus autẽ luctus legitimũ olim fuit, decẽ menſium, vt conſtat ex Faſtis *Ouid. li.1. & 3.* Deinde verò à Theodoſio factum eſt annuum, *l.2.C.de ſec nuptiis.* Quamuis enim & Seneca faciat mentionẽ anni, dum ſic ait *lib. 8. Epiſt. 64. Annũ fœminis ad lugendũ conſtituere maiores*, &c. tamen annũ Senecę intelligere debemus tantum decem menſib. conſtitiſſe, quib. poſtea duo ſunt additi. Sic.n. ſeipſum alibi declarat in libro De conſolatione, cum ait: *Maiores decẽ menſiũ ſpatium lugentib. viros dedêre.* Sed hoc obiter dictũ ſit: vt & hoc tẽpus illud luctus annui, noſtris morib. ex iure Põtificio nõ obſeruari; ſed malè.

104. D. *Quid ſi vaſallus concubinam domini ſui cõſtuprarit, poteritne ob id feudo priuari?*

M. Quanquam iure ciuili permiſſus fuit concubinatus: *toto t.D.De concubinis, l.144.D.de V.S.* & paſſim in legib. & concubina ab vxore ſolo dilectu, i. animi deſtinatione, & propoſito ſeparatur, teſte *Paulo lib.2. Sent. t.20.* ſiue ſola dignitate, *l.itẽ legato.§.parui refert.D. de leg.3.* tamen iure diuino & Pontificio, & à Leone *Imp.in N.91.* prohibitus eſt, quàm prohibitionẽ etiam mores noſtri ſequuntur. vide *Geneſis cap.3. Matth.19.1. ad Corinth. 5. & 7. & c.concubinæ. cum ſeqq. 32. quæſt.2. c.nemo.c. dicam, c.meretricẽ, & c. ſeq.eadem cauſsâ, quæſt.* 4. vt ita hæc quæſtio, quam tamen omnes mouẽt, non magni ſit vſus. Quòd ſi tamen alicubi cõtingat, cõcubinatũ in vſu eſſe & tolerari, ſicut à Romanis toleratũ fuiſſe diximus, & fortè vaſallus concubinã domini vitiauerit, quæri poterit, quid iuris ſit. Qua de re ita cenſeo, cum *Ioh. Petro Ferrarienſi in forma libelli, quo agitur de reuocatione feudi*, in verbo, *nec ſuperſtitibus*; & cum *Martin. Laudenſi ad tit.5. libr. 1. feud. & cum Molinæo in conſuetud. Pariſienſ. tit.1. § 30. n.140.* Non eſſe hanc cauſſam ſatis iuſtam priuationis feudi. Rationes ſunt

iſtæ:Licèt in iis quæ ſunt fauorabilia parum diſtet cõcubina à iuſta vxore,ſolo (vt ait Paulus) dilectu ſeparata,aliud tamen eſt in iis,quæ ſunt odioſa,cuiuſmodi ſunt pœnalia, in quibus non debet fieri extenſio, *cap. odia,de R.I.in 6.l.interpretatione,D.de pœn.l.19.D.de liberis & poſthumis.* Argumentum quoque duci poteſt ex *l.17.in pr.D. rerum amot.* vbi actio furti, quæ marito in vxorem poſt diuortium nõ datur ob honorem & memoriam matrimonii,cui parcere debet, datur tamen aduerſus concubinam,ſiquid ab ea fuerit ſubtractum. Accedit denique quod quis in concubina non poſſit vindicare adulterium iure mariti. *l. 13.§.ſi quis vxorem, verſic. Quod & in concubina,D.ad l. Iul.de adul.* Multis tamen contrarium eſt viſum, quos refert & ſequitur *Schraderus par.9.cap. 2.num.* 15. pro quibus facere videtur,quod filius,qui concubinę patris ſe miſcuerit,non minus meretur fulmen exheredationis paternæ; ac ſi vxorem eiuſdem, id eſt, nouercam ſuam conſtupraſſet,vt eſt expreſſum in *Nou.* 115. Iam verò quæ ſunt iuſtæ & ſufficientes cauſſæ ad exhæredandum, eædem etiam ad priuationem feudi ſatis graues ſunt, §. *prædictis modis,tit.24.libr.* 2. cum & priuatio feudi ſæpè dicatur exhæredatio, vt ſupra ex obſeruatione Cuiacii retuli.

105. D. *Quid ſi pediſſequam ſuæ dominæ vaſallus ſtuprauerit?*

M. Multi negant ob id pœnam priuationis locum habere:vt videre eſt apud *Iſerniam,& Schenckium ad d. tit.5.libr.1.feud.& Franc.Curtium de Feudis,p.2.num.22. Sonsbec.p.12.n.22.* A quibus licet diſſentire ob has rationes:primùm,quia etiã iure ciuili, qui pediſſequam alicuius matronæ adſectatur, eiuſve pudicitiam adtentat,iniuriarum tenetur ipſi dominæ, *l.15.§.tenetur, cum §.ſeq. & §. Meminiſſe, D. de iniuriis.* niſi quis dicat iniuriarum quidem actionem dari hoc caſu,ſed tamen ad priuationem feudi procedi nõ poſſe. Deinde, quia hoc ipſo vaſallus facit contra honeſtatem dominæ, quam ſartam tectam ſe conſeruaturum promiſit in iureiurando fidelitatis,vt eſt in *verſic.honeſtum,tit. 6. lib. 2.Feud.* Tertio, quia etiam pediſſequa eſt ex numero

2.Fe.

earum

earum perſonarum, quæ poteſtati & adfectioni noſtrę ſubiectæ ſunt, à quarum contumeliâ vaſallus abſtinere debet, vt ſupra audiuiſti.

106. D. *Quid ſi vaſallus matrem domini ſtuprarit, erit ne ob id feudo priuandus?*

M. Omninò puto. Nam ſi ſororem domini vitians hac pœna dignus eſt, vt mox dicam, quãtò magis eandem merebitur ſtuprum offerens matri eius, multò enim maior & arctior eſt inter matrẽ & filium, quàm inter fratrem & ſororem coniunctio ac neceſſitudo, & proinde grauior quoque iniuria redundat ad vaſallum ex conſtupratione matris, quàm ſororis à vaſallo perpetrata. Adcedit, quod eſt in *tit. 7. lib. 2. feud.* Ad tuam vel tuorum iniuriàm vel contumeliam, &c. Suorum autem adpellatione, vel inprimis cõtinetur mater; vtpote, cuius viſcerum portio fuerit filius. Contrarium tamen placuit *Eguinario Baroni libr. 3. de benefic. cap. 3. & Franc. Sonsb. d. p. 12. n. 19.*

107. D. *Audiui de violata domini vxore, ſponſa, viduâ, concubinâ, pediſſequâ dominæ, itemque matre domini. Reſtat vt dicas de cæteris perſonis ad adfectionem domini vel dominæ pertinentibus?*

M. Eæ ſunt in *d. t. 5. lib. 1. & tit. 24. lib. 2.* filia domini vel dominæ, neptis ex filio (non etiam *ex filia*, propter rationem ſuperius indicatam ex §. *vlt. Inſtit. De patria poteſtate*) item nurus. nam & hæc loco filiæ eſt ſocero & ſocrui. §. *adfinitatis, Inſtit. de nuptiis.*

108. D. *Quid autem de ſorore domini ais, an vaſallus etiam ob ſtuprum huic illatum feudo priuabitur?*

M. Ita; ſed cum diſtinctione. Nam ſi eſt in capillo adhuc innupta virgo, & in domo domini, id eſt in familia eius, tum vaſallus ob ſtuprum ei illatum feudo multabitur: ſecus ſi ſit alteri nupta, aut vidua extra domum fratris ſui, eiuſdemque domini feudi degens. §. *item ſi fidelis, tit. 5. libr. 1. & §. rurſus, tit. 24. libr. 2.* Ratio differentiæ eſt, quia hoc poſteriore caſu contumelia ſororis non tàm propè adtingit dominum feudi, fratrem eius, vt priore. nam nubendo alteri, à domo fratris tranſit in familiam mariti ſui, qui illam iniuriam

vindicare poterit, ſecundum id quod habetur in §. *patitur autem, Inſtit. de iniuriis.* Cæterùm de illa formula, eſſe in capillo, pro innuptam adhuc puellam, vide *Hotom. in lex. feud.* vbi eandem etiam obſeruat ex legibus Longobardorum & Conſtit. Neapolitanis. Adnotat quoq; , fuiſſe apud antiquos hanc conſuetudinem, vt nouæ nuptæ crines ſoluerent, qui mos adhuc hodiè in quibusdam Germaniæ ciuitatib. etiam in paranymphis virginibus vſurpatur.

109. D. *Sed de ſorore mihi hic dubitatio quadam incidit. videtur enim nimis aſperè agi cum vaſallo ſtupratore ſororis domini, adeoq; videri poterat non eſſe priuandus feudo, quandoquidem is, qui fratrem domini interfecit, non idcircò feudum amittit, vt eſt in t. 37. lib. 2. feud. & infra fortaſſis adtinges?*

M. Non debet hoc mirum tibi videri, quod ſtuprator ſororis domini feudo priuetur, occiſor fratris non priuetur. Nam viro bono lõgè grauior debet eſſe metus ſtupri, quàm mortis, vt rectiſſimè ait *Paullus in l. 8. D. Quod metus cauſa.* vnde & *S. Auguſtin. lib. 1. de Ciuitate Dei, cap.* 18. *& ſeq.* multis diſputat, vtrũ præſtet, ſpontaneâ morte ſtuprum anteuertere atq; effugere, quàm pati ſalua vita. Et nobile eſt exemplum Virginii apud *Liuium lib.* 3. Quare & feudiſtæ exiſtimarunt, grauius crimen eſſe in vaſallo, ſi ſtuprum ſorori domini, quàm ſi necem fratri eius obtulerit.

110. D. *Quid ſi vaſallus concubuerit cum ſorore domina ſua, an ob id feudi priuatione dignus erit?*

M. Puto diſtinguendum, an domina feudi, cũ qua ſoror moratur, adhuc ſit innupta, an verò coniugata, vt priore tantum caſu, n̄on etiam poſteriore vaſallus cum ſorore eius rem habẽs, feudo excidat. Atq; ita intelligendus videtur *textus, in d. §. Rurſus, tit. 24. lib.* 2. Alter vero textus in *t. 5. lib.* 1. tantum ſororis domini mẽtionem facit. Differentiæ ratio eſt, quia ſi domina feudi ſit coniugata, iam non ampliuspoteſt dici ſoror eius eſſe, aut manere in ipſius domo, cum ipſa nubendo tranſierit in mariti domicilium, quod iure ciuili vxor ſequi cogitur. Ceſſante itaque ratione iuris, ceſſabit ius ipſum.

III. D. *Proximũ eſt, vt exponas de criminib à vaſallo nõ aduerſus ipſam domini perſonã, eosve qui ipſius poteſtati vel adfectui ſubiecti ſunt, ſed prorſus extraneos commiſſis?*

Huiuſmodi crimina ferè quatuor reperio in iure feudali, quæ ſunt: primo parricidiũ: ſecundo, Traditio, ſiue Proditio conuaſalli. Tertio, inceſtum. Quarto, læſæ maieſtatis: quib. & quintum nõnulli interpp. addũt, adulterium & ſtuprum: de quib. ſingulis ordine videndum eſt. *Quomodo igitur vaſallus feudo priuatur ob parricidium perpetratum?* M. Si fratrem ſuum, aut filium fratris ſui occiderit. *§. denique, verſic. ſi vero non in domino, titul. 24. & §. item ſi fratrem ſuum occiderit, tit. 5. libri primi.* Vbi quod Accurſius putat, Pronomen, SVVM, poſſe ad vtrumq; referri, tam ad dominum feudi, quàm ad vaſallum, pace ipſius dixerim, peccat (ſicut alibi quoq;) ignorantiâ linguæ Latinæ, quæ hoc non permittit: vt multis docet *Laur. Valla de vſu reciproc.* Quanquam autem feudiſta in *tit. 37. libr. 2.* hanc addit limitationem; vt tunc demum vaſallus feudo priuetur, ſi patrem ſuum occiderit totius hæreditatis obtinendæ cauſſa (vbi nomen *hæreditatis*, pro ſucceſſione feudali adcipiendum videtur) tamen reliqui duo textus indiſtinctè fratricidium vindicant amiſſione feudi, etiamſi non hoc animo, aut eo fine id perpetratum fuerit: & quidem longè commodius omittunt iſtam limitationem. Quaquà enim ratione fratrem ſuum quis occiderit, etiamſi non ſpe ſucceſſionis, tamẽ ſemper verum eſt parricidium eſſe. *l. 1. in verbo fratrẽ, D. de l. Pompeia de parricidiis. Et ita Cuiac. ad tit. 2. lib. 1.* rectiſſime admonet, quod & Hotom. placere video in *cõmentario ad t. 5. lib. 1. in verb. fratrem vel nepotem:* vbi obiter obſeruabis nepotem dici non lineâ deſcendentiũ, qui ex filio aut filiâ alicuius natus eſt; ſed fratris filium in transuerſo ordine, quem &, *fratruelem* & *fraternum* poſteriores ſcriptores adpellare ſolent. *Cuiac. ad d. tit. 2. lib. 1. Feud.* Dicendum eſt igitur, exempli potius cauſa hoc ibi adiici de ſpe potiundę hereditatis, quod nimirum ita fortè contigerit, non quod ſemper ſit neceſſarium. Exempla enim declarant potius, quàm reſtringunt regulam.

112. D. *Sed cur ob necem fratris ſui feudum quis amittit, & non ob necem fratri domini oblatam, vt eſt in adlegato tit. 37. cum tamen frater domini propius ipſi coniunctus ſit, quam frater vaſalli, qui reſpectu domini prorſus eſt extraneus, & proinde cum occidendo nihil delinquit in dominum?*

M. Ratio differentiæ hæc eſt; quia priori caſu commiſſum eſt parricidiũ, *d.l.1.D.de l. Pompeia De parricid.* & diximus ad *§. Alia deinde lex, Inſtit. de public. iudiciis.* poſteriore tantùm ſimplex homicidium. Atqui parricidium longè grauius & atrocius crimen eſt homicidio, ſicut etiam grauius punitur; & proinde æquum viſum eſt feudiſtis, ne adeò infamis & crudelis perſona, quæ ſe parricidio polluit, amplius in curiâ domini verſetur. Nam cui tandem parcet, ſi proprio fratri & ſuo ferè ſanguini non pepercit? Neque tamen dicimus impunè eſſe debere vaſallo, ſi fratrem domini occiderit. (ſubire enim hoc nomine debet iudicium parium curiæ, & coërcitionem aliquam:) ſed hoc volumus, pœnã non eſſe priuationem feudi. Vide *Cuiac. d. loco, & Sonsbeccium p.12. num.54.* Excipiunt tamen duos caſus, quibus etiam propter fratrẽ domini occiſum feudo priuandus ſit vaſallus: vt primo, ſi in contumeliam domini eum occiderit. Secundo, ſi proditoriè id fecerit, de quibus exceptionib. vide *Nicolaum Mozzi. tit. Ex quibus cauſ. feud. amit. n. 61.*

113. D. *Cur feudiſtæ hic tantum meminerunt fratris & filii fratris, ſiue nepotis ex fratre, vt vulgò vocant, cum tamen longè latius pateat crimen parricidii?*

M. Non iniuriâ hoc miraris, & requiris. Neque defuerunt qui extenſionem ad alia parricidii genera in aliis coniunctis perſonis commiſſa (quæ extenſio vulgo, & rectè quidem, vt puto, ab interpretibus fit, ſicut videre eſt apud *Schraderum p.9. cap.3.*) improbarent, atque reiicerent; quia, inquiunt, vnius incluſio cæterorum eſt excluſio *argum. l.12. D. de iudiciis, l. Hos accuſare, 8. D. de accuſationibus, c. nonnè benè. ext. de præſumptionib. & ibi Dd. Menoch. conſil. 158. num. 29. libr. 2.* Dum igitur feudiſtæ exprimunt fratrem & fratris filium, eo ipſo alias perſonas excludere voluiſſe videntur. Et ſanè hi

ali.

aliquid

aliquid dicerent, niſi haberemus textum generalem in *d.§.denique,tit.24.lib.2.* vbi fratricidii mentioni adiunguntur iſta: Vel aliud graue crimen, quod parricidii appellatione continetur. Ex quibus verbis ſatis patet, non ob ſolum fratricidium feudum amitti, verùm etiam ob aliud quodvis parricidium; quod niſi ſic admitteremus, meritò ſtultitiæ arguendi forent feudiſtæ, & mera pecora fuiſſent, qui hoc pacto nobis reſtrinxiſſent parricidium, vt non niſi fratrem occidens, aut fratris filium, feudo priuaretur; ac ne hoc quidem ſemper, ſed tunc demum, ſi ſpe potiundæ hereditatis ſiue feudi hoc feciſſent. quid enim? num augetur crimen ex hac circumſtantia? Deinde an non æquè grauiter peccat, qui ſororē ſuam occidit, atque is qui fratrē, *d l.1.* An nō deniq; grauius multò, qui patrē aut matrē, vitæ ſuæ auctores, qui item filium filiā, nepotem neptemve, qui ab ipſo vitā acceperunt, occidit, quàm qui fratrē? Omninò igitur verior eſt; ne dicam cōmunior, ſententia illa; vaſallum ob quodvis parricidium, & non tantùm fratricidium, feudo priuandū eſſe, quidquid nonnulli dicant, qui tunc demū admittunt extenſionē ad alias perſonas, ſi quis eodem animo illas occiderit, nempè, vt vel ſolus ipſe, vel tantò maturiùs feudū conſequatur. Ex hac.n.circumſtantia, vt dixi, crimen nō creſcit, quod per ſeſe ſatis eſt graue, ſicut nec eiuſdē defectu decreſcit vel minuitur. Exemplum hîc referre libet ablati ob parricidium feudi. Id præbet hiſtoria Gallica. Cum enim Arturus, Angliæ Rex Richardi filius à patruo ſuo Ioanne cæſus eſſet nefariè, Philippus Auguſtus rex Galliæ, qui Arturum viuū totis virib. defenderat, etiam ipſius indigniſſimā necem vltus eſt, dānando Ioannē apud ſe & pares Franciæ de parricidio accuſatum, & feuda quæ à ſe tenebat in Francia, ipſi auferendo.

114. D. *Quid ſi vaſallus compatrem ſuum, (quem Canoniſtæ vulgò vocant* patrem ſpiritualem*) occiderit?*

M. Etiam hoc crimen parricidii ſpeciē eſſe volunt: nimirum quia in Baptiſmo contrahatur inter ſuſceptum & ſuſceptorē ſpiritualis quædam cognatio, quæ & nuptiis impedimento eſt. Græcis eſt οἰκειότης κτ̃ τ̃

πισῦμα. ſuſceptus enim ſuſceptori eſt loco filii, & contra, ſuſceptor ſuſcepto loco patris. *tot.t.ext.de cognatione ſpirituali, & ibi Cuiac.in Recitationib.*vid.& *l.26.ſi quis alumnam, C.de nuptiis*, quæ vnica in iure ciuili lex de hac ſpirituali cognatione exſtat. Meritò igitur ſi quis tàm impius extiterit, vt occidat eum, cuius animę Deo mediàte copulatus eſt in ſacroſancto baptiſmate, feudo priuabitur: qua de re vide *Schrad.p.9.c.3.n.25.*

115. D. *Quid ſi quis tantum inſidias ſtruxerit vitæ talium perſonarum, nec ſecutus fuerit euentus?*

M. Sit hæc prima ampliatio, vt etiam tunc vaſallus feudum amittat: Idem *Schrad.d.p.9.cap.3.n.30.arg.l.1.in fin.& l.7.D.de l. Pompeia De parricidiis.*

116. D. *Quid ſi vaſallus tantum adiuuerit parricidiū ab alio ſuſceptum, aut conſcius fuerit criminis?*

M. Sit hæc ſecunda ampliatio, vt talis quoque feudum perdat, quamuis alioquin ſit extraneus. *Schraderus d.loco.n.33.arg.l.2.& l.6.D.d.tit.de l. Pompeia, §. Alia deinde lex.verſic. Nec non is.cuius dolo, Inſtitut.de public. iudic.*

117. D. *Quid ſi tantum doloſe captiuum detinuerit, aut carcere mancipauerit aliquem ex ſupra dictis perſonis?*

M. Sit hæc tertia ampliatio, vt tum quoq; vaſallus feudo priuetur: de qua vide eundem *Schraderum n.35. Et Henric.Roſenthal.cap.10. concluſ.65.argum. l.7.§.1.D. quod metus cauſſa:* vbi vincula morti comparantur. Accedit quod etiam vaſallus dominum ex carcere non liberans, cum poſſit, feudo priuatur, vt ſupra audiuiſti: quantò igitur magis hoc dicendum eſt de eo, qui patrem, vel aliàs tàm cōiunctas perſonas, vt parricidium in ipſis committatur, non ſolum non liberat ex vinculis, ſed etiam ipſe eas includit. Denique argumentum ſumi poteſt ex *Nou.125.* vbi hęc iuſta eſt cauſſa exhæredationis. Erit ergò etiam ſufficiens ad priuationem feudi. *arg.§.prædictis modis: tit.24.*

118. D. *Satis de parricidio: Quid autem ſi vaſallus ſibi ipſi violentas manus intulerit, factus αὐτόχειρ, num feudo priuabitur, vel ipſe ſi ſuperuiuat, vel eius heres?*

M. Iulius Clarus in §. *feudum*, *quæſt.58.* indiſtinctè reſpondet negatiuè, ſecutus Baldum & Iacobinum de

S. Geor-

S. Georgio: quia ſcilicet hoc delictũ vaſalli nullo modo pertineat ad domini offenſionẽ: de qua tamen deciſione, eiusve ratione nõ immeritò dubites. Quomodo .n. hoc non pertinet ad offenſionẽ domini, ſi vaſallus tam nefario modo conetur ſeruitiis & fidelitati eius ſe ſubtrahere? Cum etiã Reip. iniuriam faciat, qui ſeipſum interficit, dum ciuẽ ei adimit, vt rectè *Ariſtoteles lib.5. Ethic.* Diſtinguendum ergò potius exiſtimo inter cauſſas impulſiuas, ob quas vaſallus ſibi ipſi manus intulerit, vt ſi quidẽ propter alicuius criminis conſcientiam talis, ob quod alias feudo priuãdus eſſet, ſeipſum reb. humanis extrahere conatus ſit, tum priuetur feudo, & ipſe ſi fortè vulneri ſuperuixerit, & eo mortuo heres: Sin autem aliam ob cauſam, vt impatientiâ aduerſæ valetudinis & doloris, item tædio vitæ, atque odio lucis, tum neq; ipſe, ſi ſuperuixerit, neq; eo mortuo heres feudum amittat. Quod idem Zaſius quoque voluiſſe videtur *p.* 10. *n.* 105. eaque diſtinctio paſſim in iure ciuili tradita receptaque eſt. Loca aliquando collegi in *Inſtitut. ad finem tit. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*, vnde licebit repetere.

119. D. *Traditionis crimen quale eſt?*

M. Si vaſallus feloniam commiſerit, hominem tradendo, priuabitur feudo, vt ait textus in *d. t. 37. libr. 2. Feud.* Tradẽdo hominẽ, id eſt, conuaſallum ſuum prodendo. Traditio enim Longobardis vſurpatur in ſignificatione proditionis. ſicut & hodie Italis, *Traditor* idem eſt, quod *proditor*, & apud Gallos ſimilem habent notionem, *Trahir*, item *Trahiſon*. Quod autem hominem interpretatur vaſallum eiusdem domini, non eſt nouum in iſto iure: de quo & alias audiuiſti, & docet Hotom. in *Lexico verb. Feud.* Ratio quare ob hanc cauſam vaſallus feudũ perdat, hæc eſt, quia cõuaſalli ſunt confratres inter ſe, vnde & pares adpellantur, itẽ pares curię, ſiue domus. Cũ ergò vaſallus fratrem ſuum occidens, aut fratris filiũ, amittat feudum, (de quo ſupra) meritò etiã ſubibit eandẽ pœnam, ſi conuaſallũ prodiderit alteri ad occidendũ, ꝑſertim cũ proditores magis etiã ſint nefarii, atq; exoſi omnib. mortalib. quàm ipſi homicidę, vt pulchrè aliquot argumẽtis ꝓbat *Bor.*

*cap.8.num.*125.ſunt etiam plures vaſalli eiusdem domini inter ſe commilitones. Atqui commilitonem ſuum vulnerans,vel exauctoratur militiâ,vel etiã capite plectitur,*l.6.§.ſi quis commilitonẽ,D.de re militari.* Sunt tamen lõgèplurimi autores,qui in *d. t.*37. hominẽ nõ de cõuaſallo,ſed in genere de quolibet homine adcipiendũ putant,vt videre eſt apud *Schrader.p.9.cap.3.n.64.&* *Roſenthal.c 9.concluſ.61.etiam Borch.d.loco*, a quibus liceat diſſentire ob rationes ſatis euidentes.

120. D. *Quomodo ob inceſti crimẽ vaſallus feudũ amittit?*

M. Si vel inceſtas contrahat nuptias,vel alias extra matrimonium inceſtu ſe polluat. *Zaſ.p.10.n.29. Schraderus p.9.c.3 n.1.Et Roſenthal. c.9. concluſ.* 68. Ratio eſt poſita in huius criminis turpitudine , per quam fit , vt non amplius honeſtè vaſallus ſtare poſſit in curia domini. Ampliatur autem hæc regula ; primùm , vt ne tum quidem, ſi papa diſpenſauerit , feudum retineat, aut recuperet , vt rectiſſimè ex Baldo retulit *Zaſius d. loco.* Nam vt maximè concedamus , papalem hanc diſpenſationem facere poſſe , vt iuſtum vaſalli ſit matrimonium,quodper ſe futurum erat inceſtum:tamen eius tanta vis non eſt,vt ius ſuum domino feudi adquiſitum auferre poſſit. Secundo ampliatur vt procedat, ſiue inceſtus ſit iurisgentium , ſiue iuris ciuilis. obſeruabis enim hîc obiter duas inceſti diuiſiones: quarũ prima eſt ea,quã modo indicabã , nempè inceſtum aliũ eſſe iuris naturæ ſeu gentiũ,aliũ iurisciuilis.Altera eſt diuiſio , quâ inceſtus aut committitur ſub figura matrimonii , aut cum aliqua ſpecie fornicationis extra matrimonium.

121. D. *Quæſo has ſpecies leuiter mihi explices:& primũ quidem inceſtus naturæ ſeu gentium qualis eſt?*

M. Quando inter ſe commiſcentur ex cognatione quidẽ aſcendentes, & deſcendẽtes in linea recta: verbi gratia,ſi filius rẽ habeat cũ matre , aut pater cum filia, quomodo in Geneſi Loth cum filiabus ſuis , à quibus inebriatus fuerat & ad concubitum illectus poſt conflagrationẽ Sodomæ & Gomorrhæ: Quomodo item Myrrha cum patre Cynira ſeſe commiſcuit,vt eſt apud Ouidium in Metamorph. Huius generis eadẽ eſt ſecũ-

dum

dum quoſdam interpp. ex tranſuerſo ſi quis cum ſorore rem habeat: vt in *lib. Reg.* Filius Dauidis Ammon cũ ſorore ſua Thamar. Itẽ huius generis inceſtus eſt ſi ex adfinitate inter ſe commiſceantur eæ perſonæ, quæ ſibi inuicẽ ſunt loco parentum & liberorum, vt ſoror, nurus, ſocrus, gener, nouerca, priuignus, vitricus, priuigna aut priuignæ filia, &c.

122. D. *Quis eſt inceſtus Iuris ciuilis?*

M. Si quis non abſtineat ab ea cuius coniunctio non diuino aut naturali iure, ſed aliqua lege aut conſtitutione, aut alia parte iuris Politici prohibetur. Extant autem huius diſtinctionis fundamenta in *l.* 138. *ſi adulterium,* §. 1. *D. ad l. Iul. de adulteriis, l. fin. D. de condict. ſine cauſſa. l. fin. D. de ritu nupt. & l.* 35. §. 1. *de V. O.* De altera verò inceſtus diuiſione, in eũ qui fit ſub figurâ matrimonii, & eum qui cũ ſpecie fornicationis, vide *Iul. Clar. lib.* 5. *ſent.* §. *inceſtus, Couarruui. p.* 2. *de matrim.* §. 8. *de inceſtis nuptiis, n.* 2. vbi plures adlegat autoritates: itẽ *Anton. Teſſaur. deciſ.* 100. *n.* 3. Deniq; *Iacob. Thomingium deciſ.* 42. Et quidẽ ſi inceſtus cõmittatur ſub figura matrimonii; nuptiæ dicuntur vel nefariæ, vel ſimpliciter inceſtę. Nefariæ quidẽ, ſi ſit cõmiſſus primi generis inceſtus, nempe contra prohibitionem iuris naturæ ſeu gentiũ; inceſtæ ſimpliciter, ſi poſterioris generis, nempe aduerſus interdictum iuris ciuilis, vt rectè Cuiac. diſtinguit in *paratit. C. ad tit. de inceſtis & inutilibus nuptiis.* Quanquam autẽ aliàs ferè mitius puniatur inceſtus ſub ſpecie matrimonii cõmiſſus, quàm cum ſpecie fornicationis, vt videre eſt in *l.* 4. *&* 6. *cum Auth. inceſtas nuptias, C. d. t. & apud* Dd. ſupra relatos. tamẽ quoad amiſſionẽ feudi non diſtinguimus inter genera inceſtus. Atque hæc quidem de inceſtu communis eſt opinio, ob hoc crimen vaſallum perdere feudum, quam tamen in dubiũ reuocauit *Franc. Curt. p.* 4. *de feud. num.* 40. vbi contendit ſimul ſtare poſſe hæc duo, vt bona alicuius ob crimen quodpiam publicentur, & tamen ciuiliter contra eum non agatur ad priuationem feudi: eamq; ſingularem opinionem nuper rationibus quibusdam oppugnauit etiam *Bocerus diſput.* 17. *Claſſ.* 4. *n.* 105. Prima eſt, quia nuſquam in libris feudorum hæc

ponatur inter cauſſas amiſſionis feudi, ideoque nec recipienda videatur. *argum.l.19.C.de collationibus.* Secundo, quia in pœnalibus non ſit admittenda extenſio, ſed potius benignior interpretatio facienda, vt ſupra quoque non ſemel diximus. Tertio, quia cauſę exheredationis, & reuocandæ donationis adſimulari ſolent cauſis priuationis feudi, vt itē ſupra dictum. Iam vero ob inceſti crimen, neq; liberi à parentib. exheredantur, neq; donatio reuocatur à donatario. Ergo neque feudum ex hac cauſa amitti debet, cum & feudi priuatio ſit quædam exheredatio. Quartò, quia vaſallus ob ſtuprum viduę domini illatum non amittit feudum: propter textum expreſſum in *tit.21.lib.1.* in verb. *domino viuente*, (qua tamen de re, & ſupra dictum) Atqui iſta iniuria etiam ad defunctum pertinet, & magis quidē quàm quod vaſallus in ſorore ſua perpetrauit. Quinto & vltimo, quia vaſallus ob ſtupratam domini ſororem non amittit feudum niſi vnico illo caſu, quādo eſt in capillo & domo domini, vt ſupra audiuiſti: Et tamen propius adtingit dominum iſta iniuria, quàm quod vaſallus peccat in ſorore propria. Verum huic argumento reſponderi poteſt ex Cuiacio ad *tit.2. libr.1.feud.* ſicut grauius eſt crimen parricidii, quàm homicidium, ideoque ob necatum fratrem proprium feudo vaſallus priuatur; ob fratrem domini occiſum, non item: Similiter inceſtum, quod in ſorore propria committitur, longè grauius eſſe ſtupro, quod in ſorore domini. Deinde inceſtum non tantum in ſorore, ſed etiam in aliis perſonis multis committi poteſt: vt ita in hoc quinto argumento, ſicut & in quibusdam præcedentium, non ſatis roboris eſſe videatur. Vide etiam de tota hac re, an inquam, & quādo vaſallus ob inceſtum priuetur feudo, 35. *conſil. Modeſt.Piſtor.vol.2.*

123. D. *An etiam adulterium & ſtuprum à vaſallo perpetratum in extraneas perſonas meretur pœnam priuationis feudi?*

M. Ita quidem nonnulli putant, relati ab *Henric. Roſenthal. cap.10. concluſ.67.* ſed quoniam de inceſtu dubitari poſſe paulò antè audiuiſti, multò maiorem intelli-

intelligis eſſe dubitandi cauſam de adulterio & ſtupro; cum conſtet, vtroque grauius crimen eſſe inceſtum. Quod autem de maiore negatur, id non videtur adfirmandum de minore, quia ſi id non ineſt, quod magis, ne illud quidem inerit, quod minus ineſſe videtur, vt docet *Eberhardus in Top. in loco à maiore ad minus.* Eſt & hoc certiſſimum argumentum, quod iura feudalia expreſſe loquũtur de eo ſtupro, quod infertur domini vxori, & filiæ & nurui, nepti ex filio & ſorori domini, quæ eſt in capillo, & in domo domini. Iam verò vnius incluſio cæterorum eſt excluſio. Quid quod neque exheredatio filii à patre fieri poteſt ob hæc crimina, niſi fortè in nouercâ, aut patris concubinâ fuerint à filio perpetrata. Argum. *Nou.* 115. *cap.* 3. Sæpè autẽ ſolemus à cauſis exheredationis ad cauſſas amiſſionis feudi argumentum ducere, tàm negatiuè quam adfirmatiue.

124. D. *Quomodo ob crimen læſæ maieſtatis vaſallus feudum amittit?*

M. Superiora crimina in ſingulos; hoc in vniuerſos redundat. Porrò maieſtatis crimẽ à perduellione quomodo differat, item contrà quas perſonas committatur, audiuiſti ad §. 1. *Inſtit. De pub. iudic.* & latius explicatur ad *l. Quisquis, Cod. ad l. Iul. maieſtat.* Cum autem huius grauiſſimi criminis variæ ſint pœnæ, inter cæteras eſt etiam hæc, quod vaſallus id committẽs feudo priuetur: vt docet *Baldus ad §. callidis, de prohib. feud. alien. per Frider. Vide Schraderum p. 9. cap. 8. num.* 18. Et hoc verum eſt, ſiue crimen hoc perpetretur aduerſus ipſum dominũ feudi, ſiue contra aliũ: (quanquã hîc ꝓprie de iis delictis agimus, quæ in extraneas perſonas cõmittuntur, nõ in dominũ, neq; perſonas eius poteſtati vel adfectui ſubiectas.) Deinde hoc ampliatur, vt etiã ipſo iure ex hac cauſſa feudũ amittatur absque ſententia, quæ aliàs ſaltem declaratoria deſideratur, vt infra audies. Vide *Franciſ. Curt. p. 4. de feud. n.* 155. His delictis in alios cõmiſſis adde nimiã ſęuitiã vaſalli in ſubditos feudales: de qua cauſa priuationis vide *Mynſing. cent. 5. obſeru. 8. Gail. libr. 1. de pac. pub. c. 2. n. 22. &*

in obſeruat. Schrader. p. 9. cap. 3. num. 59. Huic ſimile eſt, quod iure quoq; ciuili nō licet domino in ſeruum ſupra modum ſæuire: vt in *Inſt.* audiuiſti.

125. D. *An etiam feudum ob benèmerita conceſſum reuocari poteſt ex cauſſa aliqua ingratitudinis?*

M. Vulgò fere putant, non poſſe. Verior tamē videtur ſententia Caroli Molinæi, quam & Ar. Pinell. approbat ad *l. 1. part. 3. ſub n. 62. verſ. Infertur decimoſeptimo.* Falſa enim eſt illa vulgaris hypotheſis, Donationē remuneratoriā non poſſe reuocari. Cui conſequenter hoc ſtatuerunt, Feudum ob benemerita conceſſum ex cauſſa ingrati non poſſe reuocari. Sed falſo fundamēto illo ſubruto, etiā quod ei ſuperſtruxerūt, corruit.

CAPVT VI.

Modos & cauſſas amittendi feudi Culpoſas ſequuntur non-culpoſæ. Hic quæſtiones quædam de Amiſſione feudi ſoluūtur: 1. Vtrum ipſo iure feudum domino cōmittatur, an verò ſententiâ interueniente. 2. Feudum amiſſum ad quē redeat. 3. Quid iuris ſit de Fructibus, Meliorationibus & Incrementis feudi amiſſi.

1. D. *Videris iam expediuiſſe cauſſas amittendi feudi, vt ſic dicam culpoſas. Nunc expecto vt dicas, quibus caſibus vaſallus ſine culpa ſua feudo priuetur?*

M. Id verò ſex modis adcidit. Primum, morte vaſalli, nullis relictis feudi ſucceſſorib. Secundò, Monachiſmo & clericatu. Tertio, refutatione feudi. Quartò, lapſu ſiue exitu temporis. Quintò, voluntate domini, repetentis feudum certo caſu. Sextò, interitu rei feudalis. In his omnib. facile animaduertis nullam verſari culpam vaſalli. Quidam autem ex his caſibus ſunt voluntarii, alii non voluntarii.

2. D. *Cupio de ſingulis breuiter abs te erudiri. Et primum quidem quos vocas voluntarios?*

M. Refutationem feudi, item monachiſmi & clericatus profeſſionem. Nemo enim cogitur feudū refutare

tare inuitus, quamuis domino inuito refutari illud poſſit: nemo quoq; inuitus profeſſionem ſuſcipit clericatus vel monachiſmi. Cæteri modi omnes ſunt inuoluntarii.

3. D. *Quomodo morte vaſalli feudum finitur?*

M. Animaduertere debes, quod non ſimpliciter dixerim, morte vaſalli feudum finiri, atque ad dominum reuerti. Non enim ſemper ſicut vſusfructus, ita & feudum morte extinguitur, ſed ita demum, ſi nullis relictis feudi ſucceſſoribus vaſallus deceſſerit, §. *rurſus, tit.* 5. *lib.* 1. & §. *etſi clientulus, tit.* 13. *eod. lib.* §. 1. *verſic. ſin autem, tit.* 9. & *tit.* 12. *cum tit.* 18. *lib.* 2. Vt maximè verò quis habeat in rebus allodialibus hæredes & ſucceſſores (ſicut rarò contingit, aliquem ſine omni hærede mori: quo caſu fiſcus bona tanquam vacantia occupat) tamẽ niſi ſucceſſores idonei & capaces feudorum adſint, nihil hoc iuuat defunctum. Quinam autem ſint feudi ſucceſſores idonei, plenè diximus ſuprà; neque hic eandem incudem tundere debemus. Ratio eſt, Quia feuda ad conſeruationem familiarum vt plurimum dari ſolent. Extincta igitur familia, in cuius gratiam feudum fuerat conceſſum, tanquam ceſſante vna ratione, ob quam datum fuerat, feudum ad ſuam originem reuertitur, vnde profectum erat.

4. D. *Sed feudo morte vaſalli domino ita, vt dictum eſt, aperto, poſſunt ne proximi defuncti cognati petere, vt ſibi potius; quàm extraneo dominus de nouo concedat, ipſosq; de eo inueſtiat?*

M. Quanquam *Bar. in l.* 1. §. *promittitur, D. de aq. quot.* & *æſtiu.* voluit, feudo ad certam generationem conceſſo, eaq; generatione deficiente poſſe proximos cognatos poſtremo defuncti vaſalli à domino petere, vt feudum ſibi confirmet, idq; dominum ipſis ſine iniuria denegare non poſſe, & hoc communi Dd. cateruæ placuit; tamen à iure & ratione alienum videtur, quia vnusquisque eſt rei ſuæ moderator & arbiter, de eaque ſtatuere poteſt, quod vult; & nemo cogitur ſocium aut vaſallum recipere, quem nõ vult; immò & generaliter, nemo contrahere cogitur, vt noti ſunt hac de re textus iuris *l. Nec emere. C. de iur. deliber. l.* 2. *D. ſi à parente quis*

manum.Vnde & *Iul.Clar*.id nunquam ſe vidiſſe in praxi ſeruari,& durum ſibi videri teſtatur, vt dominus cogatur proximos cognatos defuncti inueſtire de feudo ſibi aperto,§.*feudum.q*.87.De Emphyteuſi autem quid iuris ſit in tali caſu,docet idem in §. *Emphyteuſis. q*.43. Vide & *Andr.Fachinæum lib*.1.*controuerſ.c*.10.

5. D. *Quomodo Clericatu aut monachiſmo feudum amittitur?*

M.Quemadmodū in iure ciuili adiungi ſolet morti naturali deportatio, quaſi mors quædam ciuilis, vt audiuiſti ad *t.Inſt.De c. dimin*. ita hoc loco rectè morti naturali adiungimus hanc velut ſpirituale mortificationem. nam qui Clericatus vel monachiſmi profeſſionē faciunt,ii præ cęteris Chriſtianis ſe totos Deo deuouēt & quaſi mortui ſunt mundo.Rationē porrò quare Clerici & monachi non ſint capaces feudi,iam ſup.audiuiſti;quia ſc.ſeruitia & officia militaria,ob quæ feuda cōceduntur, dominis ſuis præſtare nequeunt. Vide *t.* 21. & §.*Qui clericus,t.*26.*item tit.*30.& *tit.* 36.*in fin.li.*1.*feud.* & *in Extraord.capit.tit. vlt. apud Cuiac. lib*. 4.*feud*.qui apud Hotom. eſt *tit*. 47. *lib*. 3. Scriptum eſt, (inquit textus) in diuinis eloquiis : *Miles Chriſti ſeruiat Chriſto; milites ſeculi,ſeruiant ſeculo*. Quod totidem quidem verbis non legimus in ſacris Bibliis, ſed tamen ſenſus idē extat in Epiſtolis Paulinis.Quod tamen etiam homini Chriſtiano liceat militare,& bella,dummodo ſint legitima,gerere ſup. quoq; indicaui ex ſententia SS.Patrū.

6. D. *Quomodo per refutationem feudi ius vaſalli extinguitur?*

M. Si vaſallus feudum à ſe abdicet, idq; reſignet ac cedat vel feudi domino,vel proximis adgnatis,qui poſt mortem ſuam alias ſucceſſuri erant in feudo, vide *tit.* 19.& *tit*.39.*cum tit*.49.*lib*. 2.*feud*. Sed tota hac de re ſatis diximus ſupra cum de iure vaſalli in feudo ageremus: Vbi inter alia hoc quoque audiuiſti, domino etiam inuito ac repugnanti refutationem fieri poſſe. Deinde, ſi refutatio fiat domino, tum vt ea valeat in feudo veteri, requiri conſenſum adgnatorum, quia his præiudicium fieret. Quod autem omnes tangit, ab omnibus debet adprobari,*c*.29.*De Reg.Iur.in* 6.In noui autē feu-

di re-

di refutatione domino facta non requirimus hunc cõſenſum; quia in feudo nouo non ſuccedunt adgnati, ne frater quidem fratri. Hoc quoq; ibidẽ audiuiſti, remotiorib. adgnatis non aliter fieri poſſe refutationẽ, quã ſi proximiores conſentiant. Nã & hîc ipſis fieret præiudicium, & ius ſuccedendi quod habent, auferetur, quod fieri non debet.

7. D. *Quomodo lapſu temporis feudum extinguitur?*

M. Si ad certum tempus feudum fuerit conſtitutũ, eo elapſo finitur: vt videre eſt *t. 2. li. 1. Feud.* Immò olim ab initio feuda omnia temporalia fuerunt, vt ſup. dixi. Ratio eſt eadem, quæ in reuocatione precarii; quia nõ eſt naturâ æquũ, vt quis diutius re noſtrâ vtatur quàm nos velim⁹, *l. 2. §. & naturalis, D. de precario.* Deinde, quia hæc lex contractui initio adiecta eſt, meritoq; cuſtodienda, *l. 1. D. de pact. l. 1. §. ſi conuenit. D. depoſiti, l. contractus 23. D. de R. I. cum ſimil.* Hoc loco obſeruabis differentiã inter feudũ & dominium. Hoc enim ad tempus conſtitui non poteſt; ſed ſui natura eſt perpetuum; illud temporale eſſe poteſt.

8. D. *Quomodo voluntate domini feudum finitur?*

M. Non quoduis feudũ domin⁹ vaſallo quoties vult auferre poteſt (nã in pleriſq: valet regula: *Quod ab initio fuit voluntatis, poſteà fit neceſſitatis*, vt ſup. dixi ex *l. 5. C. de O. & A.*) ſed eſt hoc ſpeciale in feudis, quæ vocant *Guardiæ* & *Caſtaldiæ* vt poſt annum voluntate domini auocari poſſint; de quo vide *t. 2. li. 1. in pr. & t. 11. eod. li.*

9. D. *Quomodo interitu rei feudalis feudum amittitur?*

M. Si fundus feudalis chaſmate perierit, ſi ædes feudales incendio conſumptæ fuerint, vel terræ motu, vel quo alio caſu collapſæ, eadem ratione ius feudi extinguitur, qua & vſusfructus & emphyteuſis ob ſimiles cauſas finitur: hæc enim omnia ſunt iura in corpore, quo ſublato, ipſa quoq; tolli neceſſe eſt, vt docet Cicero in Topicis: nam adceſſorium ſequitur ſuum principale, *l. cum principalis. D. de Reg. Iur. c. adceſſorium. eod. tit. in 6.* De vſufructu vide *§. pen. Inſt. de vſufr.* De Emphyteuſi, quod ipſa quoq; totali rei interitu extinguatur, eſt *l. 1. C. de iure emph. & §. adeò, in verb. Tunc ſiquidẽ totius rei interit⁹*, &c. De feudo autẽ licèt deſtituamur textu, tamẽ

ex identitate rationis rectè idem dicemus. Ad hanc claſſem adgregari poteſt ille quoq; feudi finiendi modus, qui tamen ſpecialis eſt in feudis de Camera, & de cauena. nam hæc quoq; euaneſcunt, ſi dominus facultatibus ita exhauſtus ſit, vt non amplius poſſit ſoluere vaſallo quod debebat & ſolebat. *Camera* autem feudiſtis eſt idem quod *ærarium:* ſicut hodiè quoque *Cameram Principum* dicimus; Die Fürſtliche Rammer: item bona Cameralia, das Rammer Gut / pro fiſco Principis. Cauena iiſdem eſt horreum, penuarium, cellarium, ex quo ſcilicet vaſallo præberi ſolet annona: verbi gratia, frumentum, vel vinum annuum, vel pecora, &c. de quo vide *Cuiac. ad tit. 2. li. 2. feud. & Hotom. in Lexic. V. F.* habetur hic caſus in *princ. tit. vlt. lib. 2. feud.* & adtingitur ab Hotom. in *diſp. de feud. c. 39.* Sed additur ibidem limitatio hæc: ſi camera vel cauena ita ſit euacuata ſine culpa promiſſoris, id eſt, domini feudi, qui penſionem aliquam ex ſua Camera vaſallo promiſit, & conſtituit ſe ſoluturum. Ex quo à contrario ſenſu intelligimus, ſi culpa interuenerit domini; puta, ſi ſua profuſione atq; luxuriâ diſſipauerit bona, aut in fraudem vaſalli alienauerit, ipſum non liberari, neque feudum finiri. Quamuis inanis tunc erit actio quam inopia debitoris excludet, *l. 6. Digeſt. de dolo malo.* Ratio quoque ibidem additur; quia non ſit æquum, vt quis egentem videat, quem antea habuit in coniugem, nimirũ, propter commune vinculum fidei, quod ipſi coniunctus eſt, vt rectiſſimè exponit *Cuiac. ad t. 5. li. 2.* Hoc vult dicere illa ratio, ſicut maritus de dote conuentus, tantũ in id quod facere poteſt condemnandus eſt, *l. 12. D. ſolu. mat. l. 20. D. de re iud. §. item ſi de dote, Inſt. de act.* ita etiam vaſallus cum domino benignè agere debet. Nam & dominus ipſi eſt quidam quaſi coniunx. Vel etiam hoc vult dicere: quia qui ex liberalitate ſua conuenitur, in id quod facere poteſt, condemnari debet, ne ſua liberalitate inops fieri periclitetur. nam & feudum eſt, quoddam beneficium, *arg. l. 28. D. de R. I.* Faciunt huc ea quæ dixi ad finem *t. Inſt. De actio.* vbi etiam expoſui, quomodo æſtimandum ſit id, quod vel quatenus quis facere poteſt. Feudiſta inquit in *d. tit. vlt. lib. 2. feud.* dominum

feudi

feudi dare poſſe, intelligitur omni ære alieno deducto: quaſi dicat, quia bona non intelliguntur niſi quæ ſuperſunt deducto ære alieno: *l.39.§.bona,D.de verb.ſign.* Item creditores, qui æs alienum exigunt certant de damno vitando, cum vaſallus certet de lucro captando: Ideoq; creditores meritò præferentur vaſallo. Ad illud autem quod ait feudiſta: *omni ære alieno deducto*, etiam hoc addi debet: *& deductis ipſius domini alimentis, ſiue deducto ne ipſe egeat*; ita, inquam, vt & ipſi aliquid ſufficiens relinquatur, vt loquitur Pomponius in *l. cum ex cauſa* 30.*D.de re iud.* cum ſimilib. locis. Poſtremò ex illis verbis *text. in d. tit. vlt.* expectandum eſt donec *interim* (maſim, iterum) de Camera vel de cauena dari poſſit: colligi poſſe videtur, huiusmodi feudi ius iſto caſu vel in ſuſpenſo eſſe, vel etiam extinctum reſuſcitari, ſi quid denuò eſſe cœperit, in camera & cella domini, vnde dari poſſit, vel ſi dominus ad pinguiorẽ fortunam reuerſus ſit: quamuis aliàs obligatio ſemel in perpetuũ extincta non facilè reſtituatur, vt eſt in *l.98. Qui res, §. Aream. D. de ſolut.*

10. D. *An non ſunt & alij modi, quibus feudum absq; culpâ vaſalli extinguitur?*

M. Superioribus ſex modis etiã hi addi poſſunt: Defectus aut vitium corporis: ceſſio bonorum: Euictio, & reuocatio facta à domino ob ſuperuenientiam liberorum. Denique Præſcriptio. Sed quomodo & quando feudum præſcriptione extinguatur, iam ſupra expoſui: vnde repetes, quæ hîc erunt neceſſaria. De reliquis tantum reſtat vt videamus. Tradiderunt & alium quendam ſingularem modum amittendi feudi ſine vllâ beneficiarii culpâ: nempe ob hoc ſolũ, quod dominus proprietatem feudi conceſſerit Eccleſiæ, feudum Eccleſiæ aperiri, nec à vaſallo retineri poſſe amplius, niſi per gratiam Eccleſiæ id tanquã de nouo recepit, §. *ſi vero contigerit*. 2.F.54. De allod. ſuaſiſſe hoc videtur fauor Eccleſiæ & piæ cauſæ, qui tamen tantum valere non debet, vt alicuius ſuum auferat. Ideoq; ſi omninò hoc ius recipiendum ſit (quod ſatis iniquum videtur) non ſine grano ſalis recipietur, nempe cum hac limitatione, quam ibid. addidit *Accurſ. in gl. verb. Non*

poterit, dummodo dominus hoc caſu vaſallo aut æſtimationem feudi, quod Eccleſiæ conceſſit, aut aliud pro eo feudum præſtet eiuſdem bonitatis & quantitatis, tanquam ſcil. de re aliena ipſum inueſtiiſſet: argumento eorum quæ ſupra diximus, de Inueſtitura de re aliena facta, quæ res euicta ſit.

D. *Quomodo ob defectum corporis vaſallus feudum amittit?*

M. Debilitas, imbecillitas, vitium & mutilatio corporis reddit quem feudi incapacem: vt, ſi mutus aut ſurdus, aut cæcus aut mancus quis factus ſit. Tales enim feudum deſeruire non poſſunt. Ceſſante autem officio, ceſſare debet & beneficium, *arg. l. in omnibus. 68. D. de Reg. Iur.* vide *t. 6. li. 1. & t. 36. li. 2. feud. & ibid. Hot. in commentar.* & adhibe temperamentum diſtinctionis ſupra traditæ, cum de perſonis diceremus eorum, qui feuda adcipere poſſunt. Abſq; eo enim nihil videtur hoc iure agreſtius, inhumanius, & importunius dici poſſe *arg. l. 44. ſup. Eum qui. D. de vſuc.* vt rectè *Hot. ad d. t. 6. §. mutus.* Huc pertinet etiam furor vaſalli, & perpetuus morbus.

11. D. *Quomodo ceſſione bonorum?*

M. Si vaſallus bonis ceſſerit feudum amittit & liberatur ab onere ſeruitii; vbi tamen diſtinguendum eſt, perinde vt diſtingui ſolet ab Interpp. in illa an feudum ex cauſa domini infecti, item pro executione rei iudicatæ capi poſſit, de quo *Bart. & alij ad l. 15. §. ſi de vectig. D. de damno infe. Schrad. p. 9. c. 10. ſub n. 4.*

12. D. *Quomodo per Euictionem?*

M. Si vaſallo de feudo litigante iudicatum ſit feudũ ad alium pertinere, vaſallus feudum amittit. *Schrad. d. loco.* An autem & quando vaſallus cum domino agere poſſit de euictione aliàs audiuiſti.

13. D. *De ſuperuenientia liberorum quid ais?*

M. Si quis dum nullos haberet liberos rem magni pretii alicui in feudum dederit, & poſteà liberos ſuſceperit, poteſt ex hac cauſa ſecundum quoſdam feudum à vaſallo reuocari. Ita voluit *Matth. de Affl. ad §. vlt. t. Quibus mod. feud. amitt. arg. l. 8. ſi vnquam. C. de reuoca. donat.* vbi idem ius tribuitur donatori, cui poſt donationem liberi fortè naſcuntur, de quib. tẽpore donationis non

cogi-

cogitauerat, vel etiam deſperauerat. Sed hæc ſententia aliis diſplicuit. Maxime *Andr. Tiraq. in comment. ad d.l. ſi vnquam; in verbis, donatione largitas, nu.* 340. *cum ſeqq: & Schrad. p.*9.*c.* 10. *nu.*7: Rationes apud ipſos videre licet, quæ me quoque permouent, vt in ipſorum partes concedam: Quanquam non nego, humaniter & benignè facturum hoc caſu vaſallum, ſi vltrò ſuo iure deceſſerit, & feudum domino iam liberis aucto, ac fortaſsè cognati ſui prædia reſtituerit. Sed nos hîc quærimus an iure ad hoc faciendum cogi poſſit, quod cum Tiraquello & Schradero negandum videtur.

14. D. *Audiui modos & cauſas amittẽdi feudi in perſona vaſalli contingentibus. Nunc proximum eſſe puto, vt exponas de ea amiſſione, quæ contingit in perſona domini?*

M. Faciã, vbi prius dixero de his trib. quæſtionib. Primum, an feudum ex his cauſis ipſo iure finiatur, atq; ad dominum reuertatur, ita vt is vaſallum propria auctoritate expellere poſſit, an verò iudicis ſententiã ad hoc requiratur. Secundum, feudum amiſſum ad quẽ redeat. Tertium, de fructib. & meliorationib. feudi finiti & amiſſi, quid iuris ſit, de quibus ordine videamus.

15. D. *An ergò feudum ipſo iure amittitur, an verò ſententia iudicis neceſſaria eſt?*

M. Ioan. Oldendorp. in fine *claſſ.*5.*t. De Actio. benefic.* putat hanc Dd. diſputationem non admodum fructuoſam eſſe: niſi fortè aliquid contulerit iſta inueſtigatio propter fructus à tempore alienationis perceptos, vt ſciamus nimirum, an illi ad vaſallum an verò ad dominum pertineant. Regulariter autem vaſallus non priuatur feudo ipſo iure, ſed poſt conuictam culpam, atq; ita ſecutâ ſententiâ. Ita *Iul. Clar. in §. feudum, quæſt.*62. *Zaſ. part.*10.*n.*72. *Borchold. c.*8. *de feud. nu.*157. *& Schrader. part.*2.9. *part. princip. Henric. Roſenthal. cap.*10. *concluſ.*108. *Franc. Zoannet. cap.*4. *rer. quotidian. num.*14. *Modeſt. Piſt. conſil.*35.*nu.*49. *& ſeqq. vol.*2. Quæ communis ſententia adeò firmiter fundatur in ipſis verbis textuũ vt repertos eſſe mirer, qui diſſentire aut dubitare auderent. Sic .n. legas *t.*21.*lib.* 1. *Feu.* Vt nemo miles ſine cognitâ culpâ beneficiũ ſuũ amittat, id eſt, ſi ex culpis iis vel cauſis

conuictus non fuerit, quas milites vſi ſunt (id eſt, ſolent) nominare, quando fidelitatem faciunt dominis ſuis per laudamentum parium ſuorum. Per laudamentum, id eſt, arbitrium, æſtimationem, cognitionem, cõſilium, iudicium, vel ſententiam. *Laudare* enim apud feudiſtas & hiſtoricos rerum Germanicarum idem eſt, quod examinare, & re benè explorata decernere ac ſtatuere ſiue arbitrari. Exempla adnotauit *Hotom. in lexic. verb. Feud.* Item *Cuiac. ad tit.* 17. *lib.* 1. *Feud.* Similis eſt textus in §. *ſancimus, tit.* 21. Vt nemo miles adimatur de poſſeſſione ſui beneficii, niſi conuicta culpa quæ ſit laudata per iudicium parium ſuorum. Et mox: Si autẽ dixerit miles, quod ſui pares iniquè iudicaſſent. Et rurſum: Qui laudamentum atque iudicium fecerunt, verba hæc ſunt conſtit. *Imp. Lotharij*, vt Hotom. vult *Primi*, vt Cuiacius, *Tertij*. Pares autem, (vt iam notum eſt) dicuntur convaſalli. His accedit conſtitutio Conradi Imp. relata in *l.* 3. *tit.* 7. *de beneficijs & terris tributariis, lib.* 3. *Legum Longobardic.* ex qua verba huc facientia ſunt iſta: Præcipimus & firmiter ſtatuimus, vt nullus miles ſine certa & conuicta culpa ſuum beneficiũ perdat, niſi ſecundum conſuetudinem anteceſſorum noſtrorum & iudicium parium ſuorum. Atque hæc tria loca etiam gl. adlegat ad *tit.* 5. *lib.* 1. *Feud.* in verbis, amittere cenſetur, quam gl. adprobant *Bald. Præpoſ. & alij communiter feudiſtæ.* conſentit quoque alia rurſum *gl. in verbo, reuertatur, in* §. *callidis, tit.* 55. *de prohib. feud. ali. per Frid.* quæ vult, vaſallum qui commiſſa felonia feudum adhuc habeat, tantum per ſententiam amittere debere. Addo ego quartum locum ex cõſtit. Henrici ſecundi, relata apud Ardizonem & Aluarott. itemq; ab Hotom. *lib.* 3. *de feud. tit.* 2. ſi quis ergò dominum ſuum interfecerit, parium laudatione beneficium amittit; vbi rectiſſimè adnotat Hotom. Feudum enim ipſo iure ob vaſalli crimen patrono non committitur, ſed parium ſententia cauſa cognita ei abiudicatur. Suffragatur huic regulæ præter auctoritatem & textuum & interpretum etiam aperta ratio iuris: quia ſcilicet ſi concederetur domino facultas proprio marte excellendi vaſallum feudo, quòd dicat ipſum ſibi commiſſum eſſe,

negante

negante id vaſallo,& domino ſeſe (ita vt fit) opponente,ſæpè ad rixas, ad manus & arma veniretur. hoc autem prætor permittere non debet iis, quos poteſt ſua iuriſdictione componere : nec ſingulis concedendum eſt, quod poteſt publicè per magiſtratum fieri, ne detur occaſio tumultus faciendi, *l. 13. §. ſed ſi inter duos. D. de vſufructu, l. Non eſt ſingulis 176. D. de Reg. Iur.* Huc & illa pertinent; Neminem ſibi ipſi in ſua cauſa iudicare ſibique ius dicere debere, *toto tit. C. Ne quis in ſua cauſa iud. &c.* Item: ſi quis rem ſuám alteri per vim extorqueat, eum amittere dominium ſuum: ſi ſibi debitum, amittere ius crediti, *l. exſtat. 13. D. Quod met. cauſa, l. ſi quis in tantam. 7. C. Vnde vi*, & dixi ad *tit. Inſtit. De vi bonorum raptorum.*

16. D. *Atqui feudiſtæ ſæpè aiunt: vaſallum cadere à feudo, item amittere feudum, carere beneficio: aiunt item beneficiũ pertinere ad dominum, vel aſsignatum, item reuerti: Quæ certè verba ſignificare videntur, ipſo iure hoc fieri, nec opus eſſe ſententia, vel priuatiuá, vel declaratoriá?*

M. Per hæc verba & ſimilia non excluditur, ſed potius includitur ſentẽtia: quod vel inde ſatis patet, quod toties alibi mentionem faciunt feudiſtæ laudamenti, atque iudicii parium, vt iam aliquot prolatis locis docui. Quod cur nominaſſent, ſi non agnouiſſent neceſſarium eſſe. Et profectò quantumuis res ad aliquem pertineat, tamen ſi ab alio poſſideatur, detineaturve, omninò opus eſt ad eam conſequendam actione & iudicio, vti videre eſt in rei vindicatione, in petitione hereditatis, & aliis innumerabilibus. Sic & in *l. 31. D. de pign.* conueniſſe dicitur vt vectigali non ſoluto fundus rediret ad dominum: vnde videbatur dicendum, ipſo iure id fieri debere, & tamen in eadem lege additur, *pronuntiatum fuiſſe*; ex quo intelligimus iudicium inſtitutum fuiſſe ſuper eo fundo & latam ſententiam. Quẽadmodum igitur cum dicimus, dominum poſſe expellere, Emphyteutam ob non ſolutum canonem, per id non excludimus nec euertimus ordinem iudiciorum, ſed potius mediante ſententia id eum facere debere volumus intelligi: ita hîc quoque, cum dicimus vaſallum expelli poſſe ob commiſſam feloniam, aut aliud

quod crimen, non enim vi, ſed iure, nō per ſe priuatim, ſed publicè per iudicem eiusque adparitores id facere debet. Obſeruabis hìc, quod ſæpè ad alia quoq; tibi inſeruiet nonnunquam ita loqui legumlatores, vt quod propriè conuenit iudici, vel magiſtratui id tribuant actori: verbi gratia, Reum condemnare, item iudicatum facere debitorem ſuum, reſtituere ſe in integrum, & ſimilia: nimirum quia quod quis per alium facit, ipſe feciſſe videtur, *c. 72. Qui facit per alium. De R. I in ſexto.* Exempla vide in *l. 33. D. de iure dot. l. 13. §. Etiamſi, D. de pignoribus, l. 2. D. ad l. Iul. De adulterijs, l. 3. §. ſi quis minor, & l. 48. in princ. D. de minoribus.* Sic 3. Annal. ſcribit Tacitus, C. Ceſtium fraudis damnauiſſe Anniam Ruffillam; ſed addit, ſub iudice, vt intelligamus ipſum Ceſtium fuiſſe adcuſatorem.

17. D. *Atqui cum non requiratur ſententia iudicis ad conſtituendum & adquirendum feudum (ſicut certè nemo dixerit requiri) non videtur etiam ad amiſſionem eſſe neceſſaria: Vel ſi neceſſaria eſt ad amiſſionem feudi ſententia, erit etiam neceſſaria ad conſtitutionem & adquiſitionem eiuſdem, nam eo modo, quidq; ſolui debet, quo ligatum eſt, l. nihil tàm naturale 35. cum ſimilibus. D. de Reg. iuris.*

M. Non ſatis hoc argumenti eſt. Nam neq; ad contractus faciendos aut dominia rerum transferenda requiritur Iudicialis auctoritas (excepto fortè caſu pignoris, qd' in creditorē iure dominii trāsferri debet, *t. C. De iur. dom. imp.*) ſed poſſunt illa priuatim quoq; fieri, vt ita iure ſubſiſtant: & tamen ad obligationū aliorūq; iurium vel in perſonam vel in rē inde naſcentium executionem, ſæpè opus eſt iudicis vel magiſtratus auctoritate, *tot t. Inſt. De act.* Quod autē à quibuſdam de patria poteſtate adfertur, de tutela itē & de cura, de vſufructu, de obligat. ea, inquā, omnia queādmodū conſtituuntur & acquiruntur absq; ſententia Iudicis, ita & finiri atq; extingui ſine eius interuentu; facilè ipſe vides quàm ſint hæc diſſimilia. Deinde, annon ſi altera pars fortè contradicat, etiā tunc partes Iudicis hìc certè requirerentur, qui cauſam cognoſcet, & per ſentētiā declaret, extincta ac ſublata eſſe hæc iura: v. g. patriā poteſtatē, tutelā, curā, vſumfructū, ſeruitutē, teſtamentum,

obliga-

obligationē,&c.quæ vna pars contendit adhuc durare, altera parte id negante. Quare non recedes a vulgari ſententia Interpretum, quæ etiam Giphanio probatur in *Tract.Feud.* nec nō *Duareno & Ant.Cont.* De Emphyt. autē fundo, an & quando eum dominus propria auctoritate ingredi atque occupare poſſit, vid. *Iul. Clar. in* §. *Emphyteuſis,quæſt.*20. 25. & 44. *Item Connan. lib.*7.*comment.*

18 D. *Nullane igitur ab hac regula eſt exceptio, quando videlicet ipſo iure feudum ad dominum reuertatur, nec opus ſit ſententiâ?*

M. *Iul. Clar.in* §. *Feudum, q.*62.*in fin.* vnicum excipit caſum, nempè ſi vaſallus alienauerit & tradiderit feudum inconſulto domino; tunc enim vult feudum ipſo iure amitti, atque ad dominum reuerti, eamque exceptionem & *Zaſ.part.*10.*agnoſcit,n.*72.*& Borch. cap.*8.*nu.* 156.& iam olim tenuit *gloſſ.in* §. *callidis, in verb. reuertatur, tit.* 55. diſtinguit tamen ibidem gloſſ. inter perſonam vaſalli qui alienauit,& tradidit feudum,& emptoris qui accepit, vt quantum quidem ad vaſallum non ſit opus ſententiâ; quia ſcilicet feudum ipſo iure per alienationem apertum ſit domino,& non amplius à vaſallo poſſideatur: quantum verò ad emptorem,non niſi per ſententiam id dominum recuperare poſſe. Huic addunt alii plures exceptiones, vt II. ſi vaſallus crimen læſæ maieſtatis commiſerit in dominum, quod ſumſerunt ex *l.Quiſquis.C.ad l.Iul.mai.vid.Borch. d.loc.* & III. niſi inter dominum & vaſallum ita conuenerit, vt feudum etiam ipſo inuito ob delictum domino committeretur, *Zaſ.d.loc.* de qua tamen non immeritò dubites propter *l.*3.*C.de pignorib.*

19. D. *Sequitur vt dicas feudum amiſſum ad quem recidat, cui committatur, cui applicetur, ſiue vt Feudiſtarum verbo vtar, aperiatur?*

M. Diſtinguendum eſt primò inter modos ſeu cauſas amittēdi feudi; deinde inter genus feudi, ſitne nouum, an verò antiquum & paternum; interdum etiam intereſt an feudum ſit *informe*, vt vocant, id eſt, ſimpliciter acceptum, an vero pro ſe & filiis aut liberis; item an ſit hæreditarium, an verò ex pacto & prouiden-

tia. *Zaſ.p.10.n.85.* conſtituit quatuor modos aperiendi feudi,quorum tres priores culpâ vacui ſunt,videl.mortem,refutationem,defectum & delictum, eosq; poſtea explicat vſq; ad *n.105.*vid.*Iul. Clar.q.66.*vbi tamen paulo aliter recenſet,omiſſo defectu.Morte ad quem redeat feudum, ſatis iam intelligis ex iis quę ſupra diximus *De ſucceſſ. feudi*,vt illa repetere non ſit opus: nam ſiquidem ſuperſunt vaſallo liberi aut agnati,ad hos feudum morte redit. Sin autem ipſe ſit vltimus ſuæ familiæ,& linea ſiue progenies in ipſo deficiat, nulli dubium eſt, quin domino aperiatur,*Iul.Clar.d.q.66.nu.1.* Sicut etiam de refutatione iam ante ſatis dictum: Memineris tamen feudum nouum à vaſallo refutatum reuerti ad dominum excluſo iam filio, niſi filii quoq; intuitu datum ſit;antiquum vero deuolui ad liberos, quorũ ſemper prima & potior eſt cauſa, aut his non extantibus ad proximos agnatos,*Zaſ d.p.10.n.87.in fin.*

20.D.*Quomodo & cui defectu feudum aperitur?*

M. Defectum appellamus cum Zaſ. ſi vaſallus vitio aliquo corporis laboret,vt ſi ſit mutus, ſurdus, aut aliter imperfectus,aut religionem ingreſſus, id eſt, ſi clericus aut monachus ſit factus. Priore caſu feudum nouum reuertitur ad dominum excluſis filiis & agnatis; antiquum vero ad filios, vel agnatos; poſteriore caſu nouum quidem ad filios,vel his deficientib.ad dominũ reuertitur;antiquum vero ſemper ad filios vel ad agnatos,*Zaſ.p.10.n.90.& ſeqq.*

21.D.*Delicto ſeu culpa vaſalli apertum feudum ad quem pertinet?*

M. Duplex hîc obſeruanda eſt diſtinctio.Prima aut delictum committitur in ipſum dominum, ad cuius læſionem pertinet,aut in alios, & quidem ita, vt crimen ſit publicum,id eſt, ex eorum genere, quæ in iure ciuili *publica* nominantur,ita poſt *Zaſ.nu.101. & 103.p.10.*aliosq; veteres diſtingnit in *diſp.Feud.c.41.* & *Guil. Forner. in comment.feud.*immò & in ipſo *tex.feud.*hæc diſtinctio extat *§.Deniq;,t.24.lib.2.& in t.27.* Secunda ſubdiſtinctio eſt, qua ſeparamus delictum non petitæ inueſtituræ intra debitum tempus, item delictum alienationis ab aliis vaſalli delictis in dominum commiſſis.

22.D.*Ad*

22. D. *Ad quem pertinet feudum cuius inueſtituram iuſto tempore vaſallus petere neglexerit?*

M. Ex hac cauſa apertum feudum indiſtinctè reuertitur ad dominum ſiue antiquum fuerit, ſiue nouum; ſic enim diſertè continetur in *Conſtit. Frid. I. in Conſtit. imperialem*, §. *præterea*, quod in ſua quoque paraphraſi expreſſit Guntherus noſter *lib.* 8.

——*feudalia iura*
Perdat: & hæc dominus proprios adſumat in vſus. Ratio eſt; quia vaſallus dominū contenendo in ipſum deliquit, ipſum contumelia adfecit; nam & a contemnenda contumelia dicta eſt. Sunt autem & omiſſionis delicta, quę non minus merentur pœnam, quam commiſſionis, vt ſupra audiuiſti. Deinde ratio ſuadet, vt hanc ſaltem dominus habeat iniuriæ ſuæ vltionem, vt loquitur §. *deniq. d. tit.* 24. *Quaſi ad ſolatium*, vt eleganter ibi adnotat gloſſ. ad verbum, *Vltionem.* Sicut etiam iniuriarum actio, quæ vindictam continet, datur ad ſolatium violati honoris, vt alias ad *tit. De iniurijs* audiuiſti; & hæc ratio generalis eſt, atque etiam ad ſequentia genera delictorum pertinet, quæcunque in ipſum dominum cōmittuntur, *d.* §. *Deniq.*

23. D. *De feudo nouo facile tibi adſentior, at in feudo antiquo durum hoc eſt, vt culpa vnius in tam multos transferatur, & redundet, puta, vt etiam deſcendentes & adgnatos excludat à feudo?*

M. Fateor durum eſſe, ideoque & gl. hac in re ſibi nō ſatis conſtat. Nonnulli verò diſtinctione rem temperari poſſe exiſtimarunt, vt feudum nouum ad dominū, vel ad adgnatos vaſalli reuertatur, cuius authores refert *Borch. c.* 8. *nu.* 141. Alii (in quibus & Aluarotus) mediam ſententiam excogitarunt, vt quam diu deſcendētes vaſalli viuunt, feudum penes dominum maneat; illis verò mortuis ad agnatos reuertatur, vt refert *Zaſius d. part.* 10. *nū.* 101. Sed tutius videtur textui adhærere indiſtinctè loquenti, quantumuis ille durus adpareat *argum. Qui & à quib. manumiſſi.*

24. D. *Alienatione amiſſum feudum ad quem pertinet?*

M. Si feudum fuerit nouum, idque vaſallus ſine conſenſu domini alienauerit, reuertetur ad dominum ex-

cluſis & deſcendentibus & adgnatis vaſalli, niſi feudum vaſallo & filiis eius conceſſum fuerit. Sin autem antiquum, redit ad filios, dummodo hi nihil participent de hæreditate patris (wann ſie ſich deß vätterlichen verzeihen) vel deficiẽtibus liberis ad adgnatos proximiores. Huius ſanè probabilis diſtinctionis fundamenta & auctoritates vide apud *Andr. Gail. & apud Borch. c.8. num* 142.*& ſeq.* quibus adde *Iul.Clar.in §.feud. quæſt.*66. *num.*7. vbi & aliorum opiniones refert. Alii exiſtimarunt, qualecunq; fuerit feudum indiſtinctè id deferri domino, quos refert & ſequitur *Hot. conſ.*3. pro qua ſententia *Iul Clar. adlegat Aretin. & Socin. Iunior. in conſilijs.* Et certè fundamentum eius ſententiæ eſſe videtur in ipſo textu, §. *Denique, verſic ſi vaſallus tit.*24.*lib.*2. qui indiſtinctè ait: Beneficium alienatum ad dominum pertinere. Alii contra putant, ne quidem feudi noui alienationem filiis præiudicare, vt videre eſt apud *Menoch. conſil.*161.*nu.*17 *& Hart. Piſt. lib.*2.*quæſt. iur.* quod probari vix poteſt, niſi eo caſu, quem ſupra dixi, quo ſc. feudũ vaſallo & filiis eius conceſſum eſt.

25. D. *Atqui multa ſunt loca iuris feudalis, quibus traditum eſt: Beneficium alienatum ad dominum pertinere, ad dominum reuerti, & domino aperiri, quæ diligenter adnotauit d. cap.* 8 *num.*144 *Borcholdus. Verior ergo videtur illorum ſententia, qui indiſtinctè quodlibet feudum ad dominum redire volunt?*

M. Omnia illa loca de nouo tantum feudo Interpp. communiter adcipiunt, quod Borcholdus ibidem probat. & id hoc diſplicet *Piſtori lib.* 2.*quæſt.* 17.*nu.*13.*& ſeqq.* nec fortaſsè immeritò, cum textus generaliter loquẽs, etiam generaliter intelligendus ſit. Cui ratio ſubfragatur, quia vaſallus feudum alienans abſque conſenſu domini, ipſum dominum contemnere videtur: quæ ratio in omni feudo locum habet, tàm veteri, quam nouo. Ideoq; Hartm. mediam quandam inſiſtens viam, putat feudum ſtatim quidem aperiri domino, ſed tamen tãtum manere penes eum quoad viuit is qui alienauit; Eo mortuo, redire ad filios vel adgnatos; à qua ſententia etiam Cuiac. non abhorret.

26. D. *Quid ſi dominus alienationi vaſalli conſenſerit,*

quod

quod eum facere poſſe vel expreſsè vel tacitè ſupra dixiſti?

M. Si feudum, in cuius alienationem dominus conſenſit nouum fuerit, certum eſt adgnatos id reuocare non poſſe; hi namque in feudo nouo nihil iuris habēt, neque ſuccedunt, vt ſupra monuiſti: ſed an filiis competat ius reuocandi, diſputari poteſt. Communiter tamen placuit Dd. negatiua ſententia, vt probat *Borchol. nu.* 145. qui & rationes dubitandi prolixè diluit *nu. ſeq.* Sin autem feudum fuerit antiquum, quod vaſallus cū conſenſu quidem domini, ſed inuitis liberis atque adgnatis alienauit in extraneum, poſſunt hi qui non conſenſernnt, reuocare feudum; filii quidem ſtatim etiam viuo adhuc patre, refuſo tamen emptori pretio: Agnati vero poſt mortem demum ſui adgnati, ſed absq; refuſione pretii, vel etiam viuente alienatore, verum cum refuſione pretii, qua dicitur, vid. *Mynſing. cent.* 4. *obſ.* 85. & hæc facultas reuocandi feudum durat ad 30. annos, qui currere incipiunt filiis quidem ſtatim a tempore alienationis paternę, adgnatis à tempore mortis adgnati ſui alienantis, vt ex *Roland. à Valle*, *& alijs probat Borchol. num.* 38.

27. D. *Quid ſi alienatio cum conſenſu domini facta ſit, nō in extraneum ſed agnatum aliquem remotiorem prætermitis propinquioribus?*

M. Competit agnato proximiori aduerſus remotiorem ius reuocandi feudi, quod præſcribitur anno à tēpore ſcientiæ occupando, §. *Titius filios*, *t.* 36. *lib.* 2. *feud. & ibi gl. & communiter Dd.*

28. D. *Quid de alijs à vaſallo commiſſis delictis extra neglectam inueſtituræ petitionem, & alienationem feudi?*

M. Siquidem delictum eiusmodi ſit, quo directò offendatur dominus, feudum nouum redit ad dominum exclufis filiis, excluſis item adgnatis vaſalli. Et quidem cum adgnati excludantur, expedita eſt ratio; quia hi etiam alias non ſuccederent in feudo nouo, etiamſi id non fuiſſet apertum delictum, aut culpa vaſalli, ſed alio modo. De filiis autē eſt ea ratio, tùm quia in his quoque exempla metuuntur criminis paterni: mali enim corui malum ouum, *arg. l. quiſquis. C. ad L. Iul. maieſt.* quam rationem etiam Cuiac. reddit ad *titul. ſecundi*

lib.3.feud. & Forner. in comment. de feud. ſed reprehendit *Hotom.in diſp.de feud.cap.*41. tum vt tanto magis in officio contineantur parentes reſpectu liberorum, cum ſciant pœnas ſuorum criminum in ſobolem quoque ſuam quodammodo redundaturas. Solent autem parentes pro incredibili ſuo in liberos ſuos adfectu, (quē nullus eſt alius qui vincat, teſte *Imp.l.vlt.C.de cur.furio.*) magis etiam terreri in perſona liberorũ quàm in propria, *l.8.D.Qui met.cauſſ.& arg.§.vlt. Inſtit. de noxal. act. Hotom.* hanc quoque rationem eſſe vult; quia ſceleris huius damnatus habeatur pro mortuo, ſicut igitur vna ſtirpe intermortua, ſic & ſceleris conuicta damnataque feudum datum generi & poſteris vaſalli transferatur ad alteram, cui per inueſtituram fuerat deſtinatum, *arg.l.20.D.de bonis libert.& l.7.cum ratio. D. de bonis damnat.* De feudo antiquo, quantum quidem ad liberos, conſentiunt pleriq; omnes interpretes, hos quoque ab eo excludi propter rationes modò dictas. Quantum verò ad adgnatos ſeu collaterales, diuerſæ ſunt opiniones. communiter tamen etiam hos excludi volunt, ob crimen à vaſallo in dominum perpetratum: quam opinionem vt iniquam, ſibi numquam placuiſſe ſcribit *Iul.Clar.d.quæſt.66.num.3.in fin.* Sicut & *gloſſ. in verbo, quandoque, tit.31.lib.2.* indicat, ſibi videri æquiorem ſententiam illam, quæ adgnatis relinquat feudum, quã Iſernia ſecutus eſt ad *§. deniq; tit. 24. lib. 2.* ne videlicet ex delicto alterius alius damnum patiatur: quibus & hæc ratio accedere poteſt; quia adgnati habeant ius, aut certè ſpem feudi, non tam à vaſallo vltimo, quàm à maioribus ſuis: & proinde iniquum ſit hoc ipſis interuerti improbitate ſui adgnati. Vix tamen eſt vt hoc obtinere poſſimus, cum inſpicimus textus feudales, maximè, *d.§.deniq;,iuncto tit.*37. vbi diſertè dicitur, ſi quidem vaſallus ita peccauerit in dominum, vt feudum amittere debeat, non ad proximos (ſcilicet adgnatos: malè enim qui *proximos* ibi interpretantur, *deſcendentes*, quod tentat *Accurſ.in gl.ibidem, & ad §. hoc quoq; obſeruandũ,* in verbis, *partem ſuam, tit.8.lib.1.*) non, inquam, ad proximos, ſed ad dominum beneficium reuertatur: item cum ad dominum reſpicit felonia feudum tunc domino ape-

no aperitur. Vides hic vtroq; loco ſententiam illam non modo Dd. auctoritatibus, vt *Iul. Clar.* putabat, ſed diſertis & claris textibus niti. Etſi contra fortè dura ſententia illa videri poteſt, tamen ſeruabitur, quia ſic lex ſcripta eſt. *arg. l. 12. D. Qui & à quibus manumiſſ.* ſic etiam dominus omnibus modis facultatem habet in ſuos vſus redigendi feudum, ſi à domino vocatus vaſallus ad expeditionem cum Imperatore ſuſcipiendam (quam olim dicebant *transalpizationem*) temerè ſuperſederit venire, neq; vel alium ſuo loco miſerit, qui domino ſit adceptabilis, vel mediam partē redituum annuorū ei ſubminiſtrauerit, vt cautum eſt *conſtit. Frid. I. in §. firmiter, tit. 55. lib. 2.* Notabis ergo hic locum communem, quod interdum vnius delictum etiam alteri noceat: quod aliquoties inculcat *gl. vt ad d. § denique, in verbis, ad proximos. & ad §. ſi vaſallus culpam, tit. 26. & ad tit. 31. in verbo, tamen*; quæ eſt notabilis exceptio ad regulam *l. ſancimus, C. de pœnis, cum concordantibus ll. D. eodem.* Sic igitur interdum & adgnati delictum nocet adgnato, & paternum crimen præiudicat filio, & delictum filii nocet patri, vt pulcrè explicat, *gl. in d. titul. 31.*

29. D. *Quid ſi vaſallus feloniam commiſerit non in ipſum dominum, ſed in alium, ob quam feudo priuandus ſit?*

M. Si crimen non directò reſpiciat ipſam domini perſonam, ſed in alios commiſſum ſit; verbi gratia, ſi fratrem ſuum interfecit, ſi hominem, id eſt, conuaſallum ſuum tradiderit, ſi in ſubditos feudales nimium ſæuierit, &c. feudum nouum quidem reuertetur ad dominum, vetus autem ſiue paternum ad proximos ſiue ad adgnatum proximiorem pertinebit; quæ diſtinctio continetur in *text. feud. dd. loc. §. denique, tit. 24. & §. ſi vaſallus culpam, tit. 26. & d. tit. 31. libr. 2. feud.* ita tamen ad proximos adgnatos feudum pertinet, dummodo non ſint infra quartum gradum, quam communem licet opinionem & duobus textibus fundatam ſemper ſibi duram viſam fuiſſe ſcribit *Iulius Clar. quæſt. 66. in 6.* & limitat vt non procedat in feudo, quod pater

vel auus delinquentis non ſimpliciter adcepit, ſed pro ſe & liberis vel filiis ſuis.

30. D. *Nunquam ne filius aſpirabit ad feudum patris ſui culpa amiſſum?*

M. Imò poterit licitò iterum adquirere à domino gratiam ſibi faciente, fortè quod alii ex latere ſiue adgnati non extant, quibus feudum aperiatur. Quæ exceptio additur *d. tit.* 31. & ſecundum eam adcipiendus §. *ſi vaſallus culpam, d tit.* 26. vbi dicitur, neq; filius, neq; eius deſcendentes ad feudum ob culpam vaſalli amiſſum admitti. Intellige niſi dominus gratiam ipſis fecerit delicti paterni, & denuò inueſtituram contulerit. Neq; hoc mirum, cum non poſſit dominus ipſi vaſallo propriam culpam remittere, eumq; in gratiam recipere condonata offenſa, multo magis idem facere poterit in eius liberis & adgnatis, idque ex generali regula: Omnes habere licentiam iuri ſuo renunciandi: atque ita ſæpè videmus vaſallos ſenioribus ſuis reconciliari, & amiſſa feuda recuperare, non tam ex iure, quam ex gratia. Eſt tamen hîc etiam illud non raro verum, ab amico reconciliato vnumquemque ſibi cauere oportere. Ex quo illud fluxit, quod etiam amicus reconciliatus ex inimico, non minus poteſt recuſari tanquam ſuſpectus quam ſi adhuc duraret inimicitia, vt docet *Rob. Marant. part.* 6. *De ord. iud. Actu* 2. *num.* 64. Cæterùm quod dicitur in adlegato *tit.* 31. *ſi non ſunt alii ex latere*; id non rectè adcepiſſe videtur gl. quod dominus non poſſit filio gratiam facere, ſi alii ex latere adſint, quibus feudum adperiatur. Immò poteſt dominus filio gratiam facere, & feudum denuo concedere ſiue adgnati extent, ſiue non extent; nam textus pro exemplo tantum id ponit, quod ita fortè contingat; non autem ponit hoc pro conditione & forma, quod neceſſe ſit ſemper ita eſſe. Satis hoc arguunt illa verba: *verbi gratia*, &c. Interim non negauerim faciliùs dominum adduci poſſe ad gratiam filio faciendam, ſi nulli extent adgnati, quibus feudum amiſſum aperiatur. Sed adgnatos impedire poſſe quo minus dominus gratiam faciat filio, eumq; cogere, vt ſe potius quam filiū vaſalli delinquentis inueſtiat, hoc eſt quod negamus.

31. D.

31. D. *Quid ſi crimen eiusmodi ſit, cui debeatur pœna confiſcationis bonorum vaſalli?*

M. Feudum nõ veniet in publicationem bonorum, ſed vel domino relinqueturvel adgnatis ſecundum ſuperiorem diſtinct. Vide *Bartol. ad l. ſi finita.* 15. §. *ſi de vectigalibus, D. de damno infect. Iohannem Oldendorpium in fin. Cl.* 5. *titul. De actionibus beneficiariis, item Iul. Clar. quaeſt.* 84. *& Hartm. Piſtor. libr.* 2. *quaeſt.* 15. *num.* 7. *& ſeqq.*

32. D. *Quid ſi vaſallus qui feudum alteri ſubinfeudauit delinquendo ius ſuum perdiderit, relinquetur feudum penes ſubinfeudatum?*

M. Nequaquam, ſed extincto iure dantis, extinguetur etiam ius adcipiẽtis; hoc enim verius eſt, vt pulchrè multis auctoritatib. probat *Borch. conſ.* 3.

33. D. *Quid ſi ſubinfeudatus deliquerit, ad quem redibit feudum?*

M. Si quidem primo vaſallus qui ſubinuaſallum fecit, delinquentem eum punierit, ipſe feudum ei ablatum recipiet ac retinebit. Sin autem conniuerit ad ipſius ſcelera, & impunitum abire paſſus ſit, domino aperietur beneficium. §. *inſuper, &* §. *illud quoque, tit.* 55. verbi gratia; ſi Dux aliquis habeat vaſallum Comitem ſeu Baronem, & Comes ſiue Baro ſubuaſallum nobilem, ſiue, vt antiquo verbo Albertus Krãtzius vocari vult, *miniſterialem*, & nobilis ille ſubinfeudatus deliquerit, ob quod crimen feudo priuari dignus ſit: hoc caſu feudum vertetur ad Ducem excluſo Comite vel Barone, id eſt, primo vaſallo, niſi hic pœna ſubuaſallo impoſita oſtenderit, ſibi eius ſcelus diſplicere. Hac de re elegantes ſunt verſus Guntheri lib. 8.

Si tuus ex feudo cuiquam vaſallus idipſum
Contulit, atque tuo vaſallum munere fecit
Ipſe ſibi: ſi forte tuam iam tertius ille
Succeſſor meruit factis atrocibus iram,
Nec tibi pro culpa domino mediante ſecundo
Fecerit ipſe ſatis: reprobato protinus illo
Ad dominum redeant feudalia iura ſecundum:
Si tuus ille ſuum tibi conciliare fidelem

Spernit, & aut torpens, aut perfidus eſſe probatur,
Ambobus ſpretis ad te tua iura recurrent.

34. D. *Intellexi ad quos vnoquoque caſu feudum amiſſum reuertatur. Reliquum nunc eſt, vt exponas de fructibus: deinde & de meliorationib. feudi quid iuris ſit?*

M. De fructibus feudi vaſalli morte vel delicto cęteriſque modis aperti, ſæpè grauiſſimæ occurrunt cõtrouerſiæ, vel inter dominum & vaſallum ipſum; vel inter dominum & heredes vaſalli allodiales; vel inter adgnatos vaſalli; eos denique ſucceſſores feudi, & alios hæredes vaſalli bonorum patrimonialium: Vel deniq; inter filios & filias defuncti vaſalli, immo etiam inter adgnatos ſæpè & creditores vaſalli: Nec minores etiam naſci ſolent de melioramẽtis. De fructibus igitur priore loco, tum de melioramentis, ſiue emporematis feudi cognoſcendum eſt. Ad fructus quod attinet, ſemper de his magnæ & veterum & recentiorum interpretum diſſenſiones exſtiterunt, vt videbis, ſi conferas legendo quæ ad §. *his conſequenter, tit.* 28. *libr.* 2. ſcripſerunt, tum alii, tum inprimis *Cuiac. & Hotom.* conferas etiam *Hartm. Piſtor. quæſt.* 24. & *Schraderum parte* 9. *noua partis pr. ſect.* 3. & *Matthiam Colerum de proceſſibus executiuis p.* 2. *cap.* 3. Oportet autem hîc præcognitas adferre diuiſiones fructuum, de quib. dictum eſt in *Inſtit. ad tit. de rer. diuiſ.* Primum enim alii ſunt *naturales*, alii *ciuiles*. Item alii ſunt *naturales*, alii *induſtriales*, ſiue vt Hotom. vocat, *alii ſponte nati, alii manu ſati.* Rurſum alii ſunt *percepti*, alii *nondum percepti*; ſed *ſtantes*, qui & *pendentes* dicuntur. Item alii ſunt *extantes*, alii *conſumpti.* Denique alii ſunt *percepti*, alii *qui honeſtè percipi potuerunt.* His ergo ita præſuppoſitis, quantum quidem ad fructus perceptos à vaſallo nulli dubium eſt, quin hi pleno iure pertineant ad vaſallum, vt ita de his diſponendi ſtatuendique quicquid voluerit liberam habeat voluntatem; hos enim & inter viuos alienare pro arbitrio poteſt, puta vendere, donare, in dotem dare & teſtamento relinquere cui vult, vt ſupra ſuis locis dictum eſt. De ſtantibus ſiue pendentibus maximè eſt lis. Reperio autem ferè tres opiniones hac de re planè diuerſas; quarum duæ refe-

runtur

runtur in *d.§.his conſequenter,tit.28.* Prima eaque communiter a Dd. etiam Fornerio, Borcholdo & Roſenthalio adprobata eſt hæc,quæ diſtinguit inter anni vltimi tempora,quo feudum eſt amiſſum.hoc modo,:vt ſiquidem feudum fuerit apertum ante menſem Martium. item ſi poſt Auguſtum fructus pertineant nõ ad vaſallum, non etiam ad hæredem eius,quem habet in bonis allodialibus,ſed vel ad dominum, vel ad adgnatos vaſalli, prout vel illi, vel his feudum apertum fuerit:ſi vero poſt Cal. Martii vſque ad Auguſti incluſiuè, id eſt,vt etiam Auguſtus totus comprehendatur,quod rectè monet Hotom. tum fructus ad heredem bonorum allodialium pertineant, non ad dominum, non etiam ad ſucceſſorem feudalem. Hæc, inquam,communis ſententia, quam tamen proportionem Cuiac. negat ęquã eſſe. Hotom. quoq; incredibile dictũ eſſe ait, quantum abſurditatis contineat hic articul. ſicut etiam olim viſum eſt Bald.hanc diſtinctionem nullam aliam rationem habere, quam beneplaciti, & *Frider. Schenck. ad §. his conſequenter, item Molinæus in conſuet. Pariſ. tit.* 1. tanquam irrationabilem & falſa[illegible]traducit. Verum ſicut in IC. non omnium quæ à maiorib. tradita ſunt, ratio reddi poteſt; ita multò magis hoc obtinet in iure feud. quod totum ferè eſt conſuetudinarium. Quamquam & veteres Feudiſtæ,vt *Iſern. & Aluar.* probabilem huius rei rationem reddere ſunt conati,& *Ant. Cont. in methodo.* Atque hac in re differt inter vaſallum & fructuarium, qui extincto vſufructu nec ſuos facit, nec ad hæredes transmittit fructus ſolo adhuc cohærentes, quos nondum collegit, vt ad *§.is vero*;ad quem eſt dictum *Inſtit.de rer.diuiſ.* Ratio differentiæ eſt; quia longè melior conditio & plenius ius eſt vaſalli, quam fructuarii: habet enim vaſallus vtile,vt vocãt,dominium,cum fructuarius vix poſſeſſionem naturalem habebat, *l.* 12. *nihil commune,D. de adquir.poſſ.*& feudum tranſeat ad heredes vaſalli, vſusfructus autem morte fructuarii extinguatur, *§.finitur,tit.De vſufr.*vide *Forner.cap.* 15. *de feud.* Altera opinio eſt eorum,qui dixerunt, quocũque anni tempore vaſallus decedat, omnes fructus ſtantes ſiue pēden-

tes ad dominum & adgnatos pertinere; perceptos vero,id eſt,lectos, quamuis nondum expreſſos, ad vaſallum eiusve heredes allodiales: quam ſententiam ſibi quoque ſolam vt æquiſſimam & veriſſimam ſcribit *Hotom.ad d.§.his conſequenter,tit.28.* licèt referatur tantum à feudiſta & reiiciatur ibidem in *fin.§.* & *Accurſ. ibidem* dicat,iniquitatem hoc contineret. Eandē quoque amplectitur *Carol.Molinæus.* Hic animaduerte,nō eſſe perpetuum neq; catholicum,vt expluribus diſcrepantibus opinionibus, ea quam quis poſtremo loco recitat,ſit verior, aut cæteris præferatur, quamuis interdum fortè id verum eſſe poſſit. Habet autem iſta opinio hanc rationem,quia fructus pendētes ſint pars fundi feudalis. *argum. l.fructus pendentes, D. de rei vindic.* Quare vt ipſe fundum feudale iam ad dominum vel adgnatos proximos pertinere incipit; ita & fructus ad hos ſolo cohærentes,ad eosdem videntur pertinere debere. *argum. cap adceſſorium. De Reg. Iur. in 6. & l. quæ de tota.D.de rei vindic.* Accedit deinde, exemplum vſusfructus extincti: nam quocunque anni tempore mortuus fuerit vſufructuarius, fructus quos ipſe percepit, omnes relinquuntur hæredibus eius; pendentes verò ad proprietarium pertinebūt, etiamſi iam maturis illis deceſſerit vſufructuarius. *dicta §. is verò ad quem. Inſtitut.de rer.diuiſ.l. 8.in ſingulos, D. de annuis leg.l.13 & l.12. D. Quibus modis vſusfructus, l. 58. D.de vſufructu.l.qui ſcit, §.1. D. de vſuris.* hoc tamen ita temperandum eſt, vt proprietarius rependat ſumptus & impenſas in ſationem & culturam factas. Et merito quidem. nam fructus non intelliguntur niſi deductis impenſis, *l. Qui fructus,46.D.de vſuris,l.51. D. fam. erciſcund. l. 1. Cod. de fructibus, & litium expenſis.* ſicut neque bona ſunt, niſi deducto ære alieno, *l. ſubſignatum,39.§.Bona.D. de V. S.* Deinde alioquin locupletaretur proprietarius cum alterius iactura contra naturalem æquitatem. Tertia opinio iam olim fuit *Alexandri in l.7.§.Papin.D.ſolut. matrim.* eamque ſequitur *Cuiac. in comment. ad tit. 30. libri quarti feud.* ita nimirum eſſe ineundam rationem non modo inter vſufructuarium eiusve hæredem & proprietarium finito vſufru-

ſufructu; verum etiam inter vaſallum eiusve heredes & dominum vel adgnatos finito feudo, vt pro rata temporis ſiue parti anni, quo feudum commiſſum atque apertum eſt fructus præſtentur vaſallo eiusve hæredi: reliquum reſtituatur domino ſiue fructus ſint pendentes, ſiue à ſolo ſeparati ac percepti tempore amiſſi feudi. Pro hac opinione argumentum ducitur ab exemplo mariti & vxoris ſoluto matrimonio diuidentium fructus fundi dotalis pro rata temporis quo matrimonium cõſiſtit. *l.* 78. §. *Quid ſi mulier. verſic. Diuortio, D. de iure dot. & l.* 7. *D. ſolut. matrim.* Quod tamen ad vſumfructum adtinet ea ſententia Cuiacii reprehẽſa, vulgarem tuentur *Ioannes Robertus libr.* 2. *Animaduerſionum, & Piſtoris d. quæſt.* 24. *numero* 20. Ex his autem tribus ſententiis tutiſſimum eſſe videtur adhærere primæ, vt quæ non ſolum textibus apertis in ipſo iure feudali fundata, ſed etiam communiter à Dd. adprobata vſuque recepta ſit, ne videamur aduerſus ventos ſpirare, aut brachia contra torrentem iactare velle: ſi tamen fructus ſint eiusmodi, qui non quotannis percipi ſolent; ſed tertio vel quinto quoque anno, vt contingit in ſilua cædua, in piſcinis, &c. non videtur iniqua diſtributio pro rata temporis, vt docet *Schrad.* 2. *parte* 9. *pr. ſection.* 3. *num.* 71. *& Hartm. Piſtor. d. quæſt.* 24. *numero* 71. Aliud denique obſeruatur iure Saxonico, quo tantum habetur ratio culturæ, vt ſcilicet, quam primũ ſatum eſt, **wann die Egen das land beſtrichen hat**: & ager raſtris ſubactus, fruct⁹ inde prouenientes transmittantur ad hęredes quocunque anni tẽpore quis moriatur. *Vid. Hart. Piſtor. d. quæſt. n.* 72. *Ioan. Schneidevvin. tract. de feud. p.* 6. *num.* 30. *Weſembec. de feud. c.* 9. *num.* 5. *Iacob. Thomingium deciſ.* 3. *num.* 6. *& Matthiam Colerum in tract. de proceſſib. exequutiuis p.* 2. *cap.* 3. *num.* 289. *Deniq; Schraderum p.* 7. *cap.* 13. *n.* 13. *& p.* 2. 9 *pr. n.* 67.

35. D. *Sed vnde incipiemus computare annum, aut vbi dicemus finiri?*

M. Variè incipit & terminatur annus, vt docet *gl. ad l. per hanc, C. de aduocat. & alia gl. ad Rubr. C. de vindict. libr.* 10. Sed quod ad hanc rem adtinet, qua de agimus

volunt Dd. incipere à Cal. Septembris, & finiri cum menſe Auguſto; de quo vide eundem *Schraderum d. ſect. 3. num.* 73.

36. D. *Audiui etiam ſæpè controuerti ſolere de piſcibus; qui ſunt in lacu vel ſtagno vel flumine feudali, ad quem pertineant illi feudo amiſſo, de quib. expedite vt dicas?*

M. Piſces aut cuſtodiæ tantum cauſſa alicubi imponuntur aquæ, aut vt ibi propagent genus & multiplicentur. Priore caſu non ſunt pars fundi, & proinde remanent eius, qui impoſuit, vel hæredum eius fiunt. Poſteriore ſunt pars fundi; perinde vt fructus pendentes, ideoque cum ipſo fundo feudali ad eũ tranſeunt, ad quem feudum deuolutum eſt. Ita *Guido Papa deciſ.* 91. *Chaſſaneus in conſuet. Burgund.* §. 2. *gl. pen. numero* 4. *&* *Zaſius p.* 4. *n.* 2. *&* 3. *Molinæus in conſuetudinibus Pariſienſium, tit.* 1. § 1. *gl.* 8. *n.* 17. *cum ſeqq.* aliud tamẽ viſum eſt aliis interpretib. teſte *Hartm. Piſtor. n. 69. in d. quæſt.* 24. *&* *teſte Matthia Colero p. 2. de proceſſibus exequutiuis, c.* 3. *n.* 38. nempè, piſces fundi feudalis non eſſe eius partem, per *l.* 15. *D. de act. empti.* vbi tamen *Gothofredus* Molinæi ſententiam probat, & quoad dominium piſcium ſpectandum eſſe quantum temporis elapſum ſit ab immiſſione piſcium, an iam inſtet tempus piſcationis nec ne, quando vaſallus moritur, vel aliàs feudo priuandus venit: nam ſi piſcinæ tum iam fuerint piſcabiles, pertinere piſces ad heredes allodiales potius, quã ad dominum, vel ad adgnatos, quib. feudum apertum eſt: ſin autem nondum ſint piſcabiles, ſpectandum eſſe an tempus mortis vel amiſſionis ex alia cauſſa propius abſit à tempore piſcationis, an vero inuectionis piſcium, vt pro rata fiat diuiſio. Vide etiam de hac quæſtione *Schraderum p. 29. pr. in ſect.* 3. *n.* 71. *cum ſeq. & ſect.* 4. *num.* 10.

37. D. *Quid ſi feudum culpa aliqua vaſalli amiſſum ſit, fructus ad quem pertinebunt?*

M. Fructus pendentes omnes indiſtinctè, nulla habita temporis ratione pertinebunt vel ad dominum vel ad adgnatos. vide *Hartm. Piſt. d. quæſt.* 24. *num.* 25. *&* *Borch. cap.* 7. *num. vlt. verſic. ſanè ſi vaſallus.* Ratio eſt, quia ſibi imputare debet, qui talem culpam admiſerit

qua

qua ſe indignum feudo & fructibus eius redderet, non debet autem quis vel ex re aliena lucrum capere, vel ex dolo ſuo conditionem ſuam facere meliorem. Ei verò qui ſine culpa ſua feudum amittit, nihil eſt, quod imputari poſſit, neque ſolum fructus pendentes vaſallus perdit, nec transmittet ad hæredes ſuos; verum ii ad dominum vel adgnatos pertinent, ſed etiam cogitur reſtituere iam perceptos à tempore commiſſæ culpæ, vt docet *Schrad.d.ſect.3.n.28.& 5.ſeqq.*& meritò.nā poſt commiſſum crimē vaſſallus incipit eſſe malę fidei poſſeſſor, qui multos fructus ſuos facit; ſed omnes reſtituit domino, vt aliàs audiuiſti ad §.*ſi quis à non domino, Inſt. de rer.diuiſ. & ad tit. de off. iudicis.* Huic ſimile eſt quod de clerico traditum eſt, qui commiſit delictum propter quod beneficio Eccleſ. priuari poſſit, eum licèt habeat & retineat iure, quouſq; ſit ea priuatus, tamē poſt ſententiam priuationis teneri reſtituere fructus perceptos à tempore commiſſi delicti, vel quos percipere potuit, ſiue extēt ſiue conſumpti ſint; item ſiue locupletior factus ſit ex conſumptione ſiue minus, vt ex Paulo Caſtrenſi & communi opinione docet *Clarus, §. fin. in pr. act.crimin.quæſt.73.n.vlt.*

38. D. *Meliorationum in feudo factarum à vaſallo qualenam ius eſt, aut ad quem illæ pertinent feudo amiſſo?*

M. Meliorationes vocamus, quæ Græci *Emporemata*, teſte Imp. in *l.1.& 3. Cod. de iur.emphyt.* verbi gratia; ſi ædificium fundo impoſitum ſit, ſi vaſallus fundo aliquam ſeruitutem adquiſiuerit ſuo pretio. His enim duobus exemplis feudiſta vtitur, in §.*ſi vaſallus in feud. tit.28. libri ſecundi.* Hæ autem meliorationes cum in facto poſitæ ſint, nunquam præſumuntur, ſed probandæ ſunt ab eo, qui ait ſe feciſſe, quique eas repetit. *Roland. à Valle conſil.28. num. 30.& ſeq. vol.1. Maſcardus de probationibus, concluſ. 40. numero 4. & 5.* Si ergo feudum culpa eſt amiſſum, res expedita eſt, tunc.n. omnes, quantumuis magnis cum ſumptibus factę meliorationes illi lucro cedunt, cui feudum aperitur, vel domino vel adgnatis proximis ſecundum diſtinctionem ſuperiorem, *argum.l.2.vbi Iaſon. & alii C.de iure emphyt. vide Schrad.ſect.2.num.16.cum duob.ſeqq.& Henric. Roſenthal.*

cap. 10. *concluſ.* 121. hæc enim pœna eſt debita culpæ; quando ſibi imputet, qui commiſit, vt ita hic valeat regula: *Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſentire non videtur.* Si vero feudum abſq; culpa vaſalli amiſſum & alteri apertum ſit, meliorationes pertinebunt ad ipſum vaſallum, vel ad heredes ipſius allodiales, tàm fœminas, quam maſculos, non autem ad dominum, non etiam ad ſucceſſorem feudalem, videlicet aliquem ex adgnatis, §. *ſi vaſallus in feudo, titulo vigeſimo-octauo.* vbi adfertur exemplum in caſu mortis vaſalli. vide & *Nouel. Moz. cap. de naturalibus feud. num.* 131. *cum ſeqq.* ratio eſt, quia ſi diceremus meliorationes non pertinere ad vaſallum qui eas fecit, eiusque heredem, ſed ad dominum vel ſucceſſorem feudi, tum locupletaretur aliquis cum alterius damno, id quod jure naturæ iniquum eſt. *l. nam hoc natura* 14. *D. de condictio. indeb. & l.* 206. *iure naturæ, D. de Regulis iuris, cum ſimilibus.* Adcedit quod nemini officium ſuum damnoſum eſſe debet, *l.* 7. *D. Teſt. quemad. aperiãtur, l.* 61. §. *Quod vero, D. de furtis.* item quod nemo ſuum iactare præſumitur, *l.* 4. *cum de indebito, D. de probationibus, l.* 7. *D. de donationibus, l. contrà* 28. §. *ſi filius, D. de pactis.* Eſt tamē hoc caſu in arbitrio domini vtrum malit pretium meliorationis, id eſt, impenſas reddere, an verò pati vt ædificium tollat is qui extruxit, eiusve heres, *d.* §. *ſi vaſallus, Iul. Clar. quæſt.* 88. *Hotoman. in commentar ad d.* §. *ſi vaſallus*, & quidem ante reſtitutionem feudi poteſt vaſallus eiusve heres iure retentionis incumbere feudo, quoad plenè ſibi ſatisfactum fuerit de impenſis, & poteſt ſe tueri aduerſus dominum vel adgnatos, vel etiam extraneum aliquem qui à domino feudum finitum nactus fuerit; tueri, inquã, ſe poteſt exceptione doli, vel etiam aliquando habet in feudo ius tacitæ hypothecæ, & quidem priuilegiatæ, eo nimirum caſu, quod in conſeruationem rei aliquid impendit, vide *Bald. Matth. de Afflict. & al. feud. ad d.* §. *ſi vaſalli, & Schraderus d. ſect.* 2. *num.* 49. Poſt reſtitutionem vaſallo eiusve heredibus nomine meliorationum, de quibus nondum eſt ſatisfactum, competit etiam condictio, vt docet *Schraderus d. ſect. n.* 34.

39. D. *Sed quomodo æſtimanda eruntelioramenta? an ſecundum valorem ædificii conſiſtentis, an verò pro valore rudcrum & materiæ, quanti ea vendi poſſent diruto ædificio?*

M. Verius & æquius eſt, vt nō rudera, ſed ipſa ædificia æſtimentur, vt ex Bald. & Molin. probat *Iul. Cl. d. quæſt. 88. n. 2.*

40. D. *Cuius autem temporis in hac æſtimatione habebitur ratio? illiusne, quo poſitum eſt ædificium, an verò eius quo feudum apertum reſtituitur?*

M. Quamuis aliqui exiſtiment, ſpectandum eſſe illud tēpus, quo factæ ſunt impenſæ & meliorationes, vt videre eſt apud *Menoch. de recuper. poſſ. rem. 15. numero 565.* tamen communior eſt opinio in contrarium, potius ſpectandum eſſe tempus reſtitutionis, de quo vide *additio. ad Iul. Clar. d. loco.*

41. D. *Quid ſi ædificium à vaſallo fuerit exſtructum colligendorum fructuum cauſſa?*

M. Hic limitatur ſuperior regula, vt in his regulis non habeat locum: item *gloſſ. & Dd. in d. §. ſi vaſallus, titul. 28.* Addunt & hanc limitationem; niſi impenſæ fuerint exiguæ: hoc enim negant repeti poſſe *Aluarott. Præſigittus & alii, ad d. §. ſi vaſallus, Schrader. 29. d. ſect. 2. numero 69.* quid autem iuris ſit de meliorationibus ab emphyt. factis, ad quem illæ pertineant finita Emphyteuſi, vide apud *Iul. Clar. in §. Emphyteu. quæſtion. 45.*

42. D. *Audiui de meliorationibus à vaſallo in feudo factis: Quid verò ſi incrementum aliquod feudo adceſſerit ſine facto vaſalli?*

M. Communiter ita diſtinguunt, vt incrementum euidens & ſeparatum adquiratur domino feudo, latēs verò pertineat ad vaſallum. Prioris generis exemplum eſt, vt ſi inſula in flumine nata ſit è regione fundi feudalis; poſterioris, ſi quid per adluuionem adcreuerit fundo, ita *Iul. Clarus quæſt. 88. num. 3. ex Carolo Ruino, & repetit Nicol. Mozz. in cap. De naturalibus feudi, numero 133. vide gl. & Dd. ad §. ſi quis de manſo, tit. 4. libr. 1.* Clarus tamen æquius eſſe putat, vt quoduis incrementum, quod ſine induſtria & opera vaſalli feudo

adceſſerit, quod proprietatem quidem adquirat domino feudi: quantum verò ad ius, ſiue vtile dominium, vaſallo; qua de re manet cogitandum. Illud certum eſt, ſi quid hac de re comprehenſum ſit in ipſa inueſtitura, & certi quid conuenerit inter dominum & vaſallum, hoc ſeruandum eſſe; legem enim huic contractui dedit, vt ſupra prolixè expoſui, in *cap. de pactis inueſtituræ.*

43. D. *Quid ſi vaſallus iuriſdictionem aliquam feudo adquiſiuerit aliunde, ad quem illa amiſſo feudo pertinebit?*

M. Iuriſdictio non adcreſcet feudo, ideoq; nō pertinebit ad dominū, neq; ad adgnatos ad quos feudum reuoluitur; ſed manebit penes vaſallum, vel ad heredes vaſalli tranſibit. ita *Bald. & Aluarott. ad §. è contrario, tit. 8. lib. 2. Iul. Clar. d. quæſt. 88. n. vlt.*

44. *Tamen ſeruitus feudo adquiſita per vaſallum finito feudo, manet penes feudum, & vnà cum ipſo adquiritur domino vel adgnato, vt aliàs traditum recordor ex d. §. E contrario. quidni ergo idem dicemus etiam de iuriſdictione, cum vtroque ſint iura quædam & res incorporales?*

M. In eo quidem conueniunt ſeruitus & iuriſdictio, quod ante ſint res incorporales & iura. Vnde etiam Interpp. quæ actiones pro ſeruitutibus competunt, nempe confeſs. & negat. easdem etiam pro iuriſdictione dari poſſe putant, vt *Ioannes Faber, & Zaſ. numero vlt. ad §. æquè, Inſtitut. De actionibus.* (quod tamen ab aliis reprehenditur) ſed in eo tamē differunt, quòd iuriſdictio eſt aliquid ſeparatum ab ipſo caſtro ſiue feudo, cum ſeruitus ſit ius inſeparabile. Vnde nihil mirum eſt, quod diuerſum ius de his ſtatuitur.

CAPVT VII.

De illa feudi amiſſione, quæ in perſona domini contingit.

1. D. *Audiui de cauſis ob quas vaſallus ſuo iure excidat, & feudum ab eo amiſſum cui aperiatur. Tempus & or-*

& ordo tractationis nunc admonere videtur, vt dicas de cauſis, ob quas dominus ſiue ſenior, ſiue vt Hotomannus loquitur, patronus, feudum amittat, & cui ab ipſo amiſſum applicetur?

M. Hac de re agitur partim in §.*domino committente feloniam*, *tit.* 36. *& tit.* 47. Qualiter dominus proprietate feudi priuetur, *libro ſecundo Feud. item à Zaſio par.*10.*numero* 79. *& ſeq. Cuiac. ad tit.* 5. *libri ſecundi*, *& Hotomann. in diſputat. feud. capite quadrageſimo primo.* Summa hæc eſt: quibus ex cauſis vaſallus feudo priuatur, ex iiſdem cauſis dominum quoque id amittere debere; & ſicut ibi feudum vel domino vel ęgnatis aperitur, ita hîc ius proprietatis redire ad vaſallum, vt is pro vtili domino, vt vocant, iam fiat directus & plenus; ſiue vt iam plenum ac ſolidum dominium conſequatur: qua de re paullo poſt plenius dicam. Ratio huius regulæ eſt; quia dominus ſuo fideli, id eſt, vaſallo in omnibus iis capitibus, ad quæ vaſallus per iuſiurãdum ipſi ſeſe adſtrinxit, vicem reddere debet: quod ſi non fecerit, malefidus meritò cenſebitur, §.*vltim. tit.* 6. *libri ſecundi Feud. gloſſ. ad c. de forma*, 22. *quæſt.* 5. *& ad tit.* 47. *libr.* 2. *Feud.* & nulla fraus, nec vllum malum ingenium inter dominum & vaſallum interuenire debet, vt ait *Imp. Lotharius in tit.* 52. *libr.* 2. cum dominus vaſallo ſit coniunx, vt alias dixi, ex *tit. vlt. libr.* 2. *feudorum.* Et hoc eſt quòd vulgò iactatur ab interpretibus vaſallum & dominum ad paria iudicari. Reddunt & hanc rationem Topicam & communem; quia vaſallus & dominus ſint ex numero relatiuorum. atqui diſpoſitum de vno correlatiuorum, etiam de altero ſtatui debeat, *arg. l. fin. C. de indicta viduit. tollend.* quòd nimis longè petitum videtur. Quanquam autẽ Feudiſtæ in perſona vaſalli diligenter enumerant illas cauſarum figuras, ob quas ipſe feudum amittat, vt ſupra vidimus; tamen in perſona domini ferè ſicco pede tranſeunt, & ſpecialem enumerationem prætermiſerunt, quòd exiſtimarent noua explicatione rem non indigere: Credo etiam quòd rariora ſint exempla dominorum quàm vaſallorum, qui feudo priuantur. Plerunque enim domini ſunt potentiores, & legũ ac iudiciorum telas tanquam

aranearum veſpæ & crabrones vi perrumpunt, in quibus imbecilliores quaſi muſcæ & culices adhæreſcunt ferè. namque ſecundum Varronem: *Qui pote plus vrget.* In exheredatione quidem, vbi non ſolum ſunt cauſæ propter quas liberi a parentibus, ſed etiam ob quas parentes a liberis exheredari poſſunt, de vtroque ſeparatim & diligenter explicatur, pluresque ſunt cauſæ in perſonis liberorum quam parentum, vt audiuiſti ad *tit. de inoff. teſtam. ex Nouel.* 115. Ampliatur autem hæc regula primum, vt procedat ſiue nouum ſit feudum ſiue antiquum: ſic enim communius placuit, vt docet *Roſenthal. cap.* 11. *concluſ.* 20. Secundo ampliatur vt procedat ſiue vaſallus ſit per ſacramentum ſiue non, id eſt, ſiue iuratus, ſiue iniuratus, *tit.* 47. *libr.* 2. *in fin.* Poteſt enim iuſiurandum fidelitatis remitti vaſallo à domino: quamuis fides ipſa non poſſit remitti, vt ſupradictum. Quare non debuit *Hotom.* hoc tanquam vitium feudiſticum exagitare. In omni namque feudo fides datur & interuenit, licèt non in omni feudo iuretur, cū poſſit dominus iuriſiurandi gratiam facere vaſallo, qui tamen ob id à fide non abſoluitur. Quanquam ſi vaſallus iuſiurandum ad quod tenebatur præſtare voluerit, dominus non dicatur feloniam contra ipſum committere, vt docet *Roſenthal. d. concluſ.* 20.

2. D. *Sed quia tamen quæ in ſpecie non exprimuntur, ea præterita & quaſi neglecta videntur: velim mihi nonnullas cauſas recenſeas propter quas dominus feudum perdit?*

M. Faciam: ſed in quibusdam remittam te ad ſuperius dicta in perſona vaſalli. Primum igitur, ſi dominus vaſallum debito tempore, id eſt, intra annum & diem inueſtituram petentem inueſtire recuſet, in eaq; recuſatione perſiſtat per annum & diem, hæc iuſta erit cauſſa ob quam feudi proprietate priuetur, *gloſſ. vltim. in titul.* 3. *libr.* 2. quæ tamen dubitanter hoc ponit. Facta eſt nihilominus hæc communis opinio, vt ex *Guidone Papa & Iacob. de S. Georgio probat Iul. Clarus, quæſtion.* 49. *numero ſeptimo.* quamuis ipſe nimis rigoroſum hoc eſſe putet: vide *Zaſ. quoque p.* 10. *n.* 81. Secundo ſic, ſi domi-

dominus vaſallo graues & inhoneſtas iniurias inferat re aut verbis, feudum amittet; item ſi eius proditor ſit aut delator, ſi arcanorum reuelator, ſi adcuſator, ſi teſtis aduerſus eum in cauſſa criminali aut ciuili, quæ ſit grauius, ſi iuſtitiam denegetvaſallo: de quo *Iul. Clar. quæſt.* 68. ſi feudum diſſipet, aut aliter abutatur ſuo iure proprietatis: ſi nimium ſæuiat in vaſallos eosque malè tractet atque expilet: de quo vide *Hartm. Hartm. tit. de feud obſeru.* 43. *& Nic. Mozz. in fin. tract. feud.* item ſi dominus fratrem ſuum, aut filium fratris occiderit, aut aliam quamlibet perſonã ex eorũ numero, in quibus crimen parricidii cõmittitur; ſi vxorem vel ſponſam adulterauerit; ſi filiam vel ſororem vaſalli, quæ ſit in capillo & domo eius, conſtuprauerit; ſi impudicè eas tetigerit, aut adſectatus ſit, earumve pudicitiam adtentarit; ſi oppũgnauerit arcem vel caſtrum vaſalli, aut etiam occupauerit, vel aliũd in quo vaſallũ cõmorari ſciebat; ſi filium ſuum qui aduerſus vaſallũ deliquit, nõ ſtiterit vaſallo petenti, nec reconciliare ſtuduerit, aut cũ id impetrare non poſſet, à ſe repulerit; ſi non ignorans grande diſpendiũ & periculum vitæ aut fortunarum vaſallo impẽdere eum non præmonuerit aut certiorarit, vt malo præcauêret; ſi carcere incluſum aut captũ cum poſſet, non liberârit, aut redemerit; ſi quid eorum, ad quæ ex pacto inueſtiturę tenebatur vaſallo, præſtare noluerit; ſi feudũ vaſallo tradere recuſauerit; ſi feudo ipſum ſpoliauerit propria auctoritate ſine cauſſæ cognitione: his & ſimilibus de cauſis dominus feudi ſua proprietate priuatur, quę ſingula qualia ſint, facile ex ſuperioribus intelligis. *arg. l.* 1. *D. de his qui ſunt ſui vel.* vide & *Zaſ. p.* 10 *de feud. n.* 80. *& ſeqq.* Exemplum memorabile domini ſuo iure feudi priuati exhibet Wenceſlaus Caroli IV. filius, cognomento *Ignauus*, cui Electores Imperii communi cõnſenſu imperiũ abrogarunt, vt ex *Coſmographia Munſteri lib.* 3. probat *Hotom. cap.* 41. *in diſp. feud.* Sic & concilium Cõſtantienſe Pontificatũ abrogauit Iohanni XXIII. Papæ; de quo præter cęteros vide *Gobelinum Perſonatũ lib. vlt. Coſmodromii.*

3. D. *Quid ſi dominus feudi inficiatus ſit feudum?*

M. Etiam ipſe non minus quàm vaſallus ob inficiationem ſuo iure multabitur, idque ob paritatem rationis.

4. D. *Licetne domino proprietatem feudi inuito vaſallo alienare ſine metu priuationis, an eſt hac quoque iuſta cauſa priuationis?*

M. Huic quæſtioni ferè ſatisfecimus iam ſupra, cum ageremus de iis quæ permiſſa vel non ſint domino feudi in ipſo feudo, vbi etiam egimus de oppigneratione, an & quatenus ea ſit permiſſa domino in ſua proprietate: nempè pro modica ſumma, vt facilè poſſit feudum lui, ſi non ab ipſo, ſaltem à vaſallo; nō verò pro magna, vt nulla ſit ſpes luitionis. Ea hìc repetere licet adiunctis iis, quæ tradit *Iul. Clar. quæſt. 28. num. 3. & 4. cum aliis commemoratis à Borch. cap. 8. n. 136.* volunt autem, vaſallos ſeparatum quidem nō poſſe à domino transferri in alium; ſed vniuerſe cum toto territorio, (quod vocant Feudiſtæ cum curia. §. *ex eadem lege, tit. 34. lib. 2.*) poſſe quemlibet inuitos alienare. multa namque tranſeunt cum vniuerſitate, quæ alias non transferrentur. vide *Fernand. Vaſq. cap. 8. lib. 1. illuſtr. controuerſ. & Iul. Clar. d. quæſt. 28. n. 2.* Si ergò contra hæc dominus feudi alienauerit proprietatem feudi, non tantū ipſo iure nulla eſt eiuſmodi alienatio, vt voluit Baldus & defendit *Sonsbeccius p. 13. n. 180.* ſed etiam locum habet pœna priuationis: per ea quæ ſupra dixi. Exceptio eſt prima, niſi dominus proprietatē ſuā tranſtulerit in Eccleſiā, ſiue in pios vſus cōuerterit. Quamuis. n. vaſallo in ſuo iure id nō liceat, vt ſupra dictū, tamē domino in ſua proprietate nō denegatur. Et hoc caſu infeudatus ſiue vaſallus feudū, quāuis nulla ſua culpa interueniente, amittit, vt eſt in §. *ſi verò cōtigerit*; vbi hoc notandū monet *gl. in verb. nō poterit, t. de allodiis, Moz. c. 9. n. 122.* Ratio huius exceptionis eſt fauor Eccleſiæ & piæ cauſſę, ob quē etiam alia multa ſingularia ſunt recepta, maximè inter Interp. & Canoniſtas. Domin⁹ tamē tenetur vaſallo, vel aliud æquiualēs feudū, vel pretium eius præſtare. Eſſet. n. iniquiſſimū, ſi domin⁹ ſine vlla refuſione liberalis eſſet de alieno, cū ſpecies ſit furti de alieno largiri ſibiq; debitorē beneficii cōſtituere:

vt ait

vt ait Vlp. & nemo ſine ſuo facto debeat iure ſuo excidere, *can. præſentium, vbi gl. in verb. & alia, 2. q. 1. Sonſbectius part.* 14. *nu.* 183. Minimè verò omnium debet Eccleſia huiuſmodi liberalitatem de alieno agnoſcere, cum ſit cultrix & auctrix iuſtitiæ, quæ non patiatur aliquid contra iuſtitiam fieri in ſe vel in alterum, vt ait *Feudiſt. tit.* 13. *lib.* 1. Immo de S. Auguſtino accepimus, cum, quoties Eccleſiæ ſuæ aliquid a domino offerretur, etiam ex propriis facultatibus, ſi is haberet liberos, talia dona recuſaſſe, cum hoc dicto: *Alium quæreret potius quàm Auguſtinum qui talia acciperet.* Nolebat quippè ſanctiſſimus antiſtes verè id vſurpari poſſe de Eccleſia, quod falsò Chriſtianis obiecit Præfectus vrbi apud Prudentium in hymno de S. Laurentio:

Addicta auorum prædia
Fœdis ſub auctionibus
Succeſſor exhæres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Eccleſiarum in angulis:
Et ſumma pietas creditur
Nudare dulces liberos.

quæ benè notanda ſunt contra eos, qui ſpoliant ac deuorant domos viduarum, vt Saluator in Euangelio dicit.

5. D. *Eſt ne alia quoq; Exceptio, qua dominus proprietate non priuetur?*

M. Eſt, nempè ſi pœna aliqua conuentionalis in Inueſtitura fuerit comprehenſa: tunc enim ceſſante pœna legitima potius aget vaſallus ad conuentionalem. De qua notabili exceptione vide *Matth. de Afflict. ad d. tit.* 47. *lib.* 2. *Feud.* huic ſimile eſt, quod etiam emphyteuta, qui ad canonem ſoluendum ſe adſtrinxit, pœna aliqua conuentionali, vt maximè ceſſet per biennium vel triennium in ſolutione, tamen non poteſt priuari iure ſuo emphyteutico, ſed tantum exigetur pœna conuenta.

6. D. *Eſt ne & alia Exceptio ſiue caſus, quo dominus proprietatem non amittat?*

M. Adferunt hanc quoque ex Luca de Penna ad *l. in*

ſacris. C. de proximis ſacrorum ſcriniorum, li. 12. nempè ſi dominus feudi ſit talis, qui ſuperiorem non recognoſcat. Hunc enim volunt proprietate ſua non multari, quantumuis atrociter in vaſallum alioſque deliquerit. Sed cauendum eſt, ne hæc opinio feneſtram aperiat tyrannidi. Bono ſanè Principe digna vox eſt, *legibus ſe ſubiectum fateri, quamuis ipſi nemo ſancinerit leges, & legibus licèt ſolutum, tamen legibus viuere,* vt alias diximus ad *titul. Inſtitutionũ, Quibus modis teſtam. ex l.* 3. *Cod. de teſtament. l.* 23. *ex imperf. D. de legat.* 3. *l.* 4. *Cod. de legibus, & Plinio in Panegyrico.* Accedit quod ex contractu ſuo etiam Princeps ſummus obligatur; de quo omnes conſentiunt, *ad c.* 1. *extr. de probat.* Atqui feudum eſt contractus vltrò citroque obligatorius, vt ſupra demonſtratum eſt, quare & Principem vaſallo obſtringet.

7. D. *Quid ſi dominus feudi Eccleſiaſtici ſiue prælatus aliquis feudum ſua aliqua culpa amiſerit, nocebit ne hoc Eccleſiæ, vt propter culpam ſui prælati proprietate perpetuo carere cogatur?*

M. Non nocebit Eccleſiæ culpa prælati, niſi quam diu is viuit: Mortuo igitur proprietas manebit penes Eccleſiam. *Zaſ. part.* 10. *num.* 83. *Moz. cap. vlt. num.* 131. neque enim quod paſtor iniquus geſſerit Eccleſiæ fas eſt in damna refundi, vt elegãter canit Guntherus Poëta *feudalis libr.* 2. quo modo & ſupra dictum de feudo Eccleſiaſtico quod amiſit vaſallus prælatus. Illud quoque hîc repetendum ex ſuperioribus, etiam in perſona domini amittentis feudum neceſſariam eſſe ſententiã ſaltem declaratoriam priuationis: *Zaſ. d. part.* 10. *nu.* 83. *in verſic. Debet autem.*

8. D. *Ad quem verò pertinebit proprietas ſic à domino feudi amiſſa?*

M. Ait Feudiſta, proprietatem feudi ob feloniam aliquam a domino amiſſi ad vaſallum pertinere; id eſt, conſolidari dominium directum, vt vocant, cum vtili, idque ſiue in vaſallum peccauerit dominus, ſiue in alium, §. *domino committente feloniam, titul.* 26. *libr.* 2. eamque ſententiam probat & *gl. ad d. tit.* 47. Eandem quoq; receptiorem eſſe teſtatur *Laur. Siluanus in tract. de feudi recognitione, quæſt.* 32. *Iul. Clarus tamen quæſt.* 72. ita

ita eam limitat, vt tum demum procedat, quando neq; ſuperior aliquis adeſt dominus, neque agnati eius domini qui deliquit ad feudum ex tenore inueſtituræ vocantur. Et ita quidẽ, vt potior ac prior habeatur ratio agnatorum, quàm domini ſuperioris. Sin autem vel dominus ſuperior, vel agnati delinquentis adſint, vt tum ipſis potius quam vaſallo proprietas ea adplicetur. Alii diſtinguunt inter feloniam contra vaſallum commiſſam, & eam culpam quæ reſpicit extraneum aliquem, vt ob illa omiſſa proprietas pertineat ad vaſallum; ob hanc verò ad ſuperiorem dominum. Ita poſt alios *Dd. Matth de Affl. ad d. t.* 47. *n.* 5. quæ diſtinctio tametſi probabilem hanc rationem habet, vt vaſallus iniuriæ ſuæ vltionem habeat, quæ non adeò ipſi debetur ſi culpa in aliũ ſit cõmiſſa (quid enim adtinet ad vaſallũ ſi dominus aliquid peccauerit aduerſus alios) tamen repugnat diſertis verbis textus in *d.* §. *domino, t.* 26. qui certè eam reiicit, vt & *gl. in d. tit.* 47. *in verb. non habita diſtinctione peccauit dominus in vaſallum vel in alium.* Quidni ergò hîc quoque valeat illa regula *l. proſpexit. D. Qui, & ex quibus cauſis manumiſſi:* vt nimirum ſeruetur quod ſcriptum eſt, quamuis durum videatur: niſi fortè dicamus, hoc ius variè in variis prouinciis obſeruatum atque in ambiguo fuiſſe relictum, vt putat *Hot. arg. d. tit.* 47. ſed ibi variæ ſententiæ non de hac noſtra quæſtione referuntur, cui debeat cedere proprietas feudi amiſſa; ſed de ea potius, ob quam ſpeciem feloniȩ debeat dominus priuari proprietate, an ex omni, an ex nulla, an ex magna tantùm. Gallorum mores, vt & *conſtitutiones Neapolitanæ lib.* 3. *t.* 19. proprietatem addicũt domino ſupremo, vt teſtantur *Cuiac. ad d. t.* 5. 6. *&* 7. *li.* 2. *feud. & Hoto. in com. ad d.* §. *Domino, tit.* 26. vbi adlegat ad hanc rem ſummam Ruralem Buteleríi. Itaq; apud Gallos vaſallus liberatus à fide & hominio proximi ſui domini, qui proprietate feudi ob delictum aliquid mulctatus eſt, deinceps fit vaſallus ligius ſupremi domini. *Hotom. d. loco.*

9. D. *An etiam dominus præſcriptione amittit feudum ſiue proprietatem ſuam?*

M. Hac de re plenè dixi ſupra cum de præſcriptione feudi ageretur, quæ huc repeti poſſunt.

10. D. *Feudo ob culpam aliquam amiſſo, ſiue id fiat à domino, ſiue à vaſallo, ſi fortè in vita ſua feudum non repetierit dominus aut vaſallus, ſed tacuerit vſq; ad mortem, poteritne hæres vel huius vel illius adhuc poſt mortem eius actionem inſtituere?*

M. Quæſtio hæc, an ius priuandi feudo tranſitorium ſit ad hæredes, competatq; & hæredibus & contra hæredes, commodius fortaſsè tractetur infra inter actiones feudi nomine competentes. Sic autem de ea habendum eſt, ſi vaſallus aliquid commiſerit contra dominum, propter quod deberet amittere feudum, ſi dominus de eo tacuit in vita, non poterunt hæredes poſt mortem eius agere, *gl. in verb. aſſalierit, in* §. 24. *tit. libr.* 2. *feud.* vbi ait, hoc non eſſe tradendum obliuioni, multisque locis iuris ciuilis comprobat, vt *l.* 1. *& vlt. C. de reuo. don. l.* 30. *omni modo. C. de inoffic. teſtam. l.* 26. *Procula. D. de probationib. l.* 3. §. *ſi emancip. D. de bon. poſſ. contra tab.* Quibus & alia loca addi poſſunt. Idem tenuit *Azo in comment. C. ad d. l. omni modo.* 30. *nu.* 3. (*arg. eius legis*) *C. de inoffic. teſt.* eaque eſt communis Dd. ſententia, teſte *Iul. Clar. in* §. *Feud. q.* 64. *nu.* 3. *& Apoſtilla ad quæſt.* 60. Ampliatur hoc, vt ne tum quidem transmittatur ad hæredes ius reuocandi feudi, etiamſi culpa eiuſmodi fuerit, ob quam ipſo iure vaſallus feudo priuaretur. Et *d. quæſt.* 64. *nu.* 2. Exceptiones tamen ab interpretibus excogitatæ ſunt iſtæ. Prima, niſi defunctus iniuriam ad animum reuocaſſet, & celeritate mortis præuentus non potuerit agere ad priuationem, tunc enim (vt aiunt) transmittit ius reuocandi ad hæredem; quia hîc ſatis adparet de ipſius voluntate, quam quidem etiam executus eſſet, niſi morte præuentus fuiſſet. Secunda, niſi defunctus delictum ignoraſſet, atque ita iuſta ignorantia ductus id non vindicaſſet, vide *Bald. & Prapoſ. ad d.* §. *porrò, tit.* 24. His addi poteſt tertia, niſi quis poſt litis conteſtationem deceſſerit. nam litis conteſtatio inter cæteros hunc quoque effectum habet, quod actionem facit tranſitoriã ad hæredes, etiã quæ aliàs talis nõ eſſet: idque ideò, quia iudicio quaſi contrahitur, *l.* 3. §. *idẽ ſcribit. D. de peculio.* Dixi, *Regulariter non poſſe hæredes agere ad priuationem feudi, quam non inſtituit defunctus.* Nõ

poteſt

poteſt etiam agi contra hæredes eius, qui delictum admiſiſſe dicitur priuatione feudi dignum: Quamuis ipſo iure per id amitteretur feudum; niſi delictum adeò notorium eſſet atque inexplicabile, vt nullo modo negari aut defendi poſſit, de quo *vide Clar.quæſt. 65.* Quæ de vaſallo diximus, eadem de perſona domini quoque intellige: nam ad paria iudicantur, vt ſupra dictum.

CAPVT VIII.

De Actionibus, aliisq; Iuris remediis, quæ Feudi nomine competunt Vaſallo, & Domino; Itemq; liberis & agnatis vaſalli, quibus feudum apertum ſeu vacuefactum eſt.

1. D. *Audiui de iure feudi cuiuſmodi ſit, quo pacto & adquiratur & amittatur, & amiſſum cui aperiatur. Sed quia parum eſt ius noſſe; quod nobis competit, niſi etiam ſciamus rationem ac viam iuris noſtri tuendi conſeruandiq; aut perſequendi poſitam in actionibus partim aliisq; iuris remediјs, ſicut parum eſſe dicitur, ius in ciuitate eſſe, niſi ſint qui iura regere poſſunt, teſte Pompon. in l. 2. D. de O. I. Cupio nunc ex te cognoſcere, quæ nam ſint actiones feudi nomine competentes; tum coram quo iudice, & quomodo in iudicium deducantur?*

M. Rectè atque ordine priusquam de ordine & iudicio feudali quæratur, videndum eſt de actionibus. Cũ enim ſine actione acturo ne limen quidem iudicii pateat, ſed talis ſtatim repellatur, eique Exceptio obiicitur, *Tibi non competit actio:* Ante omnia videndum eſt litigaturo, vt actione aliqua conuenienti inſtructus ſit, quemadmodum qui in prælium proficiſcitur non inermis nec ſine telis ire debet. Dicam diſtinctè & ordine primum de actionibus vaſallo competentibus pro feudo. Secundo, de iis, quæ domino competunt feudi nomine. Tertiò, de iis, quæ dantur adgnatis & ſucceſſoribus. In ſingulis autem maximè adtendendum, qualis vnaquæque ſit, an in perſonam, an in rem, an bonæ fidei, an ſtricti Iuris, cui & aduerſus quem, an etiam hæ-

redibus & contra hæredes detur, ad quid detur & quam diu; denique quibus Exceptionibus elidatur ac ſubmoueatur vna quælibet actio; de quibus omnibus ſatis diligenter ſcripſit *Iohan. Oldendorp. in cl. act.* vt feudiſtas nunc taceam.

2. D. *Quanam aut quales ſunt actiones, quæ pro feudo eiusq; nomine dantur vaſallo?*

M. Harum aliæ ſunt in rem: aliæ in perſonam. In rem eſt, primò, *Vtilis rei vindicatio*: de qua ſic ait feudiſta *t. 8. li. 2. Feud.* Rei per beneficiũ rectè inueſtitæ vaſallus hãc habet poteſtatẽ, vt tanquã dominus poſſit a quolibet poſſidente ſibi quaſi vindicare. Et ſi ab alio eius rei nomine cõueniatur, defenſionẽ opponere. Quorũ verborũ enucleatio non eſt nobis negligenda. Ait igitur feudiſta: *Rei per beneficium rectè inueſtitæ*: id eſt, cuius poſſeſſio ipſi tradita eſt per inueſtiturã, quæ dicitur *recta* ſeu *propria*. Eſſe enim duplicẽ inueſtiturã, vnã *abuſiuã* ſiue *ceremonialẽ* ſeu *verbalẽ*; alterã verò *propriã* ſiue *rectã*, ſup. audiuiſti. Et hæc illã ſequi debet. Queadmodũ autem traditio iure gentiũ transfert dominiũ in accipientẽ, §. *per traditionẽ, Inſt. de rer. diu. l. tradit. 20. C. de pact.* ita hæc inueſtitura *Quaſi dominium*, ſiue vt vulgò vocant *vtile* (feudiſta *vſumfructũ* vocat) in inueſtitũ ſeu feudatariũ trãsfert, proprietate, ſeu directo dominio penes ſeniorẽ manente, *§. pen. t. 23. li. 2.* Ait porrò: *tanquã dominus*: itẽ; *quaſi vindicare*. Particulæ illæ & adiectiones, *tanquã*, & *quaſi*, ſignificant improprietatẽ, nempè, vt intelligamus, verè ac propriè ſiue directè dominũ rei feudalis nõ eſſe vaſallũ; ideoq; directã vindicationẽ nõ habere, quæ non niſi domino detur, *l. 23. in pr. D. de rei vind.* ſed vtilẽ duntaxat, quæ tamen in effectu idem valeat, quod directa, *arg. l. 47. D. de neg. geſt.* ſic & ſuperficiario vtilis in rẽ actio a prætore cõmendatur, *l. 75. D. de rei vin. iuncta l. 16. §. vlt. D. de pig. act. l. 1. §. 1. D. de ſuperfic.* vbi etiã quando in rẽ actio dicitur. *Giphan. in tract. feud.* putat hanc actionẽ dici poſſe feudariã, ſicut actio hypothecę dicitur hypothecaria; quomodò & *Ioh. Oldendorp. beneficiarias actiones* vocat in Claſſib. à beneficio ſcil. quod idẽ eſt cũ feudo. Ait feudiſta, *à poſſidente.* nam hoc propriũ eſt rei vindicationis, vt non detur niſi contra poſſeſſorẽ, *l. 9.*

officium.

officium. D. de rei vind. Poſſeſſio enim huic actioni in rē parit aduerſariū, vt ait *l. vnic. D. de ali. iud. mut.* adeo vt ſi reus non poſſideat, aut poſſidere deſierit, dummodo ſine dolo abſoluendus ſit, vt audiuiſti ad §. 1. *Inſt. de act.* addit: *A quolibet poſſidente*, vt intelligamus, vaſallo hanc vtilem vindicationem dari non ſolum aduerſus extraneum, ſed etiam aduerſus ipſum feudi dominū, ſi is fortè poſſeſſionē feudi nactus ſit. *Iul. Clar. q.* 89. Nec poterit ſenior ſe tueri exceptione dominii; ſicut neq; dominus emphyteuſeos contra emphyteutā, *l. 1. in fin. D. ſi ager vect.* qua in re notabiliter differt hæc actio à Publiciana, cui obſtat exceptio iuſti dominii, *l. pen. & vl. D. de publiciana in rem actione.* Ratio differentiæ eſt, quia vaſallus, (ſicut & emphyteuta) cauſam ſiue ius habet à domino ipſo ſibi conceſſum: at bonæ fidei poſſeſſor, cui publicianā prętor adcōmodat, non habet cauſam & ius à domino, ſed ab alio, quem dominū eſſe putabat opinionis errore: ideoq; non eſt mirū, ſi dominus ipſi præferatur, eumq; agentē repellat exceptione dominii: dicendo: *Niſi ego ſim dominus.* Quod ſi dominus quoque contra extraneū agere velit de feudo, vaſallus domino præferetur, vt docet *Hart. Hart. t.* 54. *obſ.* 13. Quod denique ait feudiſta: *vaſallum, ſi ab alio feudi nomine cōueniatur, poſſe defenſionē opponere*: verbo *defenſionis*, ſignificatur Exceptio, & hîc & paſſim in vtroq; iure. Rectiſſimè ſanè. ſunt. n. Exceptiones cōparatæ defendendorū eorū gratia, cum quib agitur, vt ait Imp. init. *t. Inſt. de except.* huius autē dicti ratio poſita eſt in regula iuris, *Cui dam⁹ actionē, eidē & exceptionē cōpetere multò magis:* ex *l.* 156. *inuitus.* §. 1. *D. de R. I.* facilius, inquā, datur exceptio, quàm actio, vnde etiā rei fauorabiliores habentur, quam Actores, vt alia iuris regula habet, *l.* 175. *D. eod.* ſiue autem actores ſiue rei partes vaſallus ſuſtineat, (ſiue agat, inquā, ſeu cōueniatur,) poterit litigare etiā ignorante & non laudato domino feudi, & hic cogetur iudiciū ratū habere, ſiue obtineat vaſall⁹, ſiue ſuccūbat, dūmodo nequid fraudulenter ab eo factū ſit, §. *ſi vaſallus, De beneficio, t. 26. li. 2 & t.* 43. quod tamen ius grauiter reprehēdit *Hoto. in diſp. de feud. c.* 39. *& in comment. ad* §. *rei autem, t.* 8.

Ex his quæ dixi intelliges, qualis hæc actio ſit, ex qua

cauſa, cui & aduerſus quem, & ad quid detur, nempè eſſe in rem, & dari ex iure in rem, ſiue quaſi dominio, quod vaſallus in feudo habet: Et dari vaſallo iam rectè inueſtito, id eſt, qui poſſeſſionem rei feudalis nactus fuerit, ſed poſtea caſu aliquo amiſerit, & dari aduerſus quemlibet poſſeſſorem, etiam ipſum feudi dominum, ſecus quàm Publiciana, quæ in dominum non datur. Dari denique ad id, vt declaretur ſententiâ iudicis, rem iure feudi pertinere ad actorem: quo facto iudicis officio incumbit, vt iubeat reum actori reſtituere poſſeſſionem eius cum fructibus inde perceptis. Quid autem veniat in hanc actionem, plenius intelliges ex iis, quæ ſupra expoſui de iure ipſo, quod vaſallo in feudo competit. Indidem quoque intelliges, quid actori probandum incumbat in hoc iudicio. De hæredibus vaſalli ſi quæras, an & ipſis hæc actio detur, dicam dari quidem, ſed non vt hæredibus, verùm vt idem feudi ius habentibus, & ſuo nomine: quomodo & Paulus de actione ad exhibendum ait: Eam hæredibus, non tanquam hæredibus, ſed ſuo nomine dari, *l. 12. §. vlt. D. ad exhibend. & in l. 7. his ſolis. C. de reuocand. donat.* dicitur hoc proprium eſſe vindicationis, id eſt, in rem actionis, non vt ex Cuiacio exponit Gothofredus, vindictæ ſiue vltionis; nam ipſa oppoſitio hoc ſatis docet, actionis perſonalis & vindicationis. Solent enim inter ſe opponi, actio in perſonam & in rem, quæ generali nomine dicitur vindicatio, vt meminiſti ex *init. tit. Inſtit. De Actionibus.* At quæ ad vindicationem ſeu vltionem datur actio, cum & ipſa in perſonam ſit, non rectè ei opponitur, cum ſpecies ſuo generi non opponatur, ſed ſubiiciatur. Verùm redeamus ad rem. Hæredi vaſalli tanquã hæredi non datur iſta quaſi vindicatio ſiue vtilis rei vindicatio: I. Quia actiones in rem non dantur hæredibus quâ hæredes, ſed quâ ipſi quoque hæredes ſunt domini: deinde, quia feudum nihil commune habet cum hæreditate, vt ſupra docui. Hæreditas propriè eſt rerum allodialium, & ſæpè etiam extraneis defertur; Feuda verò dantur generi, & in his habetur ratio ſanguinis & agnationis. Vt maximè igitur heres quis ſit, tamen niſi etiam ſit ſucceſſor feudi, hanc actionem nõ

habe-

habebit. ſi quæras deinde, an iſta actio etiam cõtra hæredes detur; reſpondebo ſimiliter dari quidem, ſed non tamen quatenus hæredes, verum quatenus poſſeſſores: quomodo & de noxalibus actionibus & de pauperie ait ICtus, eas dari in hæredes non vt in hæredes, ſed vt in dominos; non iure ſucceſſionis, ſed iure dominii, *l. 42. §. vlt. D. de noxal. action. l. 1. §. vlt. D. ſi quadr. paup.* quare vt maximè quis hæres & ſucceſſor alicuius ſit, niſi tamen & ipſe rem, de qua agitur poſſideat, abſoluendus erit: & contra, etiam ſi quis hæres alterius non ſit, dũmodò rem poſſideat, condemnabitur. An autem iſta actio ſit bonæ fidei, vel ſtricti iuris, diſputat *Duarenus cap. 19. nu. 4. de feud.* eſſe bonæ fidei: ſed cum in rem ſit, & nulla in rem actio ſit bonæ fidei, verum aut ſtricta aut arbitraria, excepta petitione hæreditatis, de hac quoque idem dicendum videtur, bonæ fidei non eſſe: Cui tamen reclamat *Iohan. Oldendorp. in tit. de Actionibus beneficiarijs*, vbi ait: *Quænam erit actio bonæ fidei, ſi hæc non erit?*

3. D. *Quid ſi plures ſint pertinentiæ feudi?*

M. Eadem ratione vindicabuntur, quâ & gregis vindicatio eſt, in quo plura ſunt capita, *l. 1. §. vlt. cum 2. ſeqq. D. de rei vindic.* qua de re plura vide apud *Bart. Camerarium in commentar. ad cap. Imperialem, de prohib. feudi ali. per Frid. pag. 290. in ed. Baſilienſi, cum ſeqq.* vbi diſputat, an in feudo ſit vniuerſitas iuris, an vero facti.

4. D. *Daturne & alia vaſallo in rem actio?*

M. Altera actio in rem eſt, quæ datur ipſi de ſeruitute rei feudali debita, *d. §. rei autem, verſic. nam & ſeruitutem, eod. tit. 8. lib. 2.* Sunt qui putent, etiam de ſeruitute feudali dari vaſallo vtilem rei vindicationem: ſed verius eſt dari confeſſoriam aut negatoriam, quod & Antonio Contio placuiſſe video in *cap. 13. methodi feudalis*, quæ quidem vindicationes vtiles dici poſſunt, ſed non rei vindicationes vtiles. Aliud enim eſt vindicatio, aliud rei vindicatio, quæ differunt tanquam genus & ſpecies. Vindicatio competit & de rebus corporalibus, & de ſeruitutibus, & de pignoribus. hæc enim omnia dicimur vindicare, vt docet *Cuiac. lib. 5. obſeru. c. 29.* At rei vindicatio non niſi de ſpeciali in rem actione, quæ pro

aranearum veſpæ & crabrones vi perrumpunt, in quibus imbecilliores quaſi muſcæ & culices adhæreſcunt ferè. namque ſecundum Varronem: *Qui pote plus vrget.* In exheredatione quidem, vbi non ſolum ſunt cauſæ propter quas liberi a parentibus, ſed etiam ob quas parentes a liberis exheredari poſſunt, de vtroque ſeparatim & diligenter explicatur, pluresque ſunt cauſæ in perſonis liberorum quam parentum, vt audiuiſti ad *tit. de inoff. teſtam. ex Nouel.* 115. Ampliatur autem hæc regula primum, vt procedat ſiue nouum ſit feudum ſiue antiquum: ſic enim communius placuit, vt docet *Roſenthal. cap.* 11. *concluſ.* 20. Secundo ampliatur vt procedat ſiue vaſallus ſit per ſacramentum ſiue non, id eſt, ſiue iuratus, ſiue iniuratus, *tit.* 47. *libr.* 2. *in fin.* Poteſt enim iuſiurandum fidelitatis remitti vaſallo à domino: quamuis fides ipſa non poſſit remitti, vt ſupra dictum. Quare non debuit *Hotom.* hoc tanquam vitium feudiſticum exagitare. In omni namque feudo fides datur & interuenit, licèt non in omni feudo iuretur, cũ poſſit dominus iuriſiurandi gratiam facere vaſallo, qui tamen ob id à fide non abſoluitur. Quanquam ſi vaſallus iuſiurandum ad quod tenebatur præſtare voluerit, dominus non dicatur feloniam contra ipſum committere, vt docet *Roſenthal. d. concluſ.* 20.

2. D. *Sed quia tamen quæ in ſpecie non exprimuntur, ea præterita & quaſi neglecta videntur: velim mihi nonnullas cauſas recenſeas propter quas dominus feudum perdit?*

M. Faciam: ſed in quibusdam remittam te ad ſuperius dicta in perſona vaſalli. Primum igitur, ſi dominus vaſallum debito tempore, id eſt, intra annum & diem inueſtituram petentem inueſtire recuſet, in eaq; recuſatione perſiſtat per annum & diem, hæc iuſta erit cauſſa ob quam feudi proprietate priuetur, *gloſſ. vltim. in titul.* 3. *libr.* 2. quæ tamen dubitanter hoc ponit. Facta eſt nihilominus hæc communis opinio, vt ex *Guidone Papa & Iacob. de S. Georgio probat Iul. Clarus, quaſtion.* 49. *numero ſeptimo.* quamuis ipſe nimis rigoroſum hoc eſſe putet: vide *Zaſ. quoque p.* 10. *n.* 81. Secundo ſic, ſi domi-

dominus vaſallo graues & inhoneſtas iniurias inferat re aut verbis, feudum amittet; item ſi eius proditor ſit aut delator, ſi arcanorum reuelator, ſi adcuſator, ſi teſtis aduerſus eum in cauſſa criminali aut ciuili, quæ ſit grauius, ſi iuſtitiam deneget vaſallo: de quo *Iul. Clar. quæſt.* 68. ſi feudum diſſipet, aut aliter abutatur ſuo iure proprietatis: ſi nimium ſæuiat in vaſallos eosque malè tractet atque expilet: de quo vide *Hartm. Hartm. tit. de feud. obſeru.* 43. *& Nic. Mozz. in fin. tract. feud.* item ſi dominus fratrem ſuum, aut filium fratris occiderit, aut aliam quamlibet perſonā ex eorū numero, in quibus crimen parricidii cōmittitur; ſi vxorem vel ſponſam adulterauerit; ſi filiam vel ſororem vaſalli, quæ ſit in capillo & domo eius, conſtuprauerit; ſi impudicè eas tetigerit, aut adſectatus ſit, earum vepudicitiam adtentarit; ſi oppugnauerit arcem vel caſtrum vaſalli, aut etiam occupauerit, vel aliud in quo vaſallū cōmorari ſciebat; ſi filium ſuum qui aduerſus vaſallū deliquit, nō ſtiterit vaſallo petenti, nec reconciliare ſtuduerit, aut cū id impetrare non poſſet, a ſe repulerit; ſi non ignorans grande diſpendiū & periculum vitæ aut fortunarum vaſallo impēdere eum non præmonuerit aut certiorarit, vt malo præcaueret; ſi carcere incluſum aut captū cum poſſet, non liberârit, aut redemerit; ſi quid eorum, ad quæ ex pacto inueſtitaræ tenebatur vaſallo, præſtare noluerit; ſi feudū vaſallo tradere recuſauerit; ſi feudo ipſum ſpoliauerit propria auctoritate ſine cauſſæ cognitione: his & ſimilibus de cauſis dominus feudi ſua proprietate priuatur, quę ſingula qualia ſint, facile ex ſuperioribus intelligis. *arg. l.* 1. *D. de his qui ſunt ſui vel.* vide & *Zaſ. p.* 10 *de feud. n.* 80. *& ſeqq.* Exemplum memorabile domini ſuo iure feudi priuari exhibet Wenceſlaus Caroli IV. filius, cognomento *Ignauus,* cui Electores Imperii communi conſenſu imperiū abrogarunt, vt ex *Coſmographia Munſteri lib.* 3. probat *Hotom. cap.* 41. *in diſp. feud.* Sic & concilium Cōſtantienſe Pontificatū abrogauit Iohanni XXIII. Papæ; de quo præter cęteros vide *Gobelinum Perſonatū lib. vlt. Coſmodromii.*

3. D. *Quid ſi dominus feudi inficiatus ſit feudum?*

M. Etiam ipſe non minus quàm vaſallus ob inficiationem ſuo iure multabitur, idque ob paritatem rationis.

4. D. *Licetne domino proprietatem feudi inuito vaſallo alienare ſine metu priuationis, an eſt hæc quoque iuſta cauſa priuationis?*

M. Huic quæſtioni ferè ſatisfecimus iam ſupra, cum ageremus de iis quæ permiſſa vel non ſint domino feudi in ipſo feudo, vbi etiam egimus de oppignerατione, an & quatenus ea ſit permiſſa domino in ſua proprietate: nempè pro modica ſumma, vt facilè poſſit feudum lui, ſi non ab ipſo, ſaltem à vaſallo; nō verò pro magna, vt nulla ſit ſpes luitionis. Eā hìc repetere licet adiunctis iis, quæ tradit *Iul. Clar. quæſt.* 28. *num.* 3. *&* 4. *cum aliis commemoratis à Borch. cap.* 8. *n.* 136. volunt autem, vaſallos ſeparatum quidem nō poſſe à domino transferri in alium; ſed vniuerſe cum toto territorio, (quod vocant Feudiſtæ cum curia. §. *ex eadem lege, tit.* 34. *lib.* 2.) poſſe quemlibet inuitos alienare. multā namque tranſeunt cum vniuerſitate, quæ alias non transferrentur. vide *Fernand, Vaſq. cap.* 8. *lib.* 1. *illuſtr. controuerſ. & Iul. Clar. d. quæſt.* 28. *n.* 2. Si ergò contra hæc dominus feudi alienauerit proprietatem feudi, non tantū ipſo iure nulla eſt eiuſmodi alienatio, vt voluit Baldus & defendit *Sonsbeccius p.* 13. *n.* 180. ſed etiam locum habet pœna priuationis: per ea quæ ſupra dixi. Exceptio eſt prima, niſi dominus proprietatē ſuā tranſtulerit in Eccleſiā, ſiue in pios vſus cōuerterit. Quamuis. n. vaſallo in ſuo iure id nō liceat, vt ſupra dictū, tamē domino in ſua proprietate nō denegatur. Et hoc caſu infeudatus ſiue vaſallus feudū, quāuis nulla ſua culpa interueniente, amittit, vt eſt in §. *ſi verò cōtigerit*: vbi hoc notandū monet *gl. in verb. nō poterit, t. de allodiis, Moz. c.* 9. *n.* 122. Ratio huius exceptionis eſt fauor Eccleſiæ & piæ cauſſę, ob quē etiam alia multa ſingularia ſunt recepta, maximè inter Interp. & Canoniſtas. Dominꝰ tamē tenetur vaſallo, vel aliud æquiualēs feudū, vel pretium eius præſtare. Eſſet. n. iniquiſſimū, ſi dominꝰ ſine vlla refuſione liberalis eſſet de alieno, cūſpecies ſit furti de alieno largiri ſibiq; debitorē beneficii cōſtituere:

vt ait

vt ait Vlp. & nemo ſine ſuo facto debeat iure ſuo excidere, *can. præſentium, vbi gl. in verb. & alia, 2. q. 1. Sonſbeccius part. 14. nu. 183.* Minimè verò omnium debet Eccleſia huiuſmodi liberalitatem de alieno agnoſcere, cum ſit cultrix & auctrix iuſtitiæ, quæ non patiatur aliquid contra iuſtitiam fieri in ſe vel in alterum, vt ait *Feudiſt. tit. 13. lib. 1.* Immo de S. Auguſtino accepimus, eum, quoties Eccleſiæ ſuæ aliquid a domino offerretur, etiam ex propriis facultatibus, ſi is haberet liberos, talia dona recuſaſſe, cum hoc dicto: *Alium quæreret potius quàm Auguſtinum qui talia acciperet.* Nolebat quippè ſanctiſſimus antiſtes verè id vſurpari poſſe de Eccleſia, quod falsò Chriſtianis obiecit Præfectus vrbi apud Prudentium in hymno de S. Laurentio:

Addicta auorum prædia
Fœdis ſub auctionibus
Succeſſor exhæres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Eccleſiarum in angulis:
Et ſumma pietas creditur
Nudare dulces liberos.

quæ benè notanda ſunt contra eos, qui ſpoliant ac deuorant domos viduarum, vt Saluator in Euangelio dicit.

5. D. *Eſt ne alia quoq; Exceptio, qua dominus proprietate non priuetur?*

M. Eſt, nempè ſi pœna aliqua conuentionalis in Inueſtitura fuerit comprehenſa: tunc enim ceſſante pœna legitima potius aget vaſallus ad conuentionalem. De qua notabili exceptione vide *Matth. de Afflict. ad d. tit. 47. lib. 2. Feud.* huic ſimile eſt, quod etiam emphyteuta, qui ad canonem ſoluendum ſe adſtrinxit, pœna aliqua conuentionali, vt maximè ceſſet per biennium vel triennium in ſolutione, tamen non poteſt priuari iure ſuo emphyteutico, ſed tantum exigetur pœna conuenta.

6. D. *Eſt ne & alia Exceptio ſiue caſus, quo dominus proprietatem non amittat?*

M. Adferunt hanc quoque ex Luca de Penna ad *l. in*

ſacris. C. de proximis ſacrorum ſcriniorum, li. 12. nempè ſi dominus feudi ſit talis, qui ſuperiorem non recognoſcat. Hunc enim volunt proprietate ſua non multari, quantumuis atrociter in vaſallum aliosque deliquerit. Sed cauendum eſt, ne hæc opinio feneſtram aperiat tyrannidi. Bono ſanè Principe digna vox eſt, *legibus ſe ſubiectum fateri, quamuis ipſi nemo ſanciuerit leges, & legibus licèt ſolutum, tamen legibus viuere,* vt aliàs diximus ad *titul. Inſtitutionū, Quibus modis teſtam. ex l. 3. Cod. de teſtament. l. 23. ex imperf. D. de legat. 3. l. 4. Cod. de legibus, & Plinio in Panegyrico.* Accedit quòd ex contractu ſuo etiam Princeps ſummus obligatur; de quo omnes conſentiunt, *ad c. 1. extr. de probat.* Atqui feudum eſt contractus vltrò citroque obligatorius, vt ſupra demonſtratum eſt, quare & Principem vaſallo obſtringet.

7. D. *Quid ſi dominus feudi Eccleſiaſtici ſiue prælatus aliquis feudum ſua aliqua culpa amiſerit, nocebit ne hoc Eccleſiæ, vt propter culpam ſui prælati proprietate perpetuo carere cogatur?*

M. Non nocebit Eccleſiæ culpa prælati, niſi quam diu is viuit: Mortuo igitur proprietas manebit penes Eccleſiam. *Zaſ. part. 10. num. 83. Moz. cap. vlt. num. 131.* neque enim quod paſtor iniquus geſſerit Eccleſiæ fas eſt in damna refundi, vt elegāter canit Guntherus Poëta *feudalis libr. 2.* quo modo & ſupra dictum de feudo Eccleſiaſtico quod amiſit vaſallus prælatus. Illud quoque hîc repetendum ex ſuperioribus, etiam in perſona domini amittentis feudum neceſſariam eſſe ſententiā ſaltem declaratoriam priuationis: *Zaſ. d. part. 10. nu. 83. in verſic. Debet autem.*

8. D. *Ad quem verò pertinebit proprietas ſic à domino feudi amiſſa?*

M. Ait Feudiſta, proprietatem feudi ob feloniam aliquam a domino amiſſi ad vaſallum pertinere; id eſt, conſolidari dominium directum, vt vocant, cum vtili, idque ſiue in vaſallum peccauerit dominus, ſiue in alium, §. *domino committente feloniam, titul. 26. libr. 2.* eamque ſententiam probat & *gl. ad d. tit. 47.* Eandem quoq; receptiorem eſſe teſtatur *Laur. Siluanus in tract. de feudi recognitione, quæſt. 32. Iul. Clarus tamen quæſt. 72.*

ita

ita eam limitat, vt tum demum procedat, quando neq; ſuperior aliquis adeſt dominus, neque agnati eius domini qui deliquit ad feudum ex tenore inueſtituræ vocantur. Et ita quidé, vt potior ac prior habeatur ratio agnatorum, quàm domini ſuperioris. Sin autem vel dominus ſuperior, vel agnati delinquentis adſint, vt tum ipſis potius quàm vaſallo proprietas ea adplicetur. Alii diſtinguunt inter feloniam contra vaſallum commiſſam, & eam culpam quæ reſpicit extraneum aliquem, vt ob illa omiſſa proprietas pertineat ad vaſallum; ob hanc verò ad ſuperiorem dominum. Ita poſt alios *Dd. Matth de Affl. ad d. t. 47. n. 5.* quæ diſtinctio tametſi probabilem hanc rationem habet, vt vaſallus iniuriæ ſuæ vltionem habeat, quæ non adeò ipſi debetur ſi culpa in aliũ ſit cõmiſſa (quid enim adtinet ad vaſallũ ſi dominus aliquid peccauerit aduerſus alios) tamen repugnat diſertis verbis textus in *d. §. domino, t. 26.* qui certè eam reiicit, vt & *gl. in d. tit. 47. in verb. non habita diſtinctione peccauit dominus in vaſallum vel in alium.* Quidni ergò hîc quoque valeat illa regula *l. proſpexit. D. Qui, & ex quibus cauſis manumiſſi:* vt nimirum ſeruetur quod ſcriptum eſt, quamuis durum videatur: niſi fortè dicamus, hoc ius variè in variis prouinciis obſeruatum atque in ambiguo fuiſſe relictum, vt putat *Hot. arg. d. tit.* 47. ſed ibi variæ ſententiæ non de hac noſtra quæſtione referuntur, cui debeat cedere proprietas feudi amiſſa; ſed de ea potius, ob quam ſpeciem felonię debeat dominus priuari proprietate, an ex omni, an ex nulla, an ex magna tantùm. Gallorum mores, vt & *conſtitutiones Neapolitanæ lib. 3. t. 19.* proprietatem addicũt domino ſupremo, vt teſtantur *Cuiac. ad d. t. 5. 6. & 7. li. 2. feud. & Hoto. in com. ad d. §. Domino, tit. 26.* vbi adlegat ad hanc rem ſummam Ruralem Buteleſii. Itaq; apud Gallos vaſallus liberatus à fide & hominio proximi ſui domini, qui proprietate feudi ob delictum aliquid multatus eſt, deinceps fit vaſallus ligius ſupremi domini. *Hotom. d. loco.*

9. D. *An etiam dominus præſcriptione amittit feudum ſiue proprietatem ſuam?*

M. Hac de re plenè dixi ſupra cum de præſcriptione feudi ageretur, quæ huc repeti poſſunt.

10. D. *Feudo ob culpam aliquam amiſſo, ſiue id fiat à domino, ſiue à vaſallo, ſi fortè in vita ſua feudum non repetierit dominus aut vaſallus, ſed tacuerit vſq; ad mortem, poteritne hæres vel huius vel illius adhuc poſt mortem eius actionem inſtituere?*

M. Quæſtio hæc, an ius priuandi feudo tranſitorium ſit ad hæredes, competatq; & hæredibus & contra hæredes, commodius fortaſsè tractetur infra inter actiones feudi nomine competentes. Sic autem de ea habendum eſt, ſi vaſallus aliquid commiſerit contra dominum, propter quod deberet amittere feudum, ſi dominus de eo tacuit in vita, non poterunt hæredes poſt mortem eius agere, *gl. in verb. aſſalierit, in* §. 24. *tit. libr.* 2. *feud.* vbi ait, hoc non eſſe tradendum obliuioni, multisque locis iuris ciuilis comprobat, vt *l.* 1. *& vlt. C. de reuo. don. l.* 30. *omni modo. C. de inoffic. teſtam. l.* 26. *Proculæ. D. de probationib. l.* 3. §. *ſi emancip. D. de bon. poſſ. contra tab.* Quibus & alia loca addi poſſunt. Idem tenuit *Azo in comment. C. ad d. l. omni modo.* 30. *nu.* 3. (*arg. eius legis*) *C. de inoffic. teſt.* eaque eſt communis Dd. ſententia, teſte *Iul. Clar. in* §. *Feud. q.* 64. *nu.* 3. *& Apoſtilla ad quæſt.* 60. Ampliatur hoc, vt ne tum quidem transmittatur ad hæredes ius reuocandi feudi, etiamſi culpa eiuſmodi fuerit, ob quam ipſo iure vaſallus feudo priuaretur. Et *d. quæſt.* 64. *nu.* 2. Exceptiones tamen ab interpretibus excogitatæ ſunt iſtæ. Prima, niſi defunctus iniuriam ad animum reuocaſſet, & celeritate mortis præuentus non potuerit agere ad priuationem, tunc enim (vt aiunt) transmittit ius reuocandi ad hæredem; quia hîc ſatis adparet de ipſius voluntate, quam quidem etiam executus eſſet, niſi morte præuentus fuiſſet. Secunda, niſi defunctus delictum ignoraſſet, atque ita iuſta ignorantia ductus id non vindicaſſet, vide *Bald. & Præpoſ. ad d.* §. *porrò, tit.* 24. His addi poteſt tertia, niſi quis poſt litis conteſtationem deceſſerit. nam litis conteſtatio inter cæteros hunc quoque effectum habet, quod actionem facit tranſitoriã ad hæredes, etiã quæ aliàs talis nõ eſſet: idque ideò, quia iudicio quaſi contrahitur. *l.* 3. §. *idẽ ſcribit. D. de peculio.* Dixi, *Regulariter non poſſe hæredes agere ad priuationem feudi, quam non inſtituit defunctus.* Nõ

poteſt

poteſt etiam agi contra hæredes eius,qui delictum admiſiſſe dicitur priuatione feudi dignum: Quamuis ipſo iure per id amitteretur feudum, niſi delictum adeò notorium eſſet atque inexplicabile, vt nullo modo negari aut defendi poſſit,de quo *vide Clar.quaſt. 65.* Quæ de vaſallo diximus, eadem de perſona domini quoque intellige:nam ad paria iudicantur,vt ſupra dictum.

Capvt VIII.

De Actionibus, aliisq; Iuris remediis, quæ Feudi nomine competunt Vaſallo, & Domino; Itemq; liberis & agnatis vaſalli, quibus feudum apertum ſeu vacuefactum eſt.

1.D.*Audiui de iure feudi cuiuſmodi ſit,quo pacto & adquiratur & amittatur, & amiſſum cui aperiatur. Sed quia parum eſt ius noſſe; quod nobis competit, niſi etiam ſciamus rationem ac viam iuris noſtri tuendi conſeruandiq; aut perſequendi poſitam in actionibus partim aliiſq; iuris remediis, ſicut parum eſſe dicitur,ius in ciuitate eſſe, niſi ſint qui iura regere poſſunt,teſte Pompon.in l.2.D.de O.I. Cupio nunc ex te cognoſcere,quæ nam ſint actiones feudi nomine competentes; tum coram quo iudice, & quomodo in iudicium deducantur?*

M.Rectè atque ordine priusquam de ordine & iudicio feudali quæratur,videndum eſt de actionibus. Cũ enim ſine actione acturo ne limen quidem iudicii pateat, ſed talis ſtatim repellatur, eique Exceptio obiicitur, *Tibi non competit actio:* Ante omnia videndum eſt litigaturo,vt actione aliqua conuenienti inſtructus ſit, quemadmodum qui in prælium proficiſcitur non inermis nec ſine telis ire debet. Dicam diſtinctè & ordine primum de actionibus vaſallo competentibus pro feudo. Secundo,de iis,quæ domino competunt feudi nomine. Tertiò,de iis, quæ dantur adgnatis & ſucceſſoribus.In ſingulis autem maximè adtendendum,qualis vnaquæque ſit, an in perſonam, an in rem, an bonæ fidei,an ſtricti Iuris, cui & aduerſus quem, an etiam hæ-

redibus & contra hæredes detur, ad quid detur & quam diu; denique quibus Exceptionibus elidatur ac ſubmoueatur vna quælibet actio; de quibus omnibus ſatis diligenter ſcripſit *Iohan. Oldendorp. in cl. act.* vt feudiſtas nunc taceam.

2. D. *Quænam aut quales ſunt actiones, quæ pro feudo eiusq; nomine dantur vaſallo?*

M. Harum aliæ ſunt in rem: aliæ in perſonam. In rem eſt, primò, *Vtilis rei vindicatio*: de qua ſic ait feudiſta *t.8. li.2. Feud.* Rei per beneficiũ rectè inueſtitæ vaſallus hãc habet poteſtatẽ, vt tanquã dominus poſſit à quolibet poſſidente ſibi quaſi vindicare. Et ſi ab alio eius rei nomine cõueniatur, defenſionẽ opponere. Quorũ verborũ enucleatio non eſt nobis negligenda. Ait igitur feudiſta: *Rei per beneficium rectè inueſtitæ*: id eſt, cuius poſſeſſio ipſi tradita eſt per inueſtiturã, quæ dicitur *recta* ſeu *propria*. Eſſe enim duplicẽ inueſtiturã, vnã *abuſiuã* ſiue *ceremonialẽ* ſeu *verbalẽ*; alterã verò *propriã* ſiue *rectã*, ſup. audiuiſti. Et hæc illã ſequi debet. Quẽadmodũ autem traditio iure gentiũ transfert dominiũ in accipientẽ, §. *per traditionẽ, Inſt. de rer. diu. l. tradit. 20. C. de pact.* ita hæc inueſtitura *Quaſi dominium*, ſiue vt vulgò vocant *vtile* (feudiſta *vſumfructũ* vocat) in inueſtitũ ſeu feudatariũ trãsfert, proprietate, ſeu directo dominio penes ſeniorẽ manente, §. *pen. t. 23. li. 2.* Ait porrò: *tanquã dominus*: itẽ; *quaſi vindicare*. Particulæ illæ & adiectiones, *tanquã*, & *quaſi*, ſignificant improprietatẽ, nempè, vt intelligamus, verè ac propriè ſiue directè dominũ rei feudalis nõ eſſe vaſallũ; ideoq; directã vindicationẽ nõ habere, quæ non niſi domino detur, *l. 23. in pr. D. de rei vind.* ſed vtilẽ duntaxat, quæ tamen in effectu idem valeat, quod directa, *arg. l. 47. D. de neg. geſt.* ſic & ſuperficiario vtilis in rẽ actio a prætore cõmendatur, *l. 75. D. de rei vin. iuncta l. 16. §. vlt. D. de pig. act. l. 1. §. 1. D. de ſuperfic.* vbi etiã quando in rẽ actio dicitur. *Giphan. in tract. feud.* putat hanc actionẽ dici poſſe feudariã, ſicut actio hypothecę dicitur hypothecaria; quomodo & *Ioh. Oldendorp. beneficiarias actiones* vocat in Claſſib. à beneficio ſcil. quod idẽ eſt cũ feudo. Ait feudiſta, *à poſſidente.* nam hoc propriũ eſt rei vindicationis, vt non detur niſi contra poſſeſſorẽ, *l. 9.*

officium.

officium. D. de rei vind. Poſſeſſio enim huic actioni in rẽ parit aduerſariũ, vt ait *l. vnic. D. de ali. iud. mut.* adeo vt ſi reus non poſſideat, aut poſſidere deſierit, dummodo ſine dolo abſoluendus ſit, vt audiuiſti ad §. 1. *Inſt. de act.* addit: *A quolibet poſſidente*, vt intelligamus, vaſallo hanc vtilem vindicationem dari non ſolum aduerſus extraneum, ſed etiam aduerſus ipſum feudi dominũ, ſi is fortè poſſeſſionẽ feudi nactus ſit. *Iul. Clar. q.* 89. Nec poterit ſenior ſe tueri exceptione dominii; ſicut neq; dominus emphyteuſeos contra emphyteutã, *l. 1. in fin. D. ſi ager vect.* qua in re notabiliter differt hæc actio à Publiciana, cui obſtat exceptio iuſti dominii, *l. pen. & vl. D. de publiciana in rem actione.* Ratio differentiæ eſt*, quia vaſallus, (ſicut & emphyteuta) cauſam ſiue ius habet à domino ipſo ſibi conceſſum: at bonæ fidei poſſeſſor, cui publicianã prętor adcõmodat, non habet cauſam & ius à domino, ſed ab alio, quem dominũ eſſe putabat opinionis errore: ideoq; non eſt mirũ, ſi dominus ipſi præferatur, eumq; agentẽ repellat exceptione dominii: dicendo: *Niſi ego ſim dominus.* Quod ſi dominus quoque contra extraneũ agere velit de feudo, vaſallus domino præferetur, vt docet *Hart. Hart. t.* 54. *obſ.* 13. Quod denique ait feudiſta: *vaſallum, ſi ab alio feudi nomine cõueniatur, poſſe defenſionẽ opponere:* verbo *defenſionis*, ſignificatur Exceptio, & hîc & paſſim in vtroq; iure. Rectiſſimè ſanè. ſunt. n. Exceptiones cõparatæ defendendorũ eorũ gratia, cum quib. agitur, vt ait Imp. init. *t. Inſt. de except.* huius autẽ dicti ratio poſita eſt in regula iuris, *Cui damᵘ actionẽ, eidẽ & exceptionẽ cõpetere multò magis:* ex *l.* 156. *in initus.* §. 1. *D. de R. I.* facilius, inquã, datur exceptio, quàm actio, vnde etiã rei fauorabiliores habentur, quàm Actores, vt alia iuris regula habet, *l.* 175. *D. eod.* ſiue autem actores ſiue rei partes vaſallus ſuſtineat, (ſiue agat, inquã, ſeu cõueniatur,) poterit litigare etiã ignorante & non laudato domino feudi, & hic cogetur iudiciũ ratũ habere, ſiue obtineat vaſall⁹, ſiue ſuccũbat, dũmodo ne quid fraudulenter ab eo factũ ſit, §. *ſi vaſallus, De beneficio, t.* 26. *li.* 2. & *t.* 43. quod tamen ius grauiter reprehẽdit *Hoto. in diſp. de feud. c.* 39. & *in comment. ad* §. *rei autem, t.* 8.

Ex his quæ dixi intelliges, qualis hæc actio ſit, ex qua

habebit. ſi quæras deinde, an iſta actio etiam cõtra hæredes detur; reſpondebo ſimiliter dari quidem, ſed non tamen quatenus hæredes, verum quatenus poſſeſſores: quomodo & de noxalibus actionibus & de pauperie ait ICtus, eas dari in hæredes non vt in hæredes, ſed vt in dominos; non iure ſucceſſionis, ſed iure dominii, *l. 42. §. vlt. D. de noxal. action. l. 1. §. vlt. D. ſi quadr. paup.* quare vt maximè quis hæres & ſucceſſor alicuius ſit, niſi tamen & ipſe rem, de qua agitur poſſideat, abſoluendus erit: & contra, etiam ſi quis hæres alterius non ſit, dũmodò rem poſſideat, condemnabitur. An autem iſta actio ſit bonæ fidei, vel ſtricti iuris, diſputat *Duarenus cap. 19. nu. 4. de feud.* eſſe bonæ fidei: ſed cum in rem ſit, & nulla in rem actio ſit bonæ fidei, verum aut ſtricta aut arbitraria, excepta petitione hæreditatis, de hac quoque idem dicendum videtur, bonæ fidei non eſſe: Cui tamen reclamat *Iohan. Oldendorp. in tit. de Actionibus beneficiariis*, vbi ait: *Quænam erit actio bonæ fidei, ſi hæc non erit?*

3. D. *Quid ſi plures ſint pertinentiæ feudi?*

M. Eadem ratione vindicabuntur, quâ & gregis vindicatio eſt, in quo plura ſunt capita, *l. 1. §. vlt. cum 2. ſeqq. D. de rei vindic.* qua de re plura vide apud *Bart. Camerarium in commentar. ad cap. Imperialem, de prohib. feudi ali. per Frid. pag. 290. in ed. Baſilienſi, cum ſeqq.* vbi diſputat, an in feudo ſit vniuerſitas iuris, an verò facti.

4. D. *Daturne & alia vaſallo in rem actio?*

M. Altera actio in rem eſt, quæ datur ipſi de ſeruituto rei feudali debita, *d. §. rei autem, verſic. nam & ſeruitutem, eod. tit. 8. lib. 2.* Sunt qui putent, etiam de ſeruitute feudali dari vaſallo vtilem rei vindicationem: ſed verius eſt dari confeſſoriam aut negatoriam, quod & Antonio Contio placuiſſe video in *cap. 13. methodi feudalis*, quæ quidem vindicationes vtiles dici poſſunt, ſed non rei vindicationes vtiles. Aliud enim eſt vindicatio, aliud rei vindicatio, quæ differunt tanquam genus & ſpecies. Vindicatio competit & de rebus corporalibus, & de ſeruitutibus, & de pignoribus. hæc enim omnia dicimur vindicare, vt docet *Cuiac. lib. 5. obſeru. c. 29.* At rei vindicatio non niſi de ſpeciali in rem actione, quæ pro

rebus corporalibus competit, rectè vſurpatur, vt dictū eſt ad §. *omnium. Inſtit. de action.* Cui autem & aduerſus quem, & ad quid detur confeſſoria & negatoria actio, ne hîc diutius, quàm par eſt immorer, reperi poteſt ex §. *æquè. Inſtit. de act. Feudiſtæ* vtramque actionem diſtinguunt his verbis: *ſeruitutem petere poteſt, & retinere.* Petitur per confeſſoriam; retinetur per negatoriam. Notanda eſt hîc differentia inter vaſallum & vſufructuarium ſimplicem. hic enim neq; fundum fructuarium ipſum, neq; ſeruitutem ei debitam ſibi vindicare poteſt, *l.1. D. ſi vſusfructus petatur; & l.1. §. vlt. D. de nou. oper. nun:* Vtrumq; verò conceditur vaſallo; quia ius multò pinguius ac plenius habet, q̄ vſufructuarius, tametſi interdū & feudū dicitur vſusfruct⁹ quidā, vt §. *vlt. D. t. 23. li. 2.*

5. D. *Audiui de actionibus in rem quæ vaſallo competunt. ſed quas nam habet actiones in perſonam?*

M. Multiplices, vt ait *Cont. d. c. 13.* Et primum quidē aduerſus ipſum dominū ex contractu inueſtituræ abuſiuæ agere poteſt, ad hoc, vt reipsâ tradatur feudum, quod antea imaginariè tantū per inueſtiturā ceremonialē traditū eſt: ſiue, vt inueſtiturā abuſiuā quæ poſſeſſionem nondum tranſtulit in inueſtitū, ſequatur propria quæ illius ſit complementū. Hanc actionem putat Contius dici poſſe *præſcriptis verbis*, vel *beneficiaria*. Bart. eam vocat *actionem ex feudo.* Cōmunis ſchola interpretū adpellat *condictionem ex moribus*: vt præter cæteros videre eſt apud *Iul Clar. q. 89.* nimirum quia feuda moribus potius conſtant & reguntur, quam legib. De qua generali actione feudali videndus eſt *Spec. in §. vlt. t. de feud. & Iaſon in l. 7. D. de pact. itemq; Dd. in l. vnic. D. de cond. ex l.* Eius enim actionis exemplo hanc introduxerunt, quotiescunq; mores aliquā actionem concedūt, nec tamen exprimunt nomen eius. Alii tamen putant, condictionem ex lege etiā huc adcommodari poſſe. ita *Duaren. c. 18. comment. de feud.* itemque *Giph.* & ante vtrumq; *Oldendorp. in claſ.* nam vt cōdictio ex lege hodiè datur de omni donatione inter viuos ex Conſtitutione Iuſtin. in *l. 35. ſi quis argentum. C. de donat.* Ita & de feudis. Datur etiam vaſallo aduerſus dominum actio ex ſtipulatu, ſi nimirū ſtipulatio de feudo interuenerit: ſi promiſſio

miſſio de inueſtiendo ſtipulatione vallata fuerit, vt loquitur *Iul. Clar d. q. 89.* Quòd ſi feudum emptum fuerit, dabitur vaſallo actio ex empto, *arg. l. 11. ex empto. D. de act. empt.* ſi aliam rem pro feudo dederit, ſiue permutationē fecerit, (quod vocant Feudiſtæ, *cambium*, vt alias dixi) præſcriptis verbis agere poterit, *arg. l. 1. §. 1. & l. 5. §. 1. totoq; t. D. de præſcript. verb. l. 4. C. eod.* Sunt qui putent, de feudo in vltima voluntate, vt teſtamento aut codicillis conſtituto, dari vaſallo actionem ex teſtamento vel directam vel vtilem: quæ eſt actio in perſonā: Dari quoq; rei vindicationem & hypothecariam, quæ ſunt in rem: has enim actiones omnes concurrere & legatario ad cōſequendū legatū dari meminiſti ex *Inſt. init. t. de legat. & l. 1. C. commu. de leg.* Sed *Hot. in diſp. de feud. c. 34.* in ea ſententia eſt, feudum niſi inter viuos conſtitui nō poſſe, eaque in re diſtare ab vſufructu, qui etiam teſtamento conſtitui poteſt. Rationem ipſe hanc reddit; quia illius demum vaſallus quisque fit à quo inueſtituram adcepit, *t. 3. & t. 32. lib. 2. feud.* videtur & hæc reddi poſſe; quia qui vaſallum ſibi conſtituit, ideò hoc facit, vt habeat à quo ſibi præſtētur ſeruitia, & plerumq; militaria. Atqui his non eget mortuus. Teſtamentum autem, & quæcunq; in eo ſcribuntur, nō niſi poſt mortem vires habent; *l. 1. D. de hæred. vel act. vend. cum ſimil.* Præterea nusquam in toto iure feudali teſtamenta inter modos conſtituendi feudi recenſentur. quare ſine lege loqui erubeſcimus; quod & ſup. alicubi attigiſſe recordor.

6. D. *Ad quid dantur ſuperiores illæ actiones, an vt præciſè dominus rem tradat, an verò ad id quod intereſt?*

M. Aut contractus tantum initus eſt vel habitus de feudo: & ſecundum ius commune liberabitur dominus præſtando id quod intereſt, *arg. l. ſtipulationes nō diuiduntur. D. de V. O.* Aut inueſtitura iam facta eſt impropria, nondum tamē res tradita vaſallo, & hoc caſu dominus præciſe cogetur ad rem tradendā, nec poterit liberari præſtatione eius quod intereſt, *§. ſi facta. t. 26. li. 2. Feud. gl in d t. 8. in verbo, præſtabit.* ita & Duaren. diſtinguit *c. 18. n. 4. & Borchold. fere c. 9. n. 11. & 12.* vide & *Ioh. Vaud. li. 1. q. 9. in fine.* Dixi etiam nonnihil ſup. quo loco agebatur de rei alienæ inueſtitura.

7. D. *Dantur ne iſtæ actiones etiam hæredibus & contra hæredes?*

M. Omninò, neque ea res dubitationem vllam habet, ſi laicus ſit is, qui inueſtituram fecit, & antequam traderetur vel conditio tempusve exiſteret mortuus eſt; nam ſucceſſor eius cogitur adimplere inueſtiturã vbi dies venerit, vel conditio extiterit, *arg.l.ex contractibus 49.D.de O.& A.l.57.ſi quis.D.de V.O.l.1.D.de fideiuſſ. tut.&c.l.3.C.de reb.alien.non ali.l.14.cum à matre. C. de rei vind.l.ex qua perſona.D. de regulis iuris cum ſimilibus.* aliud eſt in perſona Eccleſiaſtica; verbi gratia, in Epiſcopo aliove prælato Eccleſiæ aut monaſterii, qui rem Eccleſiæ vel monaſterii in feudum conceſſit: huius enim ſucceſſor non obligatur, ſi fortè inueſtitor præmoriatur ante eum de cuius feudo nondum aperto alium inueſtiuit, vel ante euentum conditionis aut diei, vt habetur *t.3.§.hoc ita, tit.9.li.1. Feudorum*, vide *Duaren. d.c.18.nu.5.& Borchol.c.7.de feud.nu.19.* Dixi: *qui rem Eccleſiæ in feudum conceſſit*: vt intelligas aliud eſſe, ſi clericus de re ſua & propria aliquem inueſtiuerit. Nam in huiuſmodi rebus propriis clericus habetur pro laico, *l. 3. C. de epiſc. & cler.* ideoque & ipſe inueſtitor obligatur, & hæredem quoque obligatum relinquit, vt eſt ſcriptum in *tit.35.lib.2.Feud.* Ratio differentiæ eſt: quia magis fauetur bonis Eccleſiæ propriis, quam profanis & communibus, ideoque in his Clericus vaſallum aliquem inueſtiens ſuum negotium gerit: In illis Eccleſię, nec eſt dominus earum, ſed adminiſtrator tantum. cõſtituit autem Lotharius Imperator, ſucceſſores nõ debere obligari actis anteceſſorum ſuorum, ſi illis lædatur Eccleſiarum vtilitas. Extat conſtitutio ipſius *libr.3. legum Longobardic.tit.* 10. quam etiam gl. allegat. Exceptio ab hac regula primum hæc eſt, ex *t.3.verſic.niſi ille, lib.1.Feud.* niſi Titius, verbi gratia, eius feudi nomine in poſſeſſionem ſit miſſus, adhuc viuo & conſentiente vltimo vaſallo, qui ſine ſucceſſoribus deceſſurus ſperatur. Tum enim & ſucceſſorem epiſcopi eſſe cogendum putant ad implendam inueſtituram ſui anteceſſoris & feudi poſſeſſionem tradendam. Quæ tamen exceptio ſatis aliena videtur à iure ciuili, quo non poſſunt duo

eandem

eandem rem in ſolidum poſſidere, *l. 3. D. de adquir. vel amit. poſſ.* Quomodo igitur poterit quis mitti in poſſeſſionem feudi nondum vacantem, ſed adhuc detentam & occupatam ab alio vaſallo? ſed ius feudorum magis nititur conſuetudine quàm ratione, vt & ſupra aliquoties admonui, & notat *Iohan. Vaudus lib. 4. quæſt. 9. in fin.* Alteram quoq; Exceptionem addit *Borch. cap. 7. nu. 20. & 21. ex Matth. de Afflictis*, niſi inueſtitura à Clerico facta ſit cum conſenſu totius capituli. nam & hoc caſu ſucceſſor tenebitur adimplere contractum defuncti: quia Eccleſia ipſa, quæ nunquam moritur, inueſtiturā feciſſe videtur. Idem eſt ſi ratihabitio fuerit ſubſecuta, quæ conſenſum imitatur: atque hæc tertia eſſe poteſt Exceptio.

8. D. *Dic alias actiones in perſonam, quæ vaſallo aduerſus dominum competunt?*

M. Præterea datur etiam vaſallo actio de euictione, ſi res in feudum ipſi data fuerit aliena & vaſallo à vero domino, vel cui obligata erat, per iudicium ablata. Datur autem hæc actio ad id, vt dominus aliud feudum eiuſdem bonitatis ſeu quantitatis ſiue æſtimationis ei præſtet, cuius erat prius tempore rei iudicatæ: vt eſt *tit. 8. lib. 2. & tit. 25.* ſed requiritur, vt inueſtitura facta ſit ignoranti. nam ſi quis ſciens alienæ rei inueſtituram acceperit, non aliter habebit de euictione actionē, quàm ſi eam ſtipulatus ſit. Ita intelligendum eſſe, quod ait feudiſta: *niſi pacto ſpeciali ſibi proſpexerit*, alias docui. fac. *l. 27. ſi fundum. C. de Euictionibus, l. apud, §. item Labeo. D. de doli mali & metus except.* In domino autem non diſtinguimus, vtrum ſciuerit, an ignorauerit. Perinde enim vterque tenetur, & qui ſciuit, & qui ignorauit rem alienam eſſe, ſcire namque debuit, vt ait *gl. ad d. tit.* 8. in verbo, *ignorauerit.* Et omnino facilius toleratur atque excuſatur ignorantia facti alieni, quàm proprii. Non poterit tamen vaſallus habere contra dominum regreſſum de euictione, ſi caſtrum, verbi gratia, quod in feudis habebat, vi aut clàm amiſerit, *arg. l. vlt. C. de act. empt. & l. ſi per imprudentiam. D. de Euictionibus, Ferrarienſis in forma libelli, quo agitur ad reuocationem feudi:* ſed ſi dominus poſteà recuperauerit poſſeſſionem ab

inuaſore, tenetur rem reſtituere vaſallo; maximè ſi ex cauſa lucratiua eam nactus fuerit, vt rectè Ferrarienſis dicto loco propè finem, repudiata aliorum diſtinctione. Plura de euictione feudi dixi ſuprà, cum de re aliena in feudum conceſſa ageremus: vbi & hoc neceſſarium eſſe dixi, vt vaſallus, qui de euictione agere vult, auctorem ſuum laudet, id eſt, litem domino, à quo cauſam habet, denuntiet tempeſtiuè, vt liti ſubſiſtat, vt ſe defendat, quod requiſitum exprimitur in ipſo *textu tit. 25. lib. 2. Feud.* Sin autem hoc prætermiſerit, non dabitur ei regreſſus aduerſus dominum: iam enim eſt, quod ipſi imputari poſſit; domino autem nihil.

9. D. *An non etiam alia contra dominum actio datur vaſallo?*

M. Datur quoque eo caſu, quo dominus proprietatem ob feloniam aliquam amiſit, nec tamen eã dimittere à ſe vult, ſed nihilominus pergit ſeruitia à vaſallo exigere. Tunc.n. quia vaſallus ſine actione aduerſus eũ experiri non poteſt, nec tamen iure feudali vllũ genus actionis expreſſum eſt, dabimus ei condictionẽ ex lege, qua petat ſe declarari immunem ab omni obſequio & hominio, ſeruitiiq; præſtatione, & proprietatem feudi commiſſam à domino ad ſe iam pertinere. Ita rectè Duarenus *c. 18. de feud. nu. 7.* hanc autem actionem non dari in hæredes, neq; etiam hæredibus iam ſuprà dictũ eſt, vbi etiam de illius regulæ Exceptionibus.

10. D. *An etiam interdictum, vti poſſidetis & vnde vi datur vaſallo contra dominum?*

M. De interdicto quidem, vti poſſidetis, nemo dubitat, quin detur. Sed de interdicto vnde vi, diſſentiunt Dd. Et Canoniſtæ quidem ad *c. cæterum. 5. Ext. de iudicijs,* volunt, non dari, argumento liberti, cui ſimiliter hoc interdictum denegatur aduerſus patronum; quia ſuggillat verecundiam patronalem, *l. 2. D. de vi & vi arm. iuncta l. 7. liberto. D. de obſequiis, & l. tum adfirmes. Cod. de liberali cauſa, & §. ſi verò vaſallus, tit. 22. libr. 2.* eamque communem & veriorem ſententiam eſſe atteſtatur *Zaſius p. 11. n. 23.* ſed alii diſſentiunt, ac putant, vaſallo deiecto contra dominum ſpoliatorem dari interdictum

vnde

vnde vi: quos referunt & ſequuntur *Frideric. Schenck. ad d.§.ſi verò vaſall.& Borcholdus c.9.n.18.* qui & rationē elegantem reddit *ibid. num.ſeq.* Denique & *Giphanius in tract. feud. Cuiac.* quoq; pro hac ſententia (in qua eſt etiam *Ant. Cont.*) adlegat *Vincent. in Spec. doctrinali.* Accedit & illa ratio, quia vaſallus ex tali cauſa etiam agere poſſet contrà dominum ad priuationem proprietatis: nam & iure ciuili amittit quis dominium rei ſuæ, quam alteri per vim eripit, vt docui ad §. 1. *Inſtit. De vi bon.rapt.* Cur ergò ipſi denegetur id, quod minus eſt, nēpè interdictum recuperandæ poſſeſſionis, cū permittatur ei, quod plus eſt, nēpè actio ad priuationē dominii? Non debet enim cui plus licet, etiā quod minus eſt non licere. De eo tantū inter aliquos ambigitur, vtrū directò hoc interdictū proponi poſſit contra dominū, an verò in factū tēperari debeat, omiſſa ſc. mentione violentiæ, in quā ſententiā inclinat *Zaſ. d p.11.n.24.* de quo vide plures adlegatos à *Roſen. c.10.concl.32.& c.12.cõcl.3.*

11. D. *Quomodo prætereà vaſallus contrà dominum agere poterit?*

M. Si à domino turbetur in poſſeſſione feudi, aut ſi indebita atq; inſolita ſeruitia exigantur, aut ſi crudeliter ipſi eiusve ſubditi ab eo tractentur: poterit querelā proponere contrà dominū apud ſuperiorē, eiusq; officiū implorare, vt domino mandet deſiſtere à vexationibus & iniquis exactionib. malaq; tractatione: quod multis auctoritatib. probat *Roſent. c.12. concl. 4.* & adtingit etiam *Gibb. c. vlt. de feud.* Sanè cum iure ciuili præfectus vrbi, itemq; procōſul aut præſes prouinciæ querelas ſeruorum de ſæuitia dominorū audire ſolitus ſit, vt conſtat ex *l. 1.§.1 & §. Quod autem dictum. D. de offic. præf. vrb. l. 2. D. de his qui ſunt ſui vel al. iur. & ex §. ſed & maior aſperitas Inſtit. eod.* multò magis quis de vaſallorum aduerſus dominos querelis hoc idem dixerit, cum longe plus domino in ſeruum licuerit, quàm ſeniori in vaſallū. Præſcribitur tamē hic ordo in §. *vlt. t.22. libr. 2. feud.* vt curia prius adeat dominum pro vaſallo, & reuerenter admoneat, vt velit deſiſtere, & tum demum ſi ter admonitus adhuc pergat, adeat vaſallus maiorem poteſtatem, ſi fortè curia ob nimiam domini potentiā

non haberet eum in poteſtate ſua, vel ſi dominus velit ſe ſubmittere iudicio parium curiæ: vt ibidem explicat *gl. in verbo, maiorem.*

12. D. *Nullum ne aliud remedium præter actionem modò dictam, & interdicta, quæ inſtar actionis obtinent, & querelam malæ tractationis, de quibus hactenus, domino competit?*

M. Faciunt etiam feudiſtæ mentionem remedii deprædationis, vt ſcilicet vaſallus dominum iuſtitiam facere nolentem, ſiue qui malo more atque ordine, ſiue per vim occupauit feudum, nec reſtituit vaſallo poſt tertiam admonitionem, & querelam de eo apud pares curiæ, vel ſuperiorem poteſtatem inſtitutam poſſit deprædari bonaque eius diripere, & impunè in eum graſſari, nimirum quaſi quadam lege talionis, *d. §. vlt.* & ibi communiter omnes interpretes, & *Cuiac. tit.* 22. *lib.* 2. Et hoc quidem more vaſallos in Hiſpania vti ſolere teſtatur *Andr. de Iſern.* qui eſt caſus notabilis in hoc iure, quo licet alicui ſibi ipſi ius dicere, ſeque ſine iudice vindicare, quod alioqui regulariter prohibitum eſt, *l. Nullus.* 14. *C. de Iudæis, tot. tit. C. Ne quis in ſua cauſa iudicet, vel ius ſibi dicat.* Eleganter quoque *Caſſiodorus li.* 4. *vari. formular.* 10. Legum, inquit, reperta eſt via & ſacra reuerentia, vt nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu. Quid enim à bellicâ confuſione pax tranquilla diſtabit, ſi per vim litigia terminentur? Et ex perſonâ Imp. Friderici ait Guntherus lib. 8. Ligurini:

Iudicis officio ſua cuncti iura ſequantur.
Contineantq; manum.———

Hotom. tamen in *comment. Feud.* (nec fortaſſis immeritò) barbaricum hoc vocat inſtitutum & abhorrens à iure ciuili, quo coërcitio atque executio non committitur priuatis hominibus in ſuamet cauſa, ſed potius manui militari ſiue adparitoribus & officialibus magiſtratuum & iudicum, *l. Qui reſtituere.* 68. *D. de rei vindic. l.* 3. *in fin. pr. D. Ne vis fiat ei qui in poſſeſſ. mittitur.* Quocirca etiam Accurſius text. ſupra d. ita limitat, vt tunc demum licita ac permiſſa ſit vaſallo deprædatio domini, ſi is propter contumaciam ſuam bannitus ſit, quo caſu vnicuiq; licet impunè eum offendere, nedum vaſallo

vaſallo iniuſtitiam paſſo, vide *gl. in verbo, depradari, d.t.* 22. quę tamen limitatio communiter ab aliis interpretibus reprobatur, & deprædatio illa vniuersè admittitur. Cui ſimile eſt, quod etiam vaſalli res eius qui rebellis & contumax eſſe perſeuerat, direptioni adiudicantur, ſicut ex Radeuico & Gunthero adnotauit *Cuiac. ad fin. tit. vltim. libr. 2. feud.* ſimile quoque eſt quod infra recitabo de manus iniectione, quam Gallorum iura permittunt domino.

13. D. *Poſt expoſita iuris remedia quibus vaſallo aduerſus dominum conſulitur, proximum eſt vt dicas de actionibus quas habet aduerſus extraneos vel poſſeſſores vel turbatores feudi?*

M. Hic ferè non eſt opus noua explicatione. poſſunt enim ſufficere quæ ante dicta ſunt de vtili rei vindicatione aduerſus quemlibet poſſeſſorem feudi, vaſallo competente: item, quæ de confeſſoria & negatoria ratione ſeruitutum feudo debitarum; denique de interdictis, vti poſſidetis, & vnde vi; quorum illud eſt retinendæ, hoc recuperandæ poſſeſſionis. Hæc enim omnia remedia cum dentur vaſallo aduerſus dominum, ſicut dari diximus, multò magis aduerſus extraneum eidem dabuntur, vt quiuis facilè intelligit. Tantum hoc dicam ex interpretibus, ſi vaſallus non immediatè à domino rem feudalem ipſius conceſſione adquiſierit, ſed per præſcriptionem, & quidem bonafide cœptam: contra extraneum quidem habere ipſum & actionem & exceptionem, contra dominum verò exceptionem duntaxat, non etiam actionem, *arg. l. pen. C. de præſcript. 30. ann.* Si verò poſſeſſionem rei amiſerit ante impleta iuſta tempora ad præſcriptionem neceſſaria, huic alii quidem dant actionem in factum. *arg. l. 14. ſi colonum. C. de agricol. & cenſit. lib.* 11. (quæ tamen lex non multum ad rem facit) Alii putant iudicis officio hanc controuerſiam dirimendam finiendamque. *arg. l. 2. D. de extraord. cognit.* habet etiam vaſallus de feudo per dominum abſq; ipſius conſenſu alienato actionem aduerſus eum, in quem facta eſt alienatio: quæ qualia ſint, ex ſupra dictis facile cognoſces.

14. D. *Domino quæ nam actiones dentur feudi nomine?*

M. Quædam in ipſum vaſallum, quædam in extraneos ei competunt. Et primò quidem in vaſallum iſtę. Primum, condictio cauſa dati cauſa non ſecuta, quæ proponitur ad repetēdum feudum, ſi vaſallus domino ſuo petenti ſeruire noluerit, ita expreſſus eſt textus in *c. ſancimus, tit. 21. libr. 1. feud. De feudo ſine culpa non amit.* vbi communiter feudiſtæ, & *Ant. Contius cap. 13. in methodo de feud.* Quanquam enim feudum eſt beneficium, *§. vltim. tit. 23. libri ſecundi.* tamen in eo non verſatur mera & abſoluta liberalitas, ſed negocium quoddam continetur: datur enim certa quadam lege, & ob cauſam, nempè hanc vt vaſallus domino præſtet ſeruitia, vt ſit ipſi fidelis, *d. §. vlt. tit. 23. & §. ſed non eſt alia, tit. 24. lib. 2.* & copioſè explicatum eſt ſupra. Si igitur hæc cauſa ob quam feudum datum eſt, non ſequatur ex parte vaſalli, non eſt mirum quod domino aduerſus eum competat iſta ſpecies condictionis. *tot. titul. D. de condiction. cauſ. dat. cauſ. non ſecuta; & tit. Cod. de condict. ob cauſam datorum.* cuius fundamentum æquè poſitum eſt in ipſa naturali æquitate, vt condictionis indebiti, itemque ſine cauſſa. nam ſi à me tibi quid datum ſit ob cauſam (vt aliquid fieret) & per te ſteterit, quo minus illa cauſſa ſequatur, iam id quod dedi, apud te eſſe incipit ſine cauſſa & indebitum eſſe. Repeti ergo poteſt, ne videlicet contra naturalem æquitatem, contra æquum & bonum tu locupleteris cū meo damno. *l. nam hoc natura, D. de condictione indebiti.* Ideoq; Græcus interpres Stephanus adnotauit, condictionem indebiti eſſe generalem; reliquas vero ſpeciales: quod probat & *Cuiacius in Paratit. Cod. de condict. ob cauſam.* Porrò hanc actionem putant interpretes dari nō tantùm eo caſu, quo vaſallus denegauit ſeruitiorum præſtationem, verum etiam quando culpam aliquā commiſit, quæ priuationem feudi promereatur. Ita d. textum *tit. 21.* accipit *Duarenus cap. 19. in commēt. de feud. & Borchold. in cap. 9. num. 22.* vbi tamen Duarenū non adlegat. Secundo, habet dominus cōdictionē ex lege, ſi ſeruitia non ſint expreſſa: vt vult Duarenus *d. cap. n. 1.*

Tertio

Tertio datur etiam domino actio præſcriptis verbis, ſi fortè malit vrgere & exigere ſeruitia à vaſallo, relicto penes ipſum feudo, quàm illud reuocare. Ita *Cuiac. in proœmio feud. propè finem*. Eſt enim feudum fere negocium ſiue contractus, *do vt facias*. Ex quo genere actionem præſcriptis verbis naſci conſtat *l. 8. & paſſim, D. de præſcriptis verbis, l. 6. C. de rerum permutat.* Giphanius putat vtilem operarum actionem hîc habere locum *arg. l. 1. D. de bonis libert. & l. 2. D. de op. libert.* Quartò, datur domino & actio ex ſtipulatu ad exhibenda à vaſallo ſeruitia, ſi ea ſtipulatus ſit: quod quidem dubitationem nullam habet. *Duarenus d. cap. 19. num.* 1. *gloſſ. in §. vltim. tit. 51. libri ſecundi.* Quintò habet etiam dominus actionem proficiſcentem ex illo ipſo cōtractu bonæfidei, ex quo feudum primò eſt conſtitutum, ſi pacta aliqua in continenti adiecta ſint. hæc enim ineſſe dicuntur ipſi contractui & formare actionem inde deſcendentem, *l. 7. §. quinimo, D. de pact. l. 75. Qui fundum, & l. 79. fundi. D. de contr. empt. l. ſi ſterilis, 21. D. de action. empti. l. 4. D. de lege commiſſ.* Sextò habet dominus directam rei vindicationem, ſicut vaſallo vtilē adcommodari ſupra audiuiſti, ex *§. rei autem, tit. 8. libr.* 2. & de rei vindicatione domino competente eſt *textus in §. ſi vero vaſallus, in verbis: rem ſuam petat, tit. 2. lib. 2. & gl. ad init. tit.* 42. vbi etiam Aluarottus & alii interpretes, item ad *§. ſed non eſt alia, tit. 24. Duar. d. cap.* 19. vbi ait, hoc eſſe ex iure communi, id eſt, ciuili. Quanquam *d. § ſi vero vaſallus*, rei vindicationem det domino, non quaſi de feudo, ſed tanquam de re propria, quam negat in feudum datam eſſe, vaſallo licet hoc contendente. Illud certum eſt, ſeniorem retinere proprietatē, ſiue vt vulgari voce vtar, *directum dominium* rei in feudū conceſſæ. *§. vltim. tit. 23. lib.* 2. ſicut & hoc non minus eſt certū, quod ex dominio tanquam ex cauſa naſcatur rei vindicatio, *l. in rem actio 23. in pr. D. de rei vindicatio.* & quin hanc poſſit dominus contra extraneum poſſeſſorem feudi inſtituere, etiam extra dubitationem eſt, eo quoque caſu, quando vaſallus agere non poteſt, aut non vult, vt multis auctoritatibus Dd. probat *Henric. Roſenthal. capite duodecimo in ſynopſi feud. concl.* 5. Tetari ta-

men poſſet, aduerſus vaſallum, quam diu is nihil priuatione feudi dignum commiſit, neque domino proprietatem interuertere, ſibiq; cauſam poſſeſſionis ſuæ contra regulas iuris mutare conatus non eſt, domino hanc actionem non dari;ſed ſubmoueri eum hac exceptione, *Niſi ipſe ius feudi in illa re habeat.* Quod vel inde ſatis liquet; quia ſi dominus & vaſallus concurrant in re feudali ab aliquo tertio vindicandâ, vaſallus in ſua vtili rei vindicatione præfertur domino directam inſtituere volenti, vt ſupra probaui ex *Hart. Hartm. tit. de feud. obſeru.* 13. & pluribus docet *Roſenth. d. concluſ.* 5. *& Schraderus p.* 9. *cap.* 7. *num.* 81. Hinc etiam Dd. qui rei vindicationem domino feudi tribuunt contra vaſallum, de eo tantum caſu loquuntur, quando vaſallus feloniâ vel culpâ feudum amiſit, vt videre eſt apud *Aluarott. Bald. Præpoſ. & alios ad §. ſed non eſt alia, tit.* 24. *& ad tit.* 42. *lib.* 2. *feud.* vbi tamen diſtinguunt inter eos caſus, quibus ipſo iure feudum à vaſallo commiſſum ſit, & eos quibus non, vt etiam adnotat *Mozz. cap.* 8. *de feud. n.* 9. quamuis alii indiſtinctè rei vindicationem ipſi tribuant, vt docet *Roſenthal. concluſ.* 7. *d. cap.* 12. Tutius tamen eſſe domino vt dictet condictionem ex lege, ſiue ex moribus quàm rei vindicationem inſtituat, plerique fatentur: quia in hac neceſſaria ſit probatio dominii, *d. l.* 23. *D. de rei vindic.* quæ difficilis eſſe ſolet. *argum. l. is qui deſtinauit* 74. *D. eod.* vide *Frid. Schenck. ad d. tit.* 42. *& Mozz. d. cap.* 8. *num.* 10. pro rei vindicatione etiam dāt Interpretes publicianam actionem: ob eandem rationem; quia in hac facilius quis obtinere poſſit, quàm in illa, *Roſenthal. d. loco concluſ.* 7. Cæterum quod dixi ex *text. feud. tit.* 21. *l.* 1. & communis Dd. ſententia, domino dari condictionem ob cauſam dati cauſa non ſecuta: id reprehendit Giphanius *cap. vltim. in tract. feud.* tanquam repugnans rationi iuris. Negat enim feudum principaliter dari ob cauſam, aut certè ob talem cauſam, ex qua detur iſta condictio, ſed ob operam militarem. Deinde ait cōdictionem illam non dari domino: nemo enim rem ſuam (niſi furtiuam) cōdicit, id eſt, ſibi dari oportere rectè intendit, cum iam ante dominium ipſius habeat, nec amplius dominus

eiusdem

eiusdem rei fieri poſſit: vt meminiſti ex *tit. Inſtit. de Actionibus*, ideoque putat ipſe potius ex principiis iuris dandam actionem Ingrati, ſicut ea datur patrono, & donatori aduerſus libertum & donatorium ingratos. Sed illi obiectioni de condictione, quod nõ detur domino, reſpondet *Borchold.c.9.n.* 23. Eadem quippe ratione, qua odio furum receptum eſt, vt pluribus actionibus teneantur, nempè & rei vindicatione, & condictione furtiua, & actione furti, *§. vlt. Inſtit. de furtis, §. ſic, verſic. plane itaque, Inſtit. De actionibus.* Ita & hîc odio vaſallorum perfidorum atque ingratorum fieri. Alii putant, dominum condicere poſſeſſionem rei feudalis, quod voluit *gloſſa ad d. tit.* 42. eamq; ſententiam ſequuntur *Duarenus cap.19.num.3. & Henric. Roſenthal. concluſ.*8.

15. D. *An non etiam præiudiciales actiones domino aduerſus vaſallum dantur?*

M. Negant quidem hoc *Ioan. Faber, Iaſon, Zaſius, Schneidevvin. & alii ad §. præiudiciales, Inſtit. de Actionibus*, ideo nempè, quia perſona vaſalli non ſit affecta vel obligata, ſed res. Præiudiciales autem actiones tunc dentur, quando perſona alicui obnoxia eſſe dicitur, quando, inquam, de ſtatu hominis agitur; vt, an aliquis ſit filius an ſeruus, an libertus alicuius: vt dicto loco ad *Inſtit.* audiuiſti. Speculator tamen in *titul. de feud. §. vlt. num. 4. & Bald. ad § item qui dominum, verſic. porrò tit.24. libr.* 2. volunt, dari vtilem actionem præiudicialem, quorum ſententiam refert & ſequitur etiam *Giphanius*, hac ratione; quia feudum non ſolum rem, ſed perſonam quoque vaſalli afficiat: vnde etiam multis in rebus vaſallus cum liberto comparari ſolet, vt docet *Nic. Eberhard. in Top. in loco à liberto ad vaſallum.* Quare ſit hæc ſeptima actio, vel etiam octaua, ſi adnumeres publicianam inter illas quæ domino aduerſus vaſallum dantur. Vltimũ remedium domino competens moribus Gallorum partim eſt manus iniectio in ipſum feudum; & quidem magis expedit domino manus iniicere feudo, ſi vaſallus non praſtet ea, quæ debet, quàm actionem intentare. *Arg. l. Plus cautionis, De R.I.* Hac de re vide *Ant. Cont. c.8. vlt. in meth. de feud.*

16. D. *Quomodo dominus aduerſus extraneos agit?*

M. Primo actionem in rem, ſiue rei vindicationem directã habet aduerſus extraneum feudi poſſeſſorem, ſi fortè vaſallus vel nolit & negligat, vel non poſſit inſtituere vtilem rei vindicationẽ, quam ipſi dari paulò antèdixi; vel ſi ipſe vaſallus alienauerit feudũ in ipſum; ita tradiderunt *Aluarot. Iſern. Præpoſit. Matth. de Afflictis & alii:* quos etiam adlegat *Henric. Roſenth. d. cap. 12. concluſ. 5.* non enim debet domino nocere vel impotentia, vel negligentia, vel etiam malitia vaſalli agere ceſſantis. *argum. l. vlt. in verbis, ne ex aliena malignitate alienum damnum emergat. C. de adquir. & retinend. poſſ.* cum ſimilibus. De alienatione autem, eam ſine conſenſu domini factam pro infecta habendam eſſe, ſatis dictum eſt ſupra. Si verò vaſallus ipſe agere velit, in concurſu præferri debet ipſius vtilis actio directę domini, vt & modò dictum. Secundo habet dominus condictionẽ ex lege, id eſt, ex conſtitutione Frid. I. quæ incipit, *Imperialem. tit. 55. lib.* 2. ad reuocandum à quocunq; poſſeſſore feudũ ſe inuito alienatum à vaſallo. *arg. l. vlt. C. de reuocand. donationib.* Et quidem hãc actionem omnium cõmodiſſimam atq; vtiliſſimã eſſe interpretes vno ore conſentiunt, teſte *Oldendorpio in claſſe actionum, t. de actionib. beneficiariis, ſub rubrica, Adfinia remedia*: & plures allegat *Roſenthal. concluſ. 9. d cap. 12.* Tertiò dant etiam domino ad reuocandã poſſeſſionẽ feudi à vaſallo ſibi interuerſam condictionẽ ex lege, ex lib. Sabini, quæ eſt *lex vlt. C. de adquir. poſſ.* ita voluit *gl. ad d. t. 42. in verbo, agente*; quam ſequitur præter alios *Oldendorp. ſub iam d. rubrica.*

17. D. *An etiam interdicta pro feudo domino adcommodantur?*

M. De interdictis vaſallo dandis ſupra audiuiſti. At de interdictis domino dandis, res eſt magis controuerſa. alii. n. aiunt, alii negant. Qui aiunt, hoc nituntur fundamento; quia dominus ſemper retineat poſſeſſionem feudi ciuilem vaſallo naturaliter id poſſidente. Itaque retinendæ vel recuperandæ illius poſſeſſionis ſuæ cauſa æquum eſſe putant, dari ipſi etiam remedia poſſeſſoria: verbi gratia, Interdictum, vti poſſidetis, &

vnde vi. ita *Schneidevvin.* §. *retinendæ.* in explicatione interdicti, *vti poſſidetis. num.* 14. *Inſtit. De interdictis*, & latiùs *Duarenus cap.* 19. *de feud. num.* 6. *Eguinarius Baro libro quarto, De beneficiis. cap.* 7. *Hanneton. libr.* 4. *de feud. cap.* 2. *Roſenth. concluſ.* 6. *d. cap.* 12. *Iohan. Blancus libr.* 4. *cap.* 1. *num.* 68. *& ſeqq.* Sed verior mihi videtur negatiua ſententia, Domino, inquam nõ dari interdicta, ſed vaſallo tantum. Moueor hac ratione; quia feudũ poſſidet vaſallus, nõ dominus, qui omnẽ poſſeſſionem rei feudalis à ſe in vaſallũ transtulit, vt habetur *lib.* 1. *feud. tit.* 3. *&* 4. *& t.* 7. *lib.* 2. *&* §. *vlt. tit.* 8. *cum* §. *ſi facta. tit.* 26. quibus in locis nihil additur de ciuili poſſeſſione, quã ſibi retinuerit dominus, cũ feudum alteri concederet. Vt iam nihil dicã de lubrico illotum fundamento, qui volunt duos eandẽ rem poſſidere; vnum naturaliter, & alterũ ciuiliter. Pro hac parte ſtant *Borch. c.* 9. *n.* 26. *in fin. Henr. Boccrus claſſ.* 4. *diſp.* 18. *n.* 16. *&* 2. *ſeqq.* Item *Giphanius part. vlt. de feud.*

18. D. *Fateor dominum non poſſidere feudum, ſed tamen negari non poteſt, quin quaſi poſſeſſionem habeat iuris exigendi percipiendiq; à vaſallo ſeruitia ſibi debita, vel etiã aliquando præſtationem ſiue penſionem annuam. Quid igitur ſi in hac quaſi poſſeſſione à vaſallo aut extraneo turbetur, an non interdicto experiri poterit?*

M. Immo potius alias actiones habebit: contra vaſallum quidẽ condictionem cauſa dati cauſa non ſecuta, actionẽ præſcriptis verbis, vel ex ſtipulatu, vel condictionẽ ex lege; vel, vt interpretes volũt, ex morib. de quibus ſupradictũ: contra extraneũ verò poterit agere iniuriarũ: hæc. n. actio datur nobis aduerſus omnes, a quibus rẽ noſtrã vel iure vti prohibemur. *l.* 13. §. *vlt. in verſ. aut ſi quis rẽ meã, l.* 15. *itẽ apud,* §. *ſi quis bona,* 31. *& l.* 74. *ſi quis proprium, D. de iniuriis*, *cũ ſimilib. per Godofr. adnotatis ad d.* §. *vlt.* Nõ eſt igitur quod moreris illã diſtinctionẽ Dd. inter præſtationẽ realẽ, & perſonalẽ domino debitã, vt illius nomine dominus turbatꝰ vel deiectus habeat interdictum; huius non item, niſi ex ſententia Canoniſtarum. de quo vide *Menoch. remed.* 1. *recuperandæ poſſeſſionis, n.* 87. *Matth. de Afflictis deciſ.* 395. *& Borchold. c.* 9. *n.* 27. *cum aliquot ſeqq.*

19. D. *Reſtat vt exponas de actionibus quæ liberis & adgnatis vaſalli pro feudo competunt?*

M. Primum ſi dominus inueſtituram feudi ipſis aperti deneget, poſſunt eum cogere ad inueſtiturã implorato iudicis officio, vt docet *Pariſius Card. conſil.* 28. *in pr. vol.* 1. *Andr. Tiraquell. lib.* 1. *de retractu in præfatione, n.* 41. *cum ſeq. & Molinæus in additionibus ad Alex. conſ.* 80. *n.* 11. *libr.* 1. vel etiam poterunt contra eum agere ad priuationem proprietatis quam denegando inueſtituram amiſit, vt ſupra dictum. Sic etiam ob alias cauſas, verbi gratia; ob delicta & feloniam, ſi dominus proprietatẽ amiſerit, liberis & adgnatis contra eum actio dabitur. Porrò diſtinguendum eſt hoc loco inter feudum alienatum à vaſallo illicitè, & alias ob cauſas amiſſum. Si vaſallus feudum alienauerit, ſine conſenſu eorum quorum intereſt, ſiue quibus ex inueſtitura prima ius quæſitum eſt, hi aduerſus emptorem agere poſſunt ad reuocandum reſtituendumque feudum. §. *Titius filios, tit.* 26. *lib.* 2. *iuncto tit.* 15. *cod. libr. &* §. *prætereà, tit.* 5. *libr.* 1. à contrario ſenſu eius §. nec intereſt, ſiue in extraneum alienatio facta fuerit, ſiue remotiori alicui adgnato refutatum ſit feudum: (nam & hęc pro alienatione habenda eſt, vt ſup. d.) ſiue deniquè in filiam translatum, vt habet *tit.* 39. *lib.* 2. *feud.* & ibi præter cæteros *Hotom. & Cuiac.* Sed quo ad tempus, intra quod illa reuocatio permittitur, nonnulla eſt differentia inter extraneum & remotiorem adgnatum (*extraneum* hîc vocamus eum qui nõ eſt cõprehenſus in prima feudi inueſtitura, quantũuis alias fortè adgnatus ſit) nã ſi feudum fuerit alienatum in extraneũ, ius reuocandi cõpetens filio vel adgnato proximiori durat ad 30. annos; ſin autem in remotiorem adgnatũ, ad annum duntaxat, quo elapſo iam præſcriptum eſt. *textus gl. & Dd. in d.* §. *Titius filios, t.* 36. *libr.* 2. eamque communem opinionem eſſe copioſè probat *Hen. Roſenth. c.* 9. *concl.* 124. *& ſeq.* Ratio diuerſitatis eſt aperta, quia plus iuris habet ad feudum agnatus aliquis, licèt remotior, qui propinquiorib. è medio ſublatis poteſt ipſe quoq; aliquãdo fieri proximus. At extraneus planè nihil iuris habet neq; in re, neq; in ſpe, ideoq; non mirũ ſi citius

præſcri-

præſcriptione muniatur adgnatus contra reuocationem feudi, quàm extraneus: ille quidem annali, hic autem tricennali. Aliam tamen rationem adſignat *Iul. Clar. quæſtione quadrageſimoquarto, §. feud. numero vndecimo:* nempe, quia vaſallus intra tempus anni teneatur petere à domino inueſtituram; quam non petierit debito tempore, nec feudum reuocarit, meritò poſteà à feudo excludatur. Quę ratio mihi non ſatis idonea videtur, cum idē dici poſſit de inueſtitura intra annū & diem petenda etiam tunc, quando feudū in extraneum fuerit alienatum. Obſeruabis deinde etiam differentiā inter alienationē feudi licitam & illicitam, itemq; inter filiū & adgnatos reuocare volētes. Voco *licitam alienationē*, quæ fit cū conſenſu domini, aut alias iure aut ſtatuto permittente. In alienatione illicita poteſt indiſtinctè fieri reuocatio, etiā non refuſo pretio, & viuo adhuc alienatore. Et quidē hoc caſu adgnati præferentur ipſi filio eumq; excludent. Sin alienatio fuerit licita, filius quidē qui iam adgnatis prępfertur, etiā viuo patre alienatore poteſt feudum reuocare, ſed refuſo pretio. Agnati autē proximi (ſi fortè nō adſit filius, aut non velit reuocare) expectare debent mortem alienantis, & tum demum reuocare poterunt ſine refuſione pretii, qua de re vide *Henric. Roſenth. d. c. 9. concluſ. 126. & plurimos Dd. ibi adlegatos, item Iul. Clar. d. quæſt. 42. n.* 8. Ratio differentiæ, quare filius reuocans feudum cogatur reſtituere pretium emptori, cum adgnati admittantur ſine refuſione pretii, hæc reddi ſolet; quia adgnati pro illo onere, quod coguntur expectare mortē alienantis, meritò ſint ſubleuandi altero illo onere refuſionis pretii. Filius verò in vno ſubleuatus, (nēpe quod poteſt ſtatim etiā viuo patre qui alienauit, reuocare) in altero grauatur dū cogitur reſtituere pretiū. Eſt enim regula brocardica: *In vno grauatus in altero debet releuari*; & contrà, *in vno releuatus, debet in altero grauari*, vt docet *Specul. in tit. de teſte*: §. 1. *verſic. ſed quid ſi vaſallus.* redditur & hæc ratio a *Iul. Claro d. quæſt. 42. numero 7.* quia non ſit æquum vt adgnatus ad quem feudum in omnem caſum ex prouidentia primi adquirentis deuoluetur, ſuam rem prius emere tenea-

tur; ſed qui minus idē valeat etiā in perſona filii reuocātis? Cur, inquā, is renumerabit pretiū, atque ita rem ſuam emere tenebitur præ adgnato. Verius igitur eſt, vix poſſe aliquam cōcludentē rationem adſignari, niſi quia receptum ſit vetuſtis feudorū morib. vt rectè idem Clar. fatetur *n.8. in fin. d. quæſt.*

20. D. *Quid ſi filius non reuocarit feudum viuo patre, ſed maluerit expectare ciuilitatis cauſa mortem patris: aut ſi adgnati contrà nolint tàm diu expectare, ſed ſtatim reuocare etiam viuo alienante?*

M. Hoc caſu filius quidem non cogitur pretiū reddere; adgnati autem reddent. *Mynſinger. cent. 4. obſeru. 85. Roſenthal. d. cap. 9. concluſ.* 127. ſed tunc neceſſe eſt, vt filius non ſit heres patris. Nam ſi heres fuerit, non poterit contrauenire facto defuncti. *arg. l. cum à matre* 14. *C. de rei vindic. cum ſimilib.* Addūt quidam exceptionem, niſi cum beneficio inuentarii filius hereditatem adierit. Quod tamen alii (vt inprimis *Hart. Piſt.*) reiiciunt. Sed quod de adgnato remotiore dictum eſt, poſſe ab eo feudū reuocari per proximiorē, id à iure & moribus Gallorum & aliarum quarumdā gentium diſcrepat, teſte *Cuiac. ad tit. 19. lib. 4. feud. id eſt, ad d. §. Titius filios*, vbi & rationem ex quorundam ſententia reddit, quare apud ipſos adgnatus contra adgnatum non vtitur iure *προτιμήσεως*, quia ſcilicet ius hoc introductū ſit, ne res de familia exeat. Hæc autem ratio ceſſet in adgnatis. Nam res licèt in remotiorē aliquem ex agnatis tranſlata, tamen remanet in familia; ceſſante igitur hac ratione, meritò ipſum ius ceſſabit, arg. eorum quæ tradit *Nicol. Eberh. in Top. in loco à ratione legis ceſſante.* ſed ipſe poſtea aliam rationem ex ſuo ſenſu reddidit; nempè, quia honeſtum ſit & conueniens, vt agnatus qui tantundem offert extraneo, præferatur, & coniunctior atque proximior remotiori: qui tamen inanis color honeſtatis & velum graui iniuriæ obtentum dicitur ab Impp. in *l. Dudum*, 14. *Cod. de contrah. empt.*

21. D. *Dixiſti de feudo per alienationē aperto, quemodo, quando & quādiu per adgnatos reuocari poſſit. Quid autē ſi culpam aliquam vaſallus in extraneū admiſerit, ob quā feudo priuandus ſit?*

M. Tunc

M. Tunc adgnati proximi ſtatim id reuocare poterũt, vt docet *Hart. Piſt. libr. 2. quæſt.* 15. quæ tamẽ facultas reuocandi 30. annis præſcribitur, vt prolixè oſtendit *Roſenth. cap.* 10. *concluſ.* 92.

22. D. *Quid ſi adgnatus proximior ſuo iure in reuocãdo vti nolit, aut non poſſit, quia ſcilicet conſenſerit in alienationem, poteritne remotior ad reuocationem admitti?*

M. Quamuis id nonnulli negent, vt *Hartm. Piſtor. quæſt.* 11. *num.* 65. *cum ſeqq.* tamen verior eſt ſententia communis aliorum, qui remotiorem hoc caſu admittunt: *arg. §. ſed etiã, tit.* 3. *lib.* 2. *& ibi Hotom.* vide & *Schrad. p.* 1. *quæſt.* 3. *n.* 14.

23. D. *Sed qua nam actione adgnati vtentur ad reuocationem feudi?*

M. Vel condictione ex lege, vel rei vindicatione, de quibus actionibus ſupra ſatis dictum, quæ huc repeti poſſunt. Docebit autem is qui reuocare vult cum primis hæc duo: primum, ſe eſſe proximum adgnatum, qui ex vigore primæ inueſtituræ ius in feudo habeat. Secundò, feudum, de quo agitur, ſibi apertum eſſe per aliquem ex ſupradictis modis. Quibus probatis, haud dubiè victoriam reportabit.

24. D. *Reſtant nonnullæ quæſtiones de actionibus & remediis iuris, quæ pro feudo competunt, vel certè ab aliquibus competere exiſtimantur, de quibus, cum adhuc nihil dictum ſit, quæram ordine quid ſentias, priusquam ad alia transeamus. Et primum quidem, datur ne vaſallo noui operis nuntiatio pro feudo?*

M. Si quis in feudo ędificare vel opus facere attentarit, cum ei ius non eſſet, poterit vaſallus ſuo quoque nomine nouum opus ipſi nuntiare, & illam extructionem inhibere, vel etiam cogere eum ad tollendum. Nam cum hoc poſſit emphyteuta, & ſuperficiarius, vt eſt in *l.* 3. *§. pen. D. de oper. noui nunt. & apud Cuiac. libr.* 1. *obſeru. cap.* 16. non debet quoq; denegari vaſallo, qui nõ minꝰ iuris in re feudali habet, quã vel emphyteuta in agro vectigali ſeu prędio emphyteutico, vel ſuperficiariꝰ in ſuperficie ſua: qua in re differt vaſallus ab vſufructuario. nam hic non ſuo, ſed tantum procuratorio &

domini nomine nouum opus nunciare poteſt. *l.1.§.vlt. D. eod. tit. De operis nou. nunt.* Quod ſi vaſallus hac in re ceſſet, licebit id facere domino feudi, cuius etiam res agitur, arg. eorum quæ ſupra dicta ſunt, de actionibus.

25. D. *Qui abuſiue tantum de feudo inueſtitus eſt, nec vnquam poſſeſſionem eius nactus, proindeque nec dominium, quod ex naturali poſſeſſione cepit, vt aiebat Nerua filius, teſte Paullo in l.1.§.1. D. de adquir. poſſ. habebitne aliquam actionem aduerſus tertium poſſeſſorem?*

M. Nullam prorſus; quod probo ex ſufficienti enumeratione, quod eſt argumentũ in iure validum: Si.n. aliquod remediũ contra ipſum haberet, id eſſet, vel actio in perſonam, vel actio in rẽ, ſiue rei vindicatio, vel deniq; eſſet interdictum. atqui nihil horum ipſi competit. Non actio in perſonam; quia hæc non datur, niſi aduerſus eum, cum quo contraximus eiusve herede: Quod de tertio illo dici non poteſt; cum contractus inueſtituræ tantũ inter vaſallum & dominum celebratus ſit, qui tertium illum nihil attingit, tanquam ſcilicet res inter alios acta, quæ aliis neq; nocet, neq; prodeſt. Nõ etiam actio in rem; quia hæc præſupponit dominium, *l.23. in rem actio, D. de rei vind.* dominium vero non transfertur pactis vel contractibus, ſed traditionibus & vſucapionibus, *l.20. C. de pactis cum ſimilibus.* Ponimus autem feudum traditum vaſallo fuiſſe: non deniq; interdictum aliquod dari poteſt ſiue adipiſcẽdæ, ſiue retinendæ, ſiue recuperandæ. Non adipiſcendæ, quia nulla ſpecies huius generis his quadrare poteſt: non quorum bonorum, non quod legatorum; nõ ex *l. vlt. C. de edict. D. Hadri. tollendo*, non deniq; Saluianum interdictum, quæ omnia per ſe nimis quàm manifeſta ſunt ex ipſa deſcriptione ſingularum ſpecierũ. Non retinendæ aut recuperandæ, quia huius generis interdicta nõ dantur niſi illis, qui poſſeſſionem nacti ſunt, & nihil adhuc habent vel habuerũt, quorũ nihil de noſtro illo vaſallo dici poteſt. Ex quo efficitur, neq; actionẽ neq; interdictum vllum ei dari poſſe: vt valde mirer extitiſſe, quib. in mentẽ venire potuerit de interdicto aliquo adipiſcendę ipſi adcõmodando: cuius ſententiæ

tentiæ auctores recitat *Schraderus p. 2.c.5.n.28.* Verior eſt igitur ſentẽtia *Andr.de Iſernia in præludiis feud.quæſt. 6.& Hart.ac Modeſt.Piſtoris lib.2.quæſt.20.* Ex inueſtitura abuſiua nullum ius in re oriri, nullam etiam actionem reuocatoriam contra tertium feudi poſſeſſorem ſic inueſtito competere poſſe.

26. D. *Quonam igitur pacto conſuletur tali vaſallo?*

M. Duobus modis. Primum actione perſonali aduerſus dominum à quo inueſtiturã abuſiuam adcepit, qua conſequatur ab eo, quanti ſua intereſt, rem traditam eſſe, arg. eorum, quæ ſupra diximus. Secundo poteſt petere à domino, vt cedat ſibi actiones quas habet aduerſus tertium illum poſſeſſorem, atque ita iure ceſſo cõtra tertium illum experietur, quod remedium tradidit *Iſernia d.loco.*

27. D. *Huic finitima eſt quæſtio de vaſallo, qui inueſtituram adcepit ſuper feudo viuentis, qui poſtea cum conſenſu domini feudum alienarit, quomodo huic conſuletur?*

M. Non aliter quàm actione in dominum data, à quo inueſtitus eſt, & cùm quo contraxit, vt multis docet *Hartm. Piſtor.libro ſecundo, quæſt. 28.* nam neque contra vaſallum priorem, qui alienauit, agere poteſt, neque cum altero in quem res alienata eſt, arg. eorum quæ paullo ante dixi. Reſtat igitur vt regreſſum habeat contra dominum, a quo inueſtitus eſt, & ab eo petat, quanti ſua intereſt.

28. D. *Habetne locum in feudis beneficium l. 2. Rem maioris, Cod. de reſcind. vend. vt ſcilicet ſi vel dominus vel vaſallus deceptus ſit vltra dimidiũ iuſti pretii, agere poſſint, vel ad ſupplendũ eius quod deeſt, corrigendáq; iſta iniquitatem vel læſionem, vel ad reſcindendum contractum?*

M. De hac quæſtione non omnes idem ſentiunt, vt videre eſt cùm apud alios, tũ apud *Bertachin. in Repertorio, in verſic. Emphyteuſis conuenit cum feudo,* &c. Videbatur dicendum quod etiam in feudo locum habeat iſta *l. 2. argum. contractus emphyteutici*, ad quem communis ſchola interpretum id beneficium produxit, teſte *Ario Pinello ad d.l. p.1.cap.3.n.37.* quod & Connanus probat *lib.7.cap.12.n.1.& Giphan. in comment. C.*

ad d. l. 2. Solent autem ſæpiſſimè feudum & Emphyteuſis inter ſe comparari, vt quod eſt receptum in vno, valeat etiam in altero, quod videre eſt apud *Nicol. Eberhard. in Top.* ſed verius eſſe videtur, quod locum in feudo non habeat hoc beneficiũ, neq; ex parte domini, neq; ex parte vaſalli. Ex illa, quia is donatũ voluit; eſt enim feudum beneficium quoddam, §. *vlt. tit.* 23. *libr.* 2. In donatione autem non eſt locus remedio *d. l.* 2. *C. de reſcind. vend.* vt docet idem *Connanus libr.* 8. *comment. cap.* 9. *n.* 11. & probat *Giphanius in d. comment. Cod.* Ex hac vero, quia non valet conuentio, vt vaſallus tantundem præſtet, quantum accepit. Eſt enim cõtraria ſubſtantiæ feudi, vel certè facit, vt res tranſeat in aliam ſpeciem contractus, nec amplius ſit feudum, arg. eorum quæ ſupra diximus de pactis feudalibus: vide hac de re *Schrader p.* 1. *quæſt.* 3. *n.* 22. vbi pro eadem ſententia adlegat Baldum.

29. D. *Quid ſi feudum vaſallus locauerit (hoc enim ipſi nõ denegari ſupra audiuiſti) & locatione hac alterutra pars læſa ſit vltra dimidium?*

M. Quamuis nonnulli exiſtimarint, etiam hoc caſu ceſſare beneficium *d. l.* 2. quos adlegat *Schrader. d. p.* 1. *quæſt. num.* 23. tamen verius exiſtimo hoc caſu locum eſſe beneficio eius legis. Aliud enim eſt conceſſio rei in feudum facta vaſallo à domino, & aliud longè locatio rei feudalis facta à vaſallo alteri. De locatione autem feudi cum nihil cautum ſit ac definitum iure feudali, quoad læſionẽ vltra dimidium iuſtę mercedis, ſequemur diſpoſitionem iuris communis. *arg. tit.* 1. *lib.* 2. Iuris autem ciuilis interpretes vnanimiter producunt *d. l.* 2. etiam ad locationem rerum allodialium. de quo vide *Ari. Pinell. d. cap.* 3. *n.* 17. *& Cuiac. lib.* 16. *obſer. cap.* 18. hanc igitur ſententiam in feudalium quoq; rerum locatione merito ſequemur.

30. D. *Quid ſi contentio incidat inter fœminã & adgnatos, verbi gratia, ſi filia vaſalli litiget cum fratribus, vel adgnatis de re feudali, quid interim dum lis pendet, de poſſeſſione faciendum eſt?*

M. Hac de re vide §. *inter filiam, tit.* 26. *libr.* 2. *& tit.* 41. *&* §. *ſi contentio, tit.* 51. Summa eſt, fœminam omnino in

no in poſſeſſione interim tuendam, vel etiam in eam interdum mittendam, dummodo facilè fundatam intentionem habeat, vt ait *gloſſ. ad d.§. inter filiam.* Erit autem facilè fundata intentio filiæ, ſi vel ipſa contendat prædium, de quo mota eſt controuerſia, eſſe allodium, adgnatis contra feudum eſſe dicentibus: Quo caſu præſumptio eſt pro filia; quia in dubio vnaquæque res præſumitur potius allodialis & libera, quàm feudalis, vt ſupra diximus, *argum. l. 8. Altius, Cod. de ſeruitutibus & aqu.* Vel ſi quid probabiliter pro ſe adlegat filia. Vnde adpareat cur ad ſucceſſionem feudi admitti debeat, cum alias regulariter fœmina in feudo non ſuccedat. Vide *Hart. Piſt. quæſt. 39. Menochium in rem. 4. adipiſcendæ poſſeſſionis, num. 375. & ſeqq. item conſil. 187. nu. 31. & 52. Aymonem Crauettam conſil. 704. num. 6. & conſil. 812. nu. 6. Franciſ. Burſatum conſil. 89. nu. 30. lib. 1. Phil. Dec. conſ. 424. num. 11. Weſembec. conſ. 1. & conſil. 93.* Actoris igitur partes adgnatus ſuſtinebit, vt rectè *Cuia. ad t. 3. lib. 4. feud id eſt ad d. §. inter filiam, t. 26.* Eſt autem durior ſemper conditio actoris, & melior cõditio poſſeſſoris. Sed hæc ita ſunt, ſi, vt dixi, filia facilè fundatam habeat intentionem; nam ſi ſecus eſſet, id eſt, ſi manifeſto conſtaret, aut ab adgnatis datum probari poſſet filiam calumniari, & bona non eſſe allodialia ſed feudalia, & quidem eiusmodi, in quibus fœminæ non ſuccedant, ſicut regulariter non ſuccedunt: Non erit poſſeſſio penes filiam collocanda, ſed potius penes adgnatũ, qui ſucceſſionem feudi ad ſe pertinere contendit, atq; ita fœmina ad petitoris partes ſuſcipiendas compelletur, vt docet *Weſemb. in d. conſilijs.*

31. D. *An etiam petitio hæreditatis pro feudo datur, ſiue an feudum venit in petitionem hæreditatis?*

M. Cum feudum aliud ſit hæreditarium, aliud ex pacto & prouidentia, vt ſupra dictum in diuiſionibus feudorum. De priori genere non eſt dubium, quin veniat in petitionem hæreditatis: ſed de poſteriori genere interpretes diſſentiunt, dum alii aiunt, alii negant, vt videre eſt apud *Iaſonem in §. Actioni enim 210. & Schneid. ibidem ſub rubric. de petit. hæred. nu. 54. Mynſing. cent. 3. obſ. 67. n. 2. & Weſemb. in paratit. D. de hæred. petit.*

*n.*11. Ratio cur de tali feudo non videatur danda petitio hereditatis, eſt; quia nõ eſt quiddam hereditarium, ſed ab hereditate ſeparatum. Ac inter ſe opponuntur feudum & hereditas cum alibi in his libris, tum maximè *tit.*51.*libr.*2.*in* §.*ſi contentio, in verbis: dicat ipſa hoc eſt de mea hereditate, & ille dicat*: immo de feudo, vnde poteſt quis interdum repudiata licèt hereditate, alicuius tamen amplecti feudum, vt aliàs dixi ex *titul.* 45.*libr.* 2. Sed tamen quod eadem ratione qua in petitionem hereditatis veniunt res commodatæ, depoſitæ, & ſimiles aliæ, quarum dominium non fuit defuncti, ſed quæ tempore mortis in hereditate repertæ ſunt. *l.* 19. *& non tantum, D. de hered. petit.* eadem, inquam, ratione etiam feuda iſta, quia veniant in hanc actionem, nihil prohibet. Fuerunt enim & manſerunt in hereditate defuncti, proindeque à poſſeſſore ad quem peruenerunt auocari poterũt iſta actione per ſucceſſorẽ feudi. Non minus ergo petitio hereditatis dabitur de feudo, quam de allodio. Hoc tantum intereſt, quod cum de allodio poſſit tam ex teſtamento quã ab inteſtato inſtitui petitio hereditatis, de feudo, tantũ ab inteſtato poteſt agi; quia, vt ſupra dictum in *c. de ſucceſſione feudi*, in feudis nulla valet vltimę voluntatis vaſalli diſpoſitio ſeu ordinatio ſine conſenſu domini. Hac ita ſi idem ſit ſucceſſor allodialiũ & feudalium bonorum. Aliud eſt ſi feudum particulare ad alium deuoluatur ſucceſſorem, qui nihil iuris habet in hereditate allodiali: hinc .n. quia ſucceſſor eſt ſingularis, nõ poterit dari hereditatis petitio, quæ eſt vniuerſalis actio ſeu vniuerſale iudicium.

32. D. *Quid ſi quis petitionem hereditatis inſtituerit generaliter nulla facta ſpecificatione rerum hereditariarum, continebitur in ea feudum?*

M. Continebitur, ſed illud tantũ, quod eſt hereditarium non etiã quod ex pacto & prouidentia. Ita ex cõmuni ſententia D. probat *Henr. Roſen. c.* 7. *concl.* 24. nam ſi hoc quoq; actor cõprehenſum voluit, clarius loqui debuit & exprimere hoc ipſum: quod dũ non fecerit, ſibi imputare debet, & pati, vt contra ſe fiat interpretatio pro reo. cuius perſona ſemper eſt fauorabilior.

CAPVT

Capvt IX.

De Iudiciis feudalibus. Quis hîc ſit Iudex competens. Quis ordo Iudicii obſeruetur.

1. D. *Audiui de actionibus, interdictis, & alijs iuris remedijs, quæ pro feudo competunt vaſallis, dominis, & adgnatis. Cupio nunc etiam de Iudicio feudali cognoſcere.*

M. Iudicium aliquando pro ipſa actione vſurpatur, vt cum dicimus, iudicium finium regundorum, iudiciũ communi diuidundo, familiæ erciſcundæ, pro ſocio, iniuriarũ, Iudicium vtile, extraordinarium, directum, &c. cuius notionis infinita occurrunt exempla in toto iure noſtro. Aliquando etiam iudicium pro loco ſumitur, vt cum dicitur aliquis habere vel non habere legitimam perſonam ſtandi in iudicio: quomodo etiam actus iudiciales opponi ſolent extraiudicialibus. Sed hîc iudicium ſeparamus ab actione, quæ in iudicio proponitur, vocamusque iudicium, legitimam diſceptationem rei controuerſæ ſub iudice inſtitutam. Conſtituitur autem omne iudicium tribus tantum perſonis, iisque diſtinctis, quæ ſunt, *Actor* à quo initium litis proficiſcitur: *Reus*, qui conuenitur ſiue lite pulſatur, ſiue vt veteres circumſcribunt, is cum quo agitur & vnde petitur: & denique *Iudex*, qui eſt inter vtramq; perſonam medius, vt ait *l.22.C. ad l.Corn. de falſ.* Pontifex quidem Fabianus in *c.nullus.4.q.4.* ait, In omni iudicio ſemper neceſſe eſſe vt adſint quatuor perſonæ; videlicet Iudices electi, Adcuſatores, defenſores, & teſtes. Sed interdum non eſt opus teſtibus. Quid enim ſi cauſa non per teſtes probetur, ſed per inſtrumenta, aut ſi iureiurando lis decidatur? Credo autem ſpectaſſe Pontificem id, quod vt plurimum contingit. Adcuſatores verò populariter & latè adpellat, vt comprehendat quoſuis actores, cum aliàs propriè adcuſatores dicantur in cauſis criminalibus & iudiciis publicis, *toto tit. D. De adcuſationibus.* Defenſores intelligi vult reos, vel etiam eos, qui pro reis principalibus interueniunt, vt procuratores & aduocatos. Sanè in iure noſtro defenſores pro-

priè ſunt procuratores reorum, & quidem qui ſine mandato alienam cauſam defendunt, vt explicatur ad *titul. D. de procuratoribus & defenſoribus*, vbi & Cuiac. vide *in Paratitlis*. Sic in regula iuris: *Nemo alienæ rei idoneus defenſor intelligitur ſine ſatisdatione*: qua de re dictum ad *Inſtitut. titul. de ſatisdationibus.* Quod autem addit Pontifex, *Accuſatores debere vti intentione*, id eſt, exaggeratione & auxeſi ad amplificandam cauſam, defenſores extenuatione ad minuendam cauſam, id potius adcipiendum eſt de eo quod fit, quodq; faciendum præcipiunt Rhetores, quàm quod fieri vbique debeat: fortaſſe enim præſtiterit cauſas agere quemadmodum in Areopago: *ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν.* qua de re in Orationib. noſtris Iudiciariis. Dixi, diſtinctas eſſe has perſonas in iudicio interuenientes, iudicis, inquam, actoris, rei, & teſtis. Nullus enim vnquam præſumat ſimul eſſe adcuſator & iudex vel teſtis. Sed per ſe ſint adcuſatores, per ſe iudices, per ſe teſtes, per ſe adcuſati, vt ex Epiſtola Damaſi Papæ refertur in *cap. 2. eadem cauſa & q.* Vnde & *D. Auguſtin. homil. 50. de pœnit. Quis*, inquit, *vtrumq; audeat ſibi adſumere, vt cuiquam ipſe ſit & adcuſator & iudex*? Quod eius dictum refertur in *c. 18. multi. 2. q. 1.* & conuenit cum iure ciuili *l. 10. D. de iurisdict. l. pen. D. de recept. arbit.* Ex quo fundamento inter alia XI. nullitatis arguitur concilium Tridentinum ab Innocentio Gentileto *li. 5. Examinis concilij Tridentini p. 321.* His breuiter præmiſſis, ad rem præſentem veniamus, & de iudicio feudali per hæc capita explicemus: Primum, de iudice cauſarum feudalium, & foro competente. Secundo, de forma & ordine ac modo iudicii feudalis; quatenus nimirum aliquid peculiare habet, in quo à iure communi recedat: maximeque de probationibus, præſumptionibus & iureiurando.

2. D. *De iudice cauſarum feudalium quid ais?*

M. Vt iudicem competentem & ſuum adeamus, non minori nobis curæ eſſe debet, quàm vt actionem conuenientem habeamus, quam intentemus ſiue dictemus aduerſario. nam quemadmodum qui ſine intentione agit, oleũ & operam perdit, atq; à limine iudicii repellitur, oppoſita hac Exceptione, *Tibi non competit actio*, vt ſup.

vt ſup.dictum; ita etiã qui in foro alieno & apud iudicẽ non ſuum agit, vt maximè vel optima actione inſtructus ſit, nihil conſequetur. Eſt enim ipſo iure nulla ſententia ab incompetente Iudice data, *tot. t. C. ſi à non cõpetente iudice iudicatum eſſe dicatur, & ibi Cuiac. in Paratit.* vide & *Sebaſt. Vant. in tractatu de nullitatibus.* Vnde nec iudicati actio vel exceptio, inde naſcitur, cum id quod nullum eſt, nullum etiam producat effectum, *l. 5. C. de ll.* quæ cauſa eſt, cur tam diligenter atque ſollicitè explicetur de foro competente *lib. 3. C. à t. 13. vſq; ad 27.* itemque à Canoniſtis *ext. t. de foro competente*, ne videl. in competente iudice adito nullitas committatur, & iudicia fiant eluſoria: quod diligenter præcauendum eſſe meminiſti ex iis, quæ dicta ſunt ad *Inſtitut. titul. de diuiſ. ſtipul. & titul. De ſatisdationibus.* Ad præſens negotium quod attinet, prout ſunt perſonæ eorum qui agunt vel qui conueniuntur, provt etiam ſunt res & cauſæ, de quibus agitur, ita alius atque alius hîc erit competens iudex; nunc dominus feudi, nunc pares curiæ, nunc ambo ſimul, & dominus, & pares curiæ; nunc ordinarius iudex loci; nunc arbiter; nunc ipſe Imperator. Quod quale ſit, ex ſequentibus clarius patebit. Aut enim lis eſt inter duos vaſallos (& hi ſunt vel capitanei maioreſque vaſalli, vt Duces, Marchiones, Comites, &c. vel ſunt minores atq; inferiores) aut inter dominum & vaſallum; aut inter dominum & vaſallum vaſalli; aut inter dominum & extraneum, aut deniq; inter vaſallum & extraneum. Quarum diuiſionis partiũ aliquæ ſuas etiam ſubdiuiſiones habent, vt videre eſt apud *Ferrar. in for. li. 9. vbi agitur de reuoc. feud.* De ſingulis perſonis & caſibus ordine dicam, & de notabilib. quæſtionibus, quæ circa vnumquemq; moueri ſolent. Primùm igitur, ſi lis agitetur inter duos pluresve conuaſallos de feudo aut re ad feudum pertinente, iudex cõpetens erit dominus, à quo vterq; feudum accepit. Quę regula probatur aperto *text. §. prætereà, t. 55. lib. 2.* ſi (inquit Imper. Frid.) inter vaſallum de feudo ſit controuerſia, domini ſit cognitio, & per eum controuerſia terminetur. Quæ verba ſic expreſſit carmine *Gunth. li. 8.* Poëta, vt Hotom. eum vocat, *nobiliſſimus*:

Inter vaſallos vnius fortè patroni
Quæſtio de feudo quoties agitatur, eodem,
Quo feudi domino gaudent, hoc iudice certent.

Vide etiam hac de re *c.5. cæterum. ext. de foro compet.* vbi latè de hoc argumento ſcribunt Canoniſtæ: quibus iunge etiam *Cuiac. in Recitat. ad decretal. Hotom. ſanè in diſput. de feud. c.*42. grauiter conqueritur, varium & incertum ius hac de re traditum eſſe in libb. feud. ac profert quædam loca, ſtatuentia, vt controuerſia definiatur vel per Imp. vel per iudicium parium, vel per iudicem curtis, ſiue curiæ (habent enim nonnunquam domini feudi proprium quendam iudicem, qui iudicet inter convaſallos de controuerſiis feudalibus, vt adnotat *Cuiacius ad tit.16. lib.1. feud.*) vel per iudicem ordinarium eius loci; vel denique per arbitrum, quem vulgo vocant *iudicem compromiſſarium.* Loca ea pugnantia ſunt *tit.*15. *&* 18. *lib.*1. *& tit.*15. 34. *&* 46. *lib. 2. feud.* quibus addi poteſt §. *ſi duo homines, tit.* 27. *lib.* 2. ſed dicendum videtur, in *d.* §. *prætereà, tit.*55. *lib.*2. contineri regulam: in cæteris verò locis adferri quaſdam Exceptiones, vel etiam nonnunquam illis derogari per *d. Conſtit. Friderici,* tanquam poſteriorem. conciliationem etiam tentat *gl. ad d.* §. *prætereà, & Cuiac. ad d. tit.*15. *lib.*1. *item Sonſbeccius part.* 14. *de feud. num.*21. Retineamus autem regulam, eiusque primò rationem atque explicationem videamus, tum ampliationes & exceptiones ſiue limitationes quaſdam. Ratio igitur huius iuris eſt; quia dominus habet iuriſdictionem feudo ſuo cohærentem ac propriam hæreditariam ac regalem, quæ in re differt ius Longobardicum à iure ciuili Romanorum. Hoc enim iure nulla fuit iuriſdictio perpetua, neque prædialis ſiue prædio cohærens: vt rectè admonet *Ant. Cont. in method. de feud. cap.* 12. Domino autem feudi hanc Iuriſdictionem tribuit ipſa lex feudalis, vt probat *Zaſius p.* 11. *& Borch. cap.*10. *num.*33. eamque ordinariam eſſe docet *Iul. Clar. quæſt.* 90. *num.*6. Notandum autem primo, quod dixit regula: *Inter duos pluresve convaſallos.* Textus quidem in *d. Conſtit. Frid.* §. *prætereà,* duos tantum nominat; quia videlicet ſæpius contingit, vt inter duos ſit controuerſia. Idem tamen dicendum eſt etiam, ſi plures

ſint,

ſint, ſed oportet vt certò conſtet, vtrumq; litigantium eſſe vaſallum vnius eiuſdemque domini ſiue reſpectu eiuſdem feudi, de quo eſt contentio, ſiue aliorum. Nam ſi vterque non ſit verus atque indubitatus eiuſdem domini vaſallus, ſed alter adſertus & putatiuus, vt loquitur *Zaſius d.part.*11.*num.*5. ceſſabit regula, nec dominus iudex competens eſſe poterit, ſed vel pares curiæ, vel etiam interdum dominus adiunctis paribus curiæ, vt docet *Roſenthal.cap.*17. *concluſ.* 33. *& ſeq.* Secundo notandum quod dicit regula: *ſi lis ſit de feudo*: intellige ſiue de toto, ſiue de parte eius: item, ſi de confinibus. Neque ſolum ſi de proprietate agatur, verum etiam ſi de poſſeſſione feudi (neque enim audiendus eſſet, ſi quis coram vno iudice litigare vellet de proprietate & cõràm alio de poſſeſſione eiuſdem rei, *l.*10. *Nulli, C. de iudiciis*, ne videlicet cõtinentia cauſæ diuidatur contra *d.l.*10. qua de re eruditè & copioſè ſcripſit *Petrus Friderus*) item ſi de ſeruitute fundo feudali debita agatur, vide *& Iul. Clar. d. quæſt.*90, *num.*9. *& Roſenthal. d. cap.*12. *num.*31. item de feudo, intellige ſiue agatur de conſtitutione eius, ſiue de retentione & conſeruatione, ſiue de amiſſione, vide *Matth. Colerum in tract. de proceſſibus execut. part.*12. *cap.*3. *num.*311. *cum duob. ſeqq.* Sin autem non de feudo, ſed alia quapiam re ad feudum non pertinente lis ſit inter conuaſallos: iudex erit non dominus feudi, ſed ordinarius. Vide *Borchold. cap.*10. *num.* 33. vbi hoc probat ex *Baldo, Alexandro, Zaſio, & Canoniſtis*, niſi ipſi vaſalli eum elegerint iudicem prorogatione iuriſdictionis in ipſum facta: hoc enim facere non prohibentur vt docet idem *Borchold. d. cap.*10. *nu.* 34. Ampliatur autem ſuperior regula, primum vt obtineat locum etiam in feudo Franco, in quo non minus erit dominus iudex competens, quàm in non Franco. Nam feudum Francum in aliis rebus extra libertatem à ſeruitiis manet ſub regula, & communi natura feudorum, vt ex *Curtio & Menochio probat Borch. num.* 20. *& Roſenthal. cap.*12. *nu.* 38. Secundò ampliatur vt habeat locum non tantum inter vaſallos laicos, verum etiam Clericos. poteſt enim etiam laicus eſſe iudex inter Clericos ſiue Eccleſiaſticas perſonas, quæ ipſi ratione feudi ſub-

iiciuntur, vt communiter etiam Canoniſtis placuit, paucis licèt contradicentib. ad *c. cæterum, ext. de iud.* vide *Iul. Clar. d. q.* 90. *nu.* 8. *& Borchold c.* 10. *n.* 21. *&* 24. quamuis alias Papa Clericis indulſerit priuilegium fori, eosque ab omni iurisdictione Laicorum ſiue ſecularium exemptos eſſe voluerit, vt coram his non poſſint conueniri: & quidem adeò, vt huic priuilegio non poſſint Clerici renuntiare, vltroq; ſe ſubiicere iurisdictioni ſeculari, vt, inquã, ſua renũciatione nihil agant, quaſi ſc. de iure publico aliquid remitterent, *c.* 12. *ſi diligenti. ext. de foro competente.* Vide *Andr. Geil. libr.* 1. *obſer.* 37. *nu.* 5. *& obſeru.* 40. *num.* 7. quomodo etiam prohibentur clerici de rebus, quas vocant ſpiritualibus compromittere in laicum, *c.* 8. *contingit. Ext. de arbitris.* Quam tamen rationem tanquam incongruam improbat Cuiacius non ſolum ad *l. ius publicum* 18. *D. de pactis*, ſed etiam in *Recitationibus Decretalium ad d. c.* 12. *ſi diligenti.* Sic etiam vice verſa, clericus feudi dominus poteſt iudicare inter vaſallos laicos. *Borch. d. c.* 10. *n.* 25. *& Roſenth. c.* 12. *concl* 17. Tertio, ampliatur regula, vt dominus ſit iudex competens etiam de eo feudo, in quo vaſallum coactus inueſtiuit. *Borchol. c.* 10. *nu.* 19. quo tamen caſu ſunt, qui velint, poſſe hunc talem dominum à vaſallo recuſari tanquam ſuſpectum iudicem, cum videatur malè affectus in eum, quem inuitus inueſtiuit ac recepit, & præſumatur qui fuit iniuſtus in vno, etiam futurus iniquus in altero eiuſdem generis, *arg. c. ſemel malus. De R. I. in* 6. cuius ſententiæ auctores refert & ſequitur *Henr. Roſenth. cap.* 12. *concluſ.* 36. Quartò ampliatur regula, vt vaſalli inuito domino non poſſint ſuo conſenſu prorogare iurisdictionem, qua de re gl. quidem hæſitat ad *d. §. præterea, t.* 55. ſed Iul. Clar. *d. q.* 90. *n.* 10. communem opinionem eſſe teſtatur. Vide etiam *And. Geil. d. li.* 1. *obſ.* 40. *& Roſenth. concluſ.* 37. Prorogare iurisdictionem dicuntur litigatores, quando alium pro alio iudicem eligunt atque adeunt, id quod iure ciuili permiſſum eſt, dummodo fiat à conſentientibus, non ſi per errorem, quo nihil magis conſenſui aduerſatur, *l.* 1. *&* 2. *vbi Bart. & alij D. de iudiciis, l.* 15. *ſi per errorem. D. de iurisdict.* neceſſe tamen eſt, vt is, in quem ita conſentitur, ipſe præſit tribunali,

bunali, iuriſdictionem quę habeat. nam conſenſus priuatorum iuriſdictionem nemini tribuit, neque iudicem facit eum, qui antea per ſe iudicio non præeſt, *d.l. 1.D.de iud.l.3.priuatorum,& ibi Bald.C.de iuriſd.omnium iudicum.* Iure autem feudali non licet vaſallis inuito domino prorogare iuriſdictionem in alium, id eſt, aliũ adire iudicem, quàm ipſum dominum, gl. in *d.§.prætereà*, in verbis: *ſed nunquid ab initio. t.55.* Ratio eſt, quia iniuria fieret domino feudi, cui à lege tributa eſt ordinaria iuriſdictio, vt paulo ante dictum. adempta namque ipſi iuriſdictione ſiue cognitione eiusque prorogatione permiſſa, ſimul etiam adimentur commoda ſportularum & multarum, & alia multa, quæ iudicibus competunt, vt rectè Anton. Contius *c. 12. method.feud.* cumque domino feudi Iuriſdictio à l. ſpecialiter ſit tributa, nihil contra illud priuilegium operari debet conſenſus litigantium. *Borch. cap. 10. nu. 35.* ne videlicet ius ſuum domino inuito auferatur, contra *l.id quod noſtrũ. 11.D. de Reg. Iur.* A contrario igitur ſenſu ſi dominus conſentiat, tum verò nihil vetat, quin poſſint vaſalli alium iudicem adire, & iuriſdictionem in eum prorogare. Vide *A. Geil.lib.1.obſeru num.55.* Ratio eſt, quia volenti & conſentienti non fit iniuria neque dolus, vt eſt in *Reg.Iur.*

3. D. *Sed cum conſenſus duplex ſit, tacitus vel expreſſus, quæri ſolet, num requiratur conſenſus domini expreſſus, an verò ſufficiat & tacitus, id eſt ſi ſciat & patiatur nec contradicat?*

M. Verius eſt, etiam tacitum conſenſum ſufficere: vt ſenſit Abbas, & Phil. Decius ad *c.cæterum, extra de iudiciis*, quos & Borchold. ſequitur, *cap. 10. de feud. nu.30.* Quamuis alii expreſſum requirant cõſenſum: ſed cum conſenſus domini tacitus ipſi præiudicet quoad alienationem feudi à vaſallo factam, vt aliàs docui: multò magis hic ei præiudicabit quoad iuriſdictionem. Quinto ampliatur regula, vt etiam in Imp. locum habeat, qui eſt competens iudex inter vaſallos maiores ſiue regios, qui *capitanei* dicuntur, quod eſt ex conſtit. Conr. Imp. *t.18. li.1. & t. 34. li.2. feud.* vbi nota *Regem* dici qui paulò antè *Imperator*. Exẽplũ hui⁹ rei eſt in Impera-

tore Sigiſmundo, qui cognitionem cauſæ feudalis inter Henricum Lavvenburgenſem Ducem & Fridericũ de Ducatu Saxoniæ Electoralis inueſtitum ad ſe pertinere aiebat, cum Henricus mallet à Concilio Conſtantienſe eam ſuſcipi. *Feudalis contentio* (inquit Sigiſmundus) *per dominum feudi ac pares curiæ terminanda eſt*, vt ex 3. tomo concil. refert *Cuiac. ad tit.* 15. *lib.* 1. *Feud.* vbi notandum eſt, Imp. adhibitis paribus curiæ, tanquam conſeſſoribus iudicare, cum quidem ipſe poſſet ſolus. Solent namque boni Principes non ex ſuo tantum arbitrio res grauiores agere, ſed in conſilium adhibere viros ſapientes & ICtos, quomodo & Alexandro legimus viginti & aliquot ICtos ſemper ad latus fuiſſe: & Fridericum I. in conſilio ſuo habuiſſe non paucos. Sexto ampliatur regula, vt locum habeat etiam in domino minore ſiue ſubalterno, qui ſubinfeudationem fecit: nam hic quoque ſi de feudo litigent quos ſubinfeudauit, inter ipſos competens iudex erit, non autem ſuperior feudi dominus, vide *Henric. Roſenthal. cap.* 12. *concluſ.* 31. Septima & vltima ampliatio eſt, vt dominus ſit iudex non ſolum ſi cauſa in prima inſtantia ad ipſum deuoluta fuerit, ſed etiam ſi per adpellationem. *Curt. part.* 2. *reg.* 7. *q.* 11. *Iul. Clarus d. q.* 90. *n.* 11.

4. D. *Quo in loco dominus exercebit iudicium?*

M. Vbicunque ipſe voluerit, ſalua tamen honeſtate, & obſeruato more maiorum, vt rectè reſpondet *gl. in d.* §. *præterea, in verbo, cognitio, tit.* 55. *lib.* 2. *feud.*

5. D. *Quid ſi dominus noluerit cognoſcere ſiue iudicare?*

M. Si dominus palam deneget vaſallis iuſtitiam, poterunt illi vel cogere eum ad iudicandum per ſuperiorem ſeu maiorem iudicem cui ſubeſt: vel actor poterit alium iudicem adire, & ex communi regula ſequi forum rei; quæ duo remedia tradit *gl. in verbo, duos. d.* §. *præterea*, vide & *Zaſ. in Epit. feud. part.* 11. *nu.* 8. *in fin.* quod bene notandum eſt, ſi inquam, dominus feudi in iure reddendo lentus ac negligens fuerit, tunc manifeſtam negligentiam atque iniuriam ipſius transferre cognitionem ad alium: idque etiam in ordin. Cameræ cautum eſt *lib.* 2. *tit.* 1. *& alibi* von geweigerten Rechten. Sæpè etiam propter deſidiam iudicis ſecularis cauſa tráſ-

fertur

fertur à foro ſeculari & commeat ad forum Eccleſiaſticum, vt poſt veteres adnotat *Cuiac. ad c. ex transmiſſa, & ad c.15. ex parte, ext. de foro compet. argum. c. licet, & c. Ex tenore, eod. tit.* quod ipſe valde nouum eſſe dicit. Certè in primitiua Eccleſia, & priusquam tantopere creuiſſent ſeſeque ſupra omnes extuliſſent Romani Epiſcopi, prorſus inaudita hæc res fuit: ſed Pontifices ſe & ſuos Epiſcopos conſtituerunt, quaſi Ephoros cauſarũ ciuilium, qui prouiderent, darentq; operam, ne cuiquã iuſtitia denegaretur, aut iniuria fieret. Sic etiam viduarum & pupillorum, tanquam miſerabilium perſonarum (vt vocantur in *tit. Cod.* Quando Imperator inter pupillos) & dotium, quarum maximus eſt fauor, vt eſt in *l. 1. D. ſol. matr.* defenſionem ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinere traditum eſt in *c. 1. diſtinct.* 87. *in c. nuper. Ext. de donatione inter vir. & vxor. c. ſuper quibusdam. in fin. extra de V. S. Cuiac. ad d. cap. ex parte, extrà de foro comp.* Eſt & tertium remedium aduerſus talem dominum, qui vaſallis iuſtitiam denegat, comparatum; nempè vt contrà eum agatur ad priuationem proprietatis feudi. Eſt enim inter cæteras hæc quoque iuſta, & ad priuationem ſufficiens cauſa, vt ſupra dictum in loco *de cauſis amiſſionis feudi in perſona domini*: vide & *Roſenthal. c. 12. num.* 40. Atque hæc de domino cogendo. An autem & pares curiæ cogi poſſint iudicare, infra videbimus. Ex his dictis vna ſumi poteſt exceptio à regula. Sunt & aliæ Exceptiones ſiue caſus quibus dominus non eſt iudex inter vaſallos; ex quibus ſecundo loco hanc ponimus: ſi vnus ex vaſallis contra dominum opponat exceptionem declinatoriam fori, negans ſcilicet, ſe vaſallum eius eſſe. Tunc enim domini cognitio non erit, ſed iudicis ordinarii, qui tamen vbi compererit quod vaſallus ſit, ſtatim remittet cauſam ad feudi dominum, ita *gl. fin. ad tit. 15. lib. 2. feud.* quam & Dd. communiter ſequuntur, teſte *Iul. Clar. d. q. 90. nu. 7.* vbi tamen ſi vaſallus ita excipiens ſit in quaſi poſſeſſione vaſallorum, verius eſſe putat Clar. vt non ordinarius iudex, ſed aut ipſe dominus cognoſcat, aut certè pares curiæ. Tertia Exceptio eſt, vt dominus non ſit iudex inter vaſallos, poſteaquam ſemel conſenſerit vel expreſsè vel tacitè, vt aliũ

iudicem adirent; qua de re vide *Canoniſt. ad d. c. caterùm, ext. de iudicijs*; & dixi ſupra ſub quarta ampliatione regulæ. Ratio huius exceptionis eſt facilima; quia quod ſemel alicui placuit, amplius eidem diſplicere non poteſt, nec datur regreſſus ad ius, cui quis renuntiauit, quodq; remiſit. Quarta exceptio eſt, niſi cauſa quodãmodo etiam ad ipſum dominum ſpectet, puta quia de euictione tenebitur; tunc enim dominus non poterit eſſe iudex, ne videl. in propria cauſa contra omnia iura & mores iudicare videatur. Iudicabunt igitur pares curiæ, *§. & reſponſum, t. 46. lib. 2. Feud.* Quarta exceptio eſt ſecundũ quoſdam, niſi agatur inter vaſallos de validitate iuriſiurandi. hanc. n. quæſtionẽ tanquã ſpiritualẽ volunt non pertinere ad forũ laici, ſed apud iudicẽ Eccleſiaſticũ eſſe ventilandã. ita Canoniſtæ ad *d. c. caterũ*, vide *Roſen. c. 12. concl.* 42. quod tamen in Camera nõ obſeruatur, vbi etiam recipiuntur & cognoſcuntur cauſæ iuramentorum. Quinta exceptio eſt, niſi dominus eſſet ſuſpectus, tunc. n. recuſari poſſet, vt poſt Baldum docet *Sonſbec.* quamuis aliud viſum ſit *Iacob. Menoch. remed. 3. retinendæ poſſeſſionis. nu.* 391. Sexta & vltima exceptio, niſi aliud ſit receptum conſuetudine alicuius loci, vt ſc. de cauſis feudalibus inter vaſallos non dominus feudi, ſed ordinarius iudex cognoſceret. *Curt. p. 7. nu. 13. & Roſent. c. 12. concl.* 42. Nam vt ſæpè iam dictum in feudis dominatur conſuetudo & ius iſtud potiſſim. regitur moribus. Idem eſt dicendum ſi ſuperior princeps hoc conſtituerit, quæ octaua eſſe poterit Exceptio. De vtraq; hac vide *& Borch c. 10. nu. 32.*

6. D. *Expoſito huc vſq; primo caſu, quo videlicet vaſallus cum vaſallo litigat, proximum eſt, vt dicas de ſecundo, quo inter ſe contendunt dominus & vaſallus? quis ergò tunc iudex erit competens?*

M. Inter dominum & vaſallum inuicem de feudo cõtendentes, iudicabunt pares curiæ ſiue curtis eiuſdem, iurati, ad id electi. Hæc regula confirmatur iſtis locis *t. 10. lib. 1. t. 16. 19. 20. 22. & § finitur dominium, tit. 39. & § pen. tit. 55. lib. 2. feud.* quem poſtremum locum his verſibus complexus eſt *lib. 8. Guntherus*:

Si tibi pro feudo quod te tribuente fatetur
Adceptum,

Adceptum, tu vero negas; vaſallus agendam
Fortè mouet litem, non tu, ſed curia iudex
Audiat, & certo determinet ordine cauſam.

Dicitur autem nunc *laudamentum parium*, vt *tit.* 21. *lib.* 1. *feud.* nunc *laudato parium* vt in conſtit. Henrici ſecundi Imperatoris apud *Ardizon. & Aluarott.* quam & Hot. refert *lib.* 3. *tit.* 2. Laudare enim idem eſt quod iudicare; vnde culpa per iudicium parium dicitur, in *tit.* 22. *lib.* 1. *Feud.* De eadem regula vide & *Baldum & Canon. in cap.* 5. *cæterum, extra de iudiciis. Zaſium part.* 11. *nu.* 11. *& ſeqq. & Iul. Clar. quæſt.* 90. *in pr. Hartman. tit.* 54. *obſeru.* 21. *& ſeq. Myn ſingerum cent.* 1. *obſeruat.* 99. *& cent.* 4. *obſeru.* 89. *& Cent.* 5. *obſeru.* 68. *&* 75. *item cent.* 6. *obſeru.* 19. *Andr. Geil. lib.* 1. *obſeru.* 1. *Schraderum quoque part.* 10 *ſectio.* 5. *&* 6. *Modeſt in. Piſtoris conſil.* 18. *vol.* 1. *& conſ.* 13. *volum.* 2. Germani vulgo vocant hoc iudiciũ, Das Manngericht. Pares enim ſunt Männer / à virilitate & animoſitate, quæ in militibus potiſſimum requiritur. Ratio autem cur non etiam hoc caſu, ſicut in priore, iudex ſit ipſe dominus, hæc eſt: Quia nõ poteſt quis eſſe iudex in propria cauſa, vt & ſup. dictum: excipiunt quidam ſummum principem, qui non recognoſcat ſuperiorẽ: hunc. n. volunt in ſua cauſa iudicare poſſe; quia ſcil. in eo ceſſet metus iniuſtitiæ, de quo vide *Bartol. in l. Et Tiberius quidem. D. de hæred. inſtitutionibus. Cynum ad l. vnic. Cod. Ne quis in ſua cauſa iudic. Quintil. libr.* 4. *cap.* 1. Exemplum illuſtre eſt in hiſtoria Henrici Septimi qui ipſe cognouit & iudicauit cauſam vaſalli Roberti regis Siciliæ, quem omnibus ſuis ditionibus exuit ob confœderationẽ cũ ſubditis Imperii rebellibus, id eſt, ob crimen læſę maieſtatis, *c. ad reprimendum.* Sed Papa Clemens V. ſententiam illam Imp. reſcidit, multos vt videri vult iuſtis de cauſis, & nullã declarauit in *Clement.* 2. *paſtoral. de ſentẽtia & re iudic.* eaq; exceptio à multis in dubium reuocatur, vt videre apud *Weſembec. de feudis c.* 17. *& Henr. Roſ. c. vlt. concluſ.* 16. In conſtitutione quidem *Friderici I. in d. §. pen.* non additur iſta exceptio ſiue diſtinctio. Quare vbi lex non diſtinguit, nec nos fortaſſe diſtinguere debem⁹. Eſtq; cũ primis laudabilis mos regũ Galliç, qui ſemel ipſos ſubiiciũt parlamẽto ſiue ſupremç curię regni

ſui, quæ eſt Lutetiæ Pariſiorum, vbi non raro cauſa cadunt, vt adnotat *Gothofred. ad d. l. vnic. C. de quib. in ſua.* Vt autem tanto plenius tota res intelligatur, breuiter explicanda ſunt ſingula mẽbra ſuperioris regulæ. Primum igitur quod dixi, *inter dominum & vaſallum*, intelligere debes nihil intereſſe, ſiue hic vel ille clericus ſiue laicus: nam reſpectu feudi etiam Clericus laico ſubiicitur, vt maximè alias exemptum ſit illud genus foro ſeculari, qua de re vide quæ ſupra dixi, & *Iul. Clar. q. 90. num.* 4. Deinde nihil intereſt, vtrum dominus recognoſcat ſuperiorem vel non recognoſcat, vt probat *Iohan. Borchold. c. 16. nu. 16.* quæ ampliatio ſi vera eſt, concedit illa diſtinctio quorundam inter feudum ligium & nõ ligium. Quod ſi dubium ſit, & nec dum planè conſtet, an vaſallus ſit is qui contendit ſe de feudo ſuo recto inueſtiri debere domino id negante, pares curiæ non ante poterunt eſſe iudices inter ipſum & dominum, quã abuſiuè cum inueſtierint ſine incommodo fidelitatis. Quo facto iam erunt iudices competentes, & de cauſa principali cognóſcent, in qua ſi dominus vicerit, inueſtitura illa habebitur pro nulla: Sin autem vaſallus vicerit, tum demum præſtito iureiurando fidelitatis, ſequetur propria inueſtitura, vt habetur *tit.* 20. *& tit.* 29. *lib.* 2. *feud.* Prior illa inueſtitura ſine iuramento (id eſt, iniurata) nihil aliud fuit quam color quidam quæſitus & adhibitus ad hoc, vt pares curiæ efficerentur cõgrui iudices huius litis, qui alias non fuiſſent; quomodo etiam querelæ inoſficioſi teſtamenti color quæritur, qui non ſanæ mentis fuerit teſtator, vt eleganter explicat *Cuiac. ad d tit.* 20. *lib.* 2. Hæc tamen ita demum obtinent, ſi nihil aliud pro beneficio ſeu feudo ab eo domino vaſallus teneat. Nam ſi conſtiterit vaſallum aliquid aliud, præter id de quo quæritur ab eodem domino in feudum tenere, ſiue ſi extra controuerſiam ſit ipſum alterius feudi nomine vaſallo dominum eſſe, nõ eſt dubium, quin debeat de feudo ſuo recto inueſtituram adcipere, & fidelitatem iurare, *d. tit.* 20. *iuncto t.* 39. quam tamen diſtinctionem *Hotom. in comment. ad eundem tit.* 20. ait ſe nec ſatis intelligere nec probare poſſe, vide & *Sonſbec. part.* 14. *num.* 14. *& ſeq. Schraderum d. p.* 10.

ſect. 6.

ſect.6.num.164. cum ſeqq.Mynſing.cent.1.obſeru.99. exiſtimat eo caſu quo vaſallus nullum aliud feudum habet præter id, de quo ſe inueſtitum fuiſſe ait, cognitionem non eſſe parium curiæ, ſed ordinarii: quod & mihi aliquando viſum eſt. Porrò dictum eſt in regula de feudo, contendentes. Intellige, ſiue de eius inueſtitura ſiue recognitione ſiue retentione, ſiue réputatione, ſiue amiſſione & priuatione & aperitione, ſiue de finibus feudi: neque tantum ſi de proprietate, & iure feudi agatur, item de qualitate eius, puta, an ſit vetus an nouum, proprium an improprium, vt maſculinum an fœmininum, verum etiamſi de poſſeſſione. Nam & de hac iudicabunt pares curiæ, non autem iudex ordinarius, *arg. tit. 26. verſic. ſi vero vaſallus, lib. 2. feud.* vt taceam quod textus omnes qui cognitionem tribuunt paribus curiæ commemorantur & indiſtinctè loquuntur vt *tit. 20. & 39. §. ſi inter, & tit. 55. §. pen. vide Zaſium part. 11. num. 21. & ſeq.* Quod ſi non de ipſo feudo, ſed de alia quapiam re contentio ſit inter dominum & vaſallum, iam non erit iudicium penes pares curiæ; ſed penes ordinarium, & quidem ita, vt actor ſequatur forum rei. Non enim ſufficit ad fundandam iuriſdictionem parium curiæ, vt ſit lis inter dominum & vaſallum, niſi etiam ſit de feudo. vide *Mynſing. d. cent. 1. obſeru. 99. & Schraderum d. ſect. 6. num. 32. cum ſeqq. item 135. & ſeq.* eſtque iuriſdictio parium limitata ad ipſum feudum, vt ad alias cauſas non producatur. Atque hinc eſt, quod ne reconuentio quidem (Widerklag / oder Gegenklag) locum habeat coram paribus curiæ. *Mynſing. cent. 4. obſeru. 90.* gloſſa quidem in verbo faciendum *tit. 10. li. 2.* putat actorem reconuentum debere ſe defendere apud eandem curiam, etiam de omnibus aliis cauſis. Sed eam ſententiam gl. rectè reprobat *Schenckius in comment. ibidem*, neque enim aliter locum habebit reconuentio, quam ſi contineat aliquid ex ipſo feudo dependens. Si quid vero complectatur omnino extraneum, non poterit remiſſio fieri ad eoſdem iudices, vt rectè *Bald. ad d. tit. 16. Sonſbeccius part. 14. num. 38.*

7. D. *Quid ſi de promiſſione feudi contentio ſit inter dominum & vaſallum, & dominus ex illa conueniatur actio-*

ne in perſonam ad faciendam inueſtiturã remq; tradendã?

M. Communiter placuit Interpp. hanc litem nõ ad pares curiæ, ſed ad ordinarium pertinere, vt docet *Roſenthal.cap.12. num. 45. Et Schrader. d.ſect. 6. num.167. & ſeq.* tentari tamen poſſet ex *d. tit.39. in verſic. Sed ſi nihil hoc quoque caſu cognitionem eſſe parium, id eſt, quod dicebatur in regula: pares curiæ ſiue curtis eiusdem?*

M. Hoccò pertinet vt intelligamus, non ſatis eſſe vt pares ſint vaſalli eiuſdem domini, niſi etiam in eodem territorio, ſiue diſtrictu ſint conſtituti. Vide *Mynſing. cent. 4. cap. 39. in fin & Franc. Sonſbecium part. 14. in feud. in princ.* Vnde in textibus feudalibus vocantur *pares curtis illius domus.* Item *pares de domo domini.* loca adnotauit *Hotom. in text. feudo.* in verbo, *pares curiæ:* exemplum adparet *Zaſius part.11. num.4. de Max. I.* Qui vaſallos habuit & in Auſtria & in Briſgaudia: Qui omnes licèt eiuſdem domini fuerint vaſalli, non tamen de earum domo, non eiuſdem curtis ſiue territorii fuerunt, ſed tantum Auſtriaci inter ſe, & Briſgaudici inter ſe. Ratio quare pares eiusdem potius territorii, quam diuerſorum, quatenus quidem fieri poſſit ſumi debeant, eſt hæc: Quia ſi propter peritiam aptiores fore videntur ad hanc iudicandi prouinciam, quam extranei: cum vicinus præſumatur melius ſcire res vicini, quam aliquis extraneus, & in vna prouincia habitantes præſumantur magis ſcire quæ publicè & quotidiè in ea fiunt. *gloſſ. in cap. 1. extrà de poſtul. gloſſ. & Bartol. in l. 1. Cod. de peric. tut. Baldus in l. Verius, in fin. D. de probationib. Bartol & Dec. in l. 1. ſi certum petatur. Menoch. d. præſumpt. libr. 6. præſum. 23. num. 68. & præſumpt. 24. num. 9. 10. & 28.* vt taceam quod minore etiam negocio ac ſumptu conuocari & conuenire poſſunt, quam remotiores, ſi tamen in eadem prouincia atque diſtrictu tamen non habeat pares, proximum eſt vt ſumantur ex alia & quidem maximè finitimi, vide *Aluarott. ad d. §. pen. n.10. tit. 55.*

8. D. *Cur in regula addebas, iurati?*

M. Quia vaſallus qui domino fidelitatem non iurauit (audiuiſti autem ſupra fieri poſſe, vt dominus vaſallo ſuo iusiurandum remittat, licèt quidem ipſam re-

mittere

mittere nequeat) regulariter non eſt pro pari ſeu iudice eligendus. Conditio hæc vt iurati ſint expreſsè requiritur in *d.§.pen.tit.55. in verbo, per pares curiæ à domino ſub fidelitatis debito coniuratos,& tit. 26. libr. 2. feudorum, in verſic. ille tamen vbi exceptio ſimul indicatur*; in verbis, *domino vel vaſallo diſſentiente.* A contrario igitur ſenſu ſi conſentiant dominus vaſallus in tales, vt ſint iudices, nihil prohibet, quo minus eſſe poſſunt; nam vnusquisq; ſuo iuri & fauori renunciare poteſt, & conſentienti non fit dolus neq; iniuria, vt habent iura vulgata. vide præter cæteros *Hart.t.54.obſ.22. nu.1.& 6.* Et quid ni poſſit in vaſallos etiam iniuratos conſentiri, cum poſſit iurisdictio iſta etiam prorogari in alios nō vaſallos, vt docet *Schrad p.10.ſect.11.*

9. D. *Sed cum iudices iurare ſoleant in aliis cauſis, an etiam à paribus curiæ nouum iusiurandum exigitur in ſingulis cauſis feudalibus, quod velint iudicare ſecundum ius, &c. an verò ſufficit illud iusiurandum fidelitatis quod ab initio præſtiterunt domino?*

M. De iureiurando iudicium quod olim cogebantur præſtare in ſingulis cauſis ad quas dati eſſent, extat in *l.rem non nouam 14. Cod.de iniurijs*, vbi etiam de iureiurando aduocatori, ſicut de iureiurando teſtium in *l. iurisiurandi. 9 Cod. de teſtibus*: vbi teſte non iurato non creditur. Et de terribili iureiurando magiſtratuum in *Nou.8.* Hodie vero iudices non ad ſingulas cauſas de nouo iurant ſe iuſtè & ſecundum leges, ac ſecundum mores iudicaturos; ſed ſemel ab initio officii ſui, quoniam perpetuum ferè id eſſe ſolet. Ad præſentem verò quæſtionem quod adtinet, an pares curiæ iurare cogantur ad ſingulas cauſas, quę inter dominum & vaſallum incidunt, nō idem de ea ſentiunt Interpretes. quidam enim volunt ſufficere iusiurādum fidelitatis, quo obſtricti ſunt domino ab initio inueſtituræ, nec opus eſſe nouo de rectè iudicando. Ita *Andr. de Iſernia*, quem ſequitur *Mynſing. cent. 4. d.obſeru.89.* Quorum ratio eſt, quia vt ſæpè dictum, *§.pen.titul. 55.* tantum requiritur, vt pares ſint coniurati ſub debito fidelitatis. Secundo, quia plerumq; in ipſo iureiurando fidelitatis

ex communi ſtylo vaſalli iurare ſolent, ſe ad requiſitionem domini iudicare & iuſtitiam adminiſtrare velle, vt teſtatur *Zaſius part.* 11. *num.* 20. Non videtur ergò iuſiurandum ſine neceſſitate ſæpius iterandum; cum conſuetudo & facilitas iurandi atque temeritas viam aperiat periuriis. Alii contrà, quorum princeps eſt *Præpoſit. ad tit.* 46. *lib.* 2. putarunt debere pares curiæ ad ſingulas cauſas ſpecialiter iuſiurandum præſtare; quãquam enim iurarent fidelitatem, tamen quia id fauorem domini reſpiciat, non poſſe alteri, nempè vaſallo prodeſſe, cum res inter alios acta aliis non proſit, vt neque nocet aut præiudicat quidquam, *l. ſæpè* 63. *D. de re iud. cum ſimilibus.* Vide *Hannetonium lib.* 4. *de feud. cap.* 2. *verſic. ſed nec pares*, & *Hart. d tit.* 54. *obſeru.* 22. *num.* 13. & *Schrader. d. part.* 10. *ſect.* 11. *num.* 105. Exiſtimarem ergò hoc iure ſequendam eſſe eiusque loci conſuetudinem. Et compertum hoc loco Comitem quendam imperii, qui contra vaſallum ſuum, quem feloniam commiſiſſe multiplicem arguebat, ad feudi priuationem agebat coram paribus curiæ, aliquot nobilibus prius ipſis iuſiurandum, quo ipſi tenebuntur, remiſiſſe, quoad præſentem cauſam & iudicium ipſos deinde pares iuſiurandum nouum præſtitiſſe de rectè iudicando. Quomodo etiam à *Modeſt. Piſt. in dictis conſilijs* præſcribitur formula iuriſiurandi in tali caſu à paribus præſtandi, vt etiam à *Schradero d. part.* 10. *ſect.* 11. *nu.* 126. vbi in duobus ſequentibus noſtris probat hoc iuſiurandum præſtari debere vtraq; parte præſente, aut certò ad hoc citata. Eodemque modo etiam principes quando coram ſuis conſiliariis conueniuntur (vermög der Außträg) ſolent ipſis remittere ſuum iuſiurandum quo ad præſentem cauſam: quo facto deinde nouo iureiurando, iidem conſiliarii adſtringuntur ád rectè iudicandum. Vide & *Schrader. d. loco nu.* 131.

10. D. *Quid eſt quod in regula dicebas; Ad id electi, & quomodo ſit iſta Electio?*

M. Poſſunt quidem rationes eiuſdem curiæ pares ſimul eſſe iudices, ſi ita placeat litigantibus. Nuſquam enim id prohibetur. Sed ſi vel nimia ſit vaſallorum multitudo, vel non omnes ad iudicandi prouinciam idonei,

donei, receptum eſt, vt ex toto eorum numero aliqui ab vtraque parte eligantur. Sic & olim apud Romanos ſtante Republ. iſtos & reus iudices eligebant non ſolum ſi cauſſa capitis ageretur, verum etiam ſi lis eſſet de re familiari, vt ex Cic. & Aſconio Pædiano in comment. orationum eius didicimus. Quæ conſuetudo in aliis quidem rebus hodiè deſiit, cum iudicium etiam in inuitum reddatur, *l.21.38.D.de V.O.* & iudices vt paulò antè dixi, ferè ſint ſingulares & perpetui: remiſit tantum in controuerſiis feudalibus. Et quidem ſi dominus & vaſallus inter ſe conſenſerint in elegẽdis paribus, nulla dubitatio eſt; quia hoc quod ipſis placuit, obſeruandum ſit, & iudices illi ſint futuri quos vtraque pars eligit. Si verò diſſentiunt proceres, eligendi partes tribuentur domino ſecundæ vaſallo, vt quot pares elegerint, dominus totidem etiam ipſe eligat, vt, inquam, vtrinque par ſit numerus, vt diſertè cautum eſt *tit.16.libr.2.feud.verſ. & Zaſius p.11.n.12. & ſeq. Iul. Clarus quæſt.90.n.2. Sonsbeccius, p.14.n.32.* debet enim in iudiciis ſeruari æqualitas, & vitari confuſio. *Zaſius d p.10.n.13.*

11. D. *Quid ſi dominus ſolus velit eligere pares curiæ, nec aliter iuri ſtare, quàm ſi hoc ſibi permittatur?*

M. Non erit audiendus contradicẽte vaſallo; quia non careret ea res ſuſpicione ſubornationis, vt rectiſſimè *Zaſius d. loco.* grauiter reprehendens malum morem quorundam dominorum, qui volunt iudicari, niſi ab iis quos ipſi ſoli ordinarunt iudices. Quid enim hoc aliud eſt, quàm iudicem eſſe in propria cauſa, cum quod quis facit per alium ipſe feciſſe videatur? Nec debeat facere per interpoſitam perſonam, quod per ſe non poteſt. Et iniqui exempli res eſt, eum dari iudicem, quem altera pars nominatim petiit, vt reſcripſit D. Adrianus teſte Calliſtrato in *l.obſeruandum, 47.D. de iudiciis.*

12. D. *Quid ſi vaſallus contumax ſit in omittenda electione, quæ ſibi competebat, & vt Prouerb. dicitur, ſi nolit arborem eligere ad ſuſpendium?*

M. Hoc demum caſu ſolus eligit dominus in pœnam videilcet contumaciæ; quæ quidem hoc caſu ſuf-

cumulare poſſum. verum ſeruandus eſt modus, ne, dum omnia ſequi conamur, nihil adſequamur, vt eleganter monet prudentiſſimus *Zaſius p.* 10. *in fin.* Ampliatur autem regula, vt pares curiæ etiam cogi poſſint ad iudicandi partes cognoſcendas. Quanquam enim quibusdam contrarium eſt viſum eos cogi non poſſe inuitos, niſi quando iam ſemel iudicandi munus receperunt. *Zaſ. p.* 11. *n.* 20. *Hart. tit.* 54. *obſeru.* 21. *n.* 8. *& obſeru.* 22. *n.* 8. vbi pro hac ſententia adlegat *gl. Iſerniam, Aluarott. Prapoſ. & alios ad tit.* 46. *libr.* 2. Et ſi iudicare velint pares eundum eſſe ad arbitrum vel iudicem ordinarium, tamen altera ſententia, mihi videtur verior, quam & Iul. Clar. ait eſſe communem, *queſt.* 9. *n.* 3. & probat *Schraderus p.* 10. *ſect.* 6. *num.* 22. *& ſeq. item ſect.* 10. *num.* 49. Nam ſicut tutela munus publicum & neceſſarium, vt audiuiſti ad *tit. De Attil. tutore*; ita & iudicandi: adeò vt quis cogi ad id poſſit *l.* 9. *ſi quis. & l. vlt. §. iudicandi, D. de muneribus & honoribus*, *l.* 13. *prætor. §. quia, D. de voc. & excuſ. muner. Nou.* 86. hoc autem ius ciuile non eſt mutatum, neque abrogatū in feudis. Quare ergo munere non cenſeatur. *arg. l. præcipimus, Cod. de adpell. & §. vlt. tit.* 1. *lib.* 2. *Feud.*

18. D. *Quis autem coget nolentes?*

M. Ipſe dominus feudi, non obſtante eo quod ſit pars. Neq; enim iam ipſe ſibi ius reddit aut in ſua cauſſa: vide *Schrader. ſect.* 12. *n.* 115. *& ſeqq.* quod ſi dominus ceſſet, iam vaſallus poteſt implorare auxilium ſuperioris aduerſus pares.

19. D. *Quibus autem remediis pares cogentur iudicare?*

M. Iiſdem ferè, quibus & tutores ad ſuſcipiendam tutelā, à qua legitimè ſe excuſare nō poſſunt, cogūtur. Reperio autem hæc ferè nouē remedia. Primum, vt pignora ab ipſis capiantur. Secundo, vt multa ipſis indicetur. Tertiò, vt banni pœnæ ſubiugentur. Quartò, vt cenſura Eccleſiaſtica feriantur, ſi nimirū is qui cogit, ſit Eccleſiaſticus iudex. Quintò, vt etiā de propria domo extracti capiantur, & carceri mancipētur. Sextò, vt miſſio ſit in poſſeſſionem bonorum. Septimò, vt bona eorū publicētur. Octauò, vt feudo priuentur. Nonò, vt cibus & potus ipſis ſubtrahatur: de quibus remediis

ordine explicat *Schraderus p.* 10. *ſect.* 10. *num.* 49. *&* 10. *ſeqq.* Poſtremum tamen ex his ita temperandum puto, ne fame quis enecetur, aut conficiatur, tum quia volens iudicare non eſt meritus pœnam capitis, & vt maximè meritus eſſet; tamen vt quis fame enecetur, pœna eſt inciuilis ac iure prohibita; cuiusmodi genera pœnarum collegit plura *Cuiac. in obſeru.* Eſt autem in arbitrio eius, qui cogere poteſt, vt ex his remediis eligat, quodcunque ipſi placuerit: & electo vno non prohibetur poſtea etiam alia adhibere aduerſus eum, qui in contumacia perſeuerauerit, *Schrader. d. ſect.* 10. *num.* 62. Quanquam enim aliàs ob vnum delictum duplici affici pœna nemo debet, vt tradit *Barthol. ad l.* 1. *D. Vi bonor. rapt. & Angel. in l. Qui ſepulchra, Cod. de ſepulchro. viol. per l. prætor,* 7. *§ ſi dicatur, D. de iniuriis, cum ſimilibus:* ne videlicet afflicto addatur adſtrictio, contra *l. Diuus,* 14. *D. De offic. præſid.* & ne de vnius hominis admiſſo ſæpius quæratur. contra *l.* 7. *§. iisdem, D. de adcuſationibus.* vnde videbatur dicendum, non niſi vnicum remedium hîc locum habere aduerſus contumacem quemlibet perſeuerantem; tamen quoties iteratur contumacia, toties nouum eſt delictum, proindeque non mirum ſi etiam noua ipſi imponatur pœna. Solet autem plerumque à leuioribus pœnis affligendis initium ſumi, indeque ad grauiores procedi, ſi non ſequatur emendatio, qui eſt finis pœnarum, vt non tantum ICti, ſed & Plato tradiderunt.

20. D. *Poſſuntnè pares curiæ ſcilicet electi vnum ex ſuo numero conſtituere iudicem feudalem, cui præ cæteris maiorem poteſtatem adtribuant?*

M. Non poſſunt, vt docet *Schrader. p.* 10. *ſect.* 10. *n.* 65. *& ſeqq.* Delegare tamen ſeu committere alteri cauſas ad ſuam cognitionem pertinentes non prohibentur, ſicut neq; vicarium conſtituere, *d. ſect.* 10. *n.* 71. *& n.* 102. quamuis ille delegatus cauſas ſibi cōmiſſas alteri ſubdelegare non poſſit, *d. loco n.* 100. *& ſeq.*

21. D. *Poſſuntne pares curiæ cauſam transmittere ad iudicium ſapientum?*

M. Poſſunt, quamuis regulariter non cogantur: qua de re multa habet *Schraderus ſect.* 14. *num.* 4. *vſque ad fin.*

ad fin. & huius ſumptibus transmiſſio fieri. vide ibidem *n.*81.*& ſeqq.*

22. D. *Debentne pares curiæ etiam ſecretarium adhibere ſeu actuarium iudicii?*

M. Debent, vt & nuncium ſiue adparitorē. *Schrad. ſect.*16.*vbi & de examinatore teſtium.*

23. *Cuius autem ſumptibus pares curiæ ad iudicandum conueniunt?*

M. Sumptibus litigantium, non propriis, vt docet *Ioan. Fichardus conſil.*18.*volum.*1. Nam & in cōmunem vtilitatem ipſorum res ea cedit. Valeat igitur regula *l. ſecundum naturam, D. de R. I. & cap. Qui ſentit. eod. tit. in ſexto.*

24. D. *Suntne aliquæ exceptiones à ſuperiore regula, & caſus quibus pares non ſint iudices?*

M. Sunt; & quidam primò pares curiæ non erunt iudices inter dominum & vaſallum ſi nulli extēt; quod per ſe ſatis manifeſtum eſt, cum non entis nullæ ſint qualitates. hoc igitur caſu ordinarius adhibetur iudex *gl. in §. pen. tit.*55.*Mynſing. cent.*6.*obſeru.*19.*Borchold. cap.*10.*n.*13.*Hartman. tit.*54.*obſeru.*21.*n.*4. vbi ait, quoſdam voluiſſe, quod tunc arbitri debeant eligi; ſed veriorem eſſe priorem ſententiam propter rationem ibidē redditam; quia iuriſdictio feudalis ſit ſuper inducta, & proinde reſtinguenda. Secunda exceptio, ſecundum aliquos eſt, niſi pares curiæ eſſent inferioris conditionis ac dignitatis quam litigantes; hos enim volunt nō poſſe iudicare de ſuperioribus. verbi gratia, Nobiles de Barone vel Comite; ſed tantum pares de paribus; omnes, inquam, eiuſdem dignitatis, aut certè non inferioris eſſe debere, vt videre eſt apud *Henningum Göden. conſ.*29.*in pr. & Modeſt. Piſtor. conſ.*59.*num.*45.*libr.*1.*vol.*1.*& Hartm. Hart. tit.*54.*obſeru.*5. Verum hæc exceptio aliis non probatur, & quidem, vt puto, rectius: nam nihil prohibet, quin etiam inferioris ordinis vaſalli iudicent de ſuperioribus. nam pares non tam dicuntur ratione eiuſdem dignitatis, quam eiuſdem fidelitatis, quam communi domino iurarunt. Non tamen nego hac in re multum valere conſuetudinem eius loci, & potiſſimum attendendam eſſe, vt & *Myn-*

ſing. videtur cent.4.obſeru.98.Borch.cap.10.num.7.Roſenthal. cap.12. concluſ.18. Tertia exceptio eſt; niſi pares curiæ ſint ſuſpecti; tunc enim recuſari poſſunt, & peti, vt alii in eorum locum ſubrogentur; vel ſi id fieri non poſſit, tum perinde erit, ac ſi nulli extarent. Vide *Hartman.d.obſeru.21.n.7.& obſeru. ſeq.num. 6.& Borch. cap.10.num.* 11. Zaſius tamen poſt *Bald. & Aluarott.* in contraria eſt ſententia; pares videlicet, non poſſe recuſari vt ſuſpectos; quia videlicet ordinaria ſit eorum iurisdictio. Ordinarius autem iure ciuili recuſari nequeat, *l.4.nemo, Cod.de iudiciis.* Tantum ſuſpectis aliquem adiungendum eſſe, ſicut interdum & tutori ſuſpecto adiungitur alius, vt audiuiſti ad *tit. Inſtitut. & eſt in l.ſi tutor.D.de ſuſpect.tut.* ita, inquam, Zaſius *p.11. de feud. numero vigeſimoquinto & ſeq.* ſed quod dicitur de iudice eum recuſari non poſſe, id, ne quis decipiatur, non vniuersè verum eſt: tantum de eo dicitur, in quem iam ſemel commiſſum eſt, & coram quo lis conteſtata. Sic enim ait *l.4. nemo poſt litem conteſtatam ſedis ordinariæ declinet examen.* Nam ante litis conteſtationem certè iudex variis ex cauſis repudiari poteſt, vt docet *Maranta par. 6. De ordin. iudic. Act. 2.numero vigeſimoquarto, & ſeqq. vſque ad* 77. Et merito quidem talis iudex recuſari poteſt, cum periculoſum ſit coram ſuſpecto iudice litigare, vt ait *Pontifex in cap. 1.cum inter, extra de except.* Vnde nequidem excõmunicato debet denegari talis recuſatio ſuſpecti: ſicut neque defenſio, quæ eſt iuris naturæ, maximeq; fauorabilis *d.c.5. & ibi Interp.* quib. adde *Specul. tit. de inquiſit.* §.5. vbi ait: *Ne Diabolo quidem ſi in iudicio eſſet, hanc denegandam eſſe.* Hic tamen cauendum, ne à ſuſpecto iudice ſtatim adpellemus, ſed tum demum, ſi recuſationi locum non dederit. Ea, inquã, non admiſſa, tunc demum eſt adpellandũ ab illo grauamine. Quem ordinẽ & quam cautionẽ rectè tradit *Hartm. lib.19.obſer.* 37. Quarta exceptio eſt, niſi pares curię teſtimonium prohibere debeant in eadẽ cauſa, in qua alioquin deeſſent probationes. Hanc tũ quoq;, quia nemo poteſt ſimul eſſe iudex & teſtis, vt ſupra dictum, & vt docet *Hartm.tit.15.de teſtibus, obſeru.1.* non ipſi, neque tamen

facul-

facultas probationum coarctari aut reſtringi debet: non ipſi, ſed ordinarius iudex erit, *Mynſing. d. obſeruat. 19. cent. 6. num. 12. Borchold. cap. 10. numero 12.* Quinta exceptio eſt, niſi vel conſtitutione ſuperioris, vel priuilegio, vel conſuetudine aliqua aliter ſit conſtitutum ac receptum; nempè, vt pares non ſint iudices, ſed ordinarii. Hoc enim caſu ſequi debemus illam conſtitutionem vel priuilegium vel conſuetudinem. *Mynſing. d. obſeru. 19. in fin. Roſenthal. cap. 12. concluſ. 42.* Sexta exceptio eſt ſecundum *Franciſc. Curtium p. 7. num. 36.* niſi vaſallus agat contra dominum indebita & inſolita ſeruitia exigentem, quo caſu vult executionem eſſe non parium curiæ, ſed poſſe vaſallum implorare auxilium ſuperiorum. De qua tamen exceptione ſubdubito, non minus quam etiam de illa, quâ nonnulli volunt, cauſas, in quibus agitur de iureiurando, non ad pares curiæ, ſed ad forum Eccleſiaſticum, adeoque ſæpè ad ipſum Papam pertinere, quod & ſupra innuebam in Camera imperii non obſeruari.

25. D. *Quid ſi dominus nolit ſtare ſententiæ à paribus curiæ contra ſe dictæ?*

M. Si ſententiam impugnet & arguat iniuſtitiæ, dicatque male eos iudicaſſe, locus erit prouocationi ad imperatorem; de quo remedio adpellationis in cauſis feudalibus, vide *§. ſancimus, in fin. libr. 1. feud. titulo vigeſimoſecundo, & verſic. His enim non cogentibus, tit. 26. eod. libr. & Hartm. tit. 19. de Adpellationibus, obſeru. 25.* Sin autem non impugnet dominus ſententiam, ſed aliter, tamen ei non pareat vaſallus, primo implorabit officium curiæ, quæ ter citabit dominum, quo non parente citationi, implorabit auxiliũ populi, vel principis, vel regis, vel imperatoris. Si ne per hos quidem ius ſuum conſequi poſſit, tunc demum poterit dominum deprædari; de quo extremo remedio ſupra quoq; dixi, & vide *§. vlt. tit. 22. lib. 2. feud. item Sonſbeccium, p. 14. n. 33.*

26. D. *Quis mandabit executioni ſententiam parium curiæ?*

M. Non ipſe dominus, quia eſt pars, & nemo ſi-

bi ipſi ius reddere debet, vt ſupra dictum, ſed ſuperior eius. Ita ex *Iſernia & Præpoſito ad titul. De controuerſia feudi, apud pares terminanda probat Hartm. d. tit. 54. obſeru. 22. n. 11.* Plurimas alias quęſtiones quę de electione parium curiæ, & officio eorum in iudicando incidere poſſunt ac ſolent, conſultò hîc præterimus; quod eas, quando vſus exigat, petere liceat, cum ab aliis, tum maximè a *Schrad. d. p.* 10. vbi etiam de aliis perſonis in iudicio interuenientibus, vt de adſeſſore, examinatore, auditore teſtium, de conſilio ſapientum, de procuratore, tutore, & curatore, quæ maxima ex parte communia ſunt iuri feudali & cum iure communi ſeu ciuili.

27. D. *Audiui de caſibus primum iis, quibus dominus ſit iudex, deinde illis, quibus pares curiæ: ſequitur vt dicas de iis quibus alii ſint iudices. Quid igitur ſi lis ſit inter dominum & vaſallum vaſalli, ſiue ſubuaſallum, vel cui vaſallus feudum vendiderit, quis, inquam, tunc iudex erit competens?*

M. Ex iuris ciuilis diſpoſitione actor ſequetur forum rei; nam de hoc caſu nihil cautum eſt iure feudali; retinemus igitur ius commune. Iure tamen canonico hoc mutatum eſt, vt ſcilicet dominus ipſe cognoſcat ſi paratus ſit cognitionem ſuſcipere. *Cont. in methodo cap.* 12. adlegans *c. ex transmiſſa, & c. verum, extra de foro compet.* vbi & hoc addit; moribus Frãcorum ſpecialiter iudicare dominum, nec vnquam ad pares curiæ cauſam agi.

28. D. *Quid ſi lis oriatur inter vaſallum & extraneum, vel inter dominum feudi, & extraneum; puta, quia extraneus ille ſeruitutem aliquam prætendit ſibiq; adſerit in feudo?*

M. Si contentio ſit inter vaſallum & extraneum, vel inter duos vaſallos, qui diuerſos proferant inueſtitores, ſeu dominos, vel denique inter dominum feudi & extraneum; ſiue hic, ſiue ille agat, vel conueniatur, nihil intereſt: non poterit iudex eſſe vel dominus vel curia, ſed ad ordinarium pertinebit cauſæ cognitio, cui videlicet reus ſubeſt, *verſ. tit. 43. libr. 2. feud. & §. ſi vaſallus de beneficio, tit. 26. & §. ſi autem inter pares, tit.*

34.lib.2.feud.& §.ſi iudex populi, verſic.ſi tres.tit. 27. *eod.* ratio eſt, quia cum hic caſus non ſit comprӕhenſus ſiue deluſus conſuetudinibus feudorum, nihilque ſuper eo mutatum iure feudali, meritò lege ſcripta ſine calumnia vti poterimus, *argum.§.ſtrenuus, titul.*1.*libr.*2. & proinde ex Reg. communi, *Actor ſequetur forum rei.* Ita rectè *gl. ad §.pen. tit.* 55. De illa autem regula: *Actor ſequitur forum rei, verſ. l.* 2. *Cod. de iurisdict. omn. iud. l. vltim. Cod. vbi in rem actio exerc. cap.* 8. *extra, de foro compet.* Hîc repetantur & alii caſus non pauci, quos ſupra ſparſim adtigimus, quibus ad ordinarium iudicem itur; puta, ſi ita ferat conſuetudo loci, vel ſtatutum vel priuilegium; ſi dominus nullos habeat pares curiӕ, vel ſi ſuſpecti ſint, & recuſati illi, quos habet; vel ſi teſtes in eadem cauſſa eſſe debeant: ſi res ſpectet ad ipſum dominum; ſi de feudo tantum permiſſo ex ſtipulatu agatur.

29. D. *Intellexi ſatis quando & apud quem fundata ſit iurisdictio in cauſis feudalibus, ſiue quis competens ſit iudex vnoquoq; caſu. proximum eſt vt doceas ordinem ſiue formam horum iudiciorum apud competentem iudicem inſtituendorum?*

M. Ordinem iudiciorum, vulgò *proceſſum* vocant, qui adcuratè deſcribitur *libr.* 2. *Decretal.* & ab iis qui peculiares libros atque tractatus de ea re fecerunt, vt ſunt *Robertus Maranta* inprimis, aliique quos recenſui ad *§.vltim.Inſtit.de ſatiſdat.* De eo igitur hanc tenebis regulam: In cauſis feudalibus ſeruari debere ritum & ordinem ſiue proceſſum iudicii, iure communi vſitatum ac receptum, niſi quatenus in iure feudorum aliquid ſingulare ac proprium fuerit introductum. quӕ regula ſumitur ex *d. verſ. ſtrenuus, tit.* 1. *libri ſecundi.* & celebratur ab omnibus interpretibus, vt *Aluarott.ad §.pen. tit.* 55. *Ardizone in ſumma feudali, titul. de contentione feudi, ſub rubrica: Qualiter in cauſis debitè procedatur, & Canoniſtis ad cap.cӕterum, extra de iudicis, Sonsbeccio par.* 14. *de feud. numero trigeſimo tertio, Gail. libr.* 2. *obſ.*156. Quӕ igitur aliorum iudiciorum ſunt partes ac veluti membra, eadem hîc quoque erunt neceſſaria; puta, in ius vocatio, ſiue ci-

Nn

ſtatio, actionis editio, ſeu libelli oblatio, litis conteſtatio, exceptiones, replicationes, & cæteræ adlegationes, probationes, diſputationes vltro citroque factæ, concluſio in cauſa, ſiue ſubmiſſio, ſententia, ſententiæ executio, niſi interpoſita ſit adpellatio, aut aliud quodpiam remedium ſententiæ ſuſpenſiuum, & impediens nē ſententia in rem iudicatam tranſeat; de quibus aliàs plenius dicendi locus dabitur. In præſentia omiſſis cæteris: tantum illa breuiſſimè commemorabo, quæ hîc ſunt ſingularia, in quibus ius feudale à communi recedit. Obſeruabis autem, plurimum in his valere conſuetudines locales. Non dicam hîc (quod primum ſingulare ponit *Borch. cap.* 10. *n.* 37. de paribus curiæ, An iurare debeant, nec ne ſe iuſtè iudicaturos; quia hanc quæſtionem iam ſupra examinauimus. Nihil etiam hîc dicam de ea quæſtione, An vaſallus dominum ſine venia impunè in ius vocare poſſit necnè (in quo ſecundum ſingulare ponit *Borchold. d. cap.* 10. *num.* 38. concludens poſſe) de hac enim etiam dixi, quod ſatis eſſet cum agerem de effectibus reuerentiæ domino à vaſallo debitæ. Sicut & illam adtigimus iam ante quæſtionem; in qua tertium & quartum ſingulare collocat *Borchold. num.* 39. *& ſeqq.* an in cauſis feudalibus prǽſtetur iuſiurandum calumniæ: audiuiſti enim ſupra id non præſtare, neq; à domino, neque à vaſallo. Et vaſallus quidem à domino non poteſt hoc iuſiurandum exigere ob eandem rationē; quia & libertus à patrono id exigere prohibetur in *l.* 84. *D. de iureiurando*; nempè, quia obſeruantia, verecūdia ſiue reuerentia obſtat, quæ non patitur ſiniſtram ſuſpicionē de calumnia eiuſmodi perſonarum concipere. Dominus autē à vaſallo idcirco non poteſt exigere; quia quod quiſq; iuris in alium ſtatuit, ipſe eodē iure vti debet: quam rationē reddit feudiſta. §. *in quib. tit.* 33. *lib.* 2. ſiue, vt alibi ait, quia dominus fideli ſuo vicem in omnibus reddere debet. §. *vlt. tit.* 6. *lib.* 2. & quia etiam aliàs in iudiciis ſeruanda eſt æqualitas, *l. fin. C. de fructibus, & litium expenſis*; quæ tamen ratio æqualitatis iure ciuili in perſona patroni locum non habet; nuſquam enim prohibitum reperitur, ne patronus à

liberto

liberto iuſiurandum iſtud exigere poſſit. Excipiunt tamen gl. & Interp. eum caſum, quo vaſallus fidelitatem nondum domino iurauit: hunc enim volunt iuſiurandum calumniæ poſſe adigi ſine recuſatione, v. *gl. Aluarott. & alios ad d. §. in quibus, tit.* 33. quo caſu etiam dominum volunt iurare oportere de calumnia, v. *Hartm. titul.* 54. *obſeru.* 45. quem ſequitur *Borchold. d. cap.* 10. *n.* 40. *in fin.*

30. D. *Sed cum iuſiurandum calumniæ duplex ſit, vetus, & nouum ſiue Iuſtinianeum, quorum illud præſtatur ab eo, qui iuſiurandum alteri in iudicio defert, & eſt ſpeciale; hoc initio litis ab vtraque parte, & eſt generaliter introductum à Iuſtiniano in l. 2. Cod. de iureiur. propter calum. quæri poſſe video, an de vtroque, atq; ita etiam de Iuſtinianeo intelligendus ſit textus in d. §. in quibus, an verò tantum in veteri?*

M. Hotom. quidem vt & Cuiac. locum eum adcipiunt tantum de veteri & ſpeciali, quam expoſitionem Giphanius quoque probat in *Tract. feud. argum. § præcedentis ſacramentum, vbi agitur de delatione iuriſiurandi*; cum qua coniunctum eſt iuſiurandum calumniæ ſpeciale. Quare cum ille §. *in quibus ex altero*, nexus ſit, de eodem quoq; eſſe intelligendum. Adcedit quod ius feudorum nunquam reperitur mutatum ius commune à Iuſtiniano conſtitutum in *d. l. 2. C. de iureiurando propter calumniam.* Sed quidquid illi dicant, communis ſchola interpp. eò abiit, vt nullum omninò iuſiurandum calumniæ, neque ſpeciale ſeu vetus, neq; generale ſeu nouum in feudalibus iudiciis locum habere velint. vide *Hartm. d. tit.* 45. Contius quoq; non diſtinguit in iam ante adlegato *cap.* 12.

31. D. *Quid ſi altera pars, puta, dominus velit præſtare hoc iuſiurandum calumniæ, cogeturne etiam altera?*

M. Poteſt quidē dominus ſi velit, vltrò iurare de calumnia, cum vnusquiſq; ſuo iuri poſſit renūciare; ſed nulla neceſſitate inde adſtringitur vaſall⁹, vt ipſe quoque idē exemplum imitetur & volens nolens de calumnia iurare debeat. Ita volunt *Bald. Aluarott. aliiq; ad tit. de cōſuetudine recti feudi*, per rationes quatuor, quas refert, & ſequitur *Iacob. de S. Georg. ſuper verb. & dicti*

vaſalli,n. 15. verum ego puto non facile aliquem vltro ſic iurare.

32. D. *An etiam inter conuaſallos de feudo litigantes iuſiurandum calumniæ ceſſat?*

M. Immò vaſallis inter ſe hoc iuſiurandũ iure feudali non eſt remiſſum. conſuetudines enim feudales cum tantum agant de domino & vaſallo, *d.* §. *in quib. tit.*33.*libri ſecundi*, ſtrictè ſunt interpretandę, *arg.l. Quod verò contrà, D.de legib.* In his igitur ſequemur ius commune, *l.* 2. *Cod.de iureiur.propter calumniam dando.* vide *Guil.Hannetonium lib.*4.*de feud.c.*3.*verſ. Quo peracto.* atque hæc de iureiurando calumniæ, ex quib. nonnulla addere licebit ex ſuperiorib. Illud quoq; iam antea adtigi, reconuentionem coram iudice feudali non habere locum de cauſis non feudalib. Quod quartũ ſingulare hîc eſſe. Hanc enim directam veriorẽ eſſe ſentẽtiam, quamuis aliis ſecus videatur, quos refert *Mynſing.cent.*4.*obſeru.*90. & *Pet. Nic. Mozz. in cap.de naturalibus feud.n.* 114.

33. D. *Eſt ne aliqua differentia etiam quoad citationem?*

M. De citatione in iudiciis feudalibus quomodo facienda ſit, prolixè commendat Accurſius ad verbum, *At ſi,tit.*22.*libr.*2. quam gl. & Zaſius commendat *p.* 11. *numero* 26. habet autem illa hoc peculiare, quod trina eſſe debeat, diſtincta, & quidem iuſtis conſtans interuallis pro arbitrio iudicis; plerumque tamen ſeptẽ vel decem dierum ſpacio ſingulis edictis interpoſito, *d.tit.* 22.*vbi gl.* & *Dd. Ant. Contius cap.*12 *in methodo feud. verſic. Dominus ſi agat,* & *Schraderus p.* 10. *ſect.*8 *n.* 85. iure ciuili ſufficit vnum pro trib. edictis. quod tamẽ in ſe eadem illa interualla cõplectatur, id eſt, triginta dieb. nõ vero anguſtiore ſpacio contineatur aut circumſcribatur, *l.*68 & *duab.ſeqq.D.de iudiciis.*

34. D. *De libelli formatione in cauſis feudalib. quid ais?*

M. Etiã hîc neceſſaria eſt libelli oblatio; huius formula varia erit, pro diuerſitate ſcilicet actionum, quas feudi nomine competere ſupra diximus. Sed hac de re quid receptum ſit, videre licẽt cũ apud alios practicos, tum apud *Ferrarienſem,* & *Iohannem Oldendorp. in claſ-*

ſib.

ſib. maximeq; *Speculatorē li.* 4. *& Ioan. Blanchum in ſumma feud. Giphan.* 4. diuerſarum actionū formulas, ſiue vt vulgò vocant, *libellandi modos* tradit; conuenienter ille quidem iuri ac mori veterum: Sed noſtri mores nimium quantū ab ea veterum breuitate receſſerūt! Metuunt videlicet noſtri homines, ne quis quo ſit breuior, eo habeatur indoctior: cum potius contra ſapientibus ſemper gratiſſima ſit breuitas: & quemadmodum illa moneta pretioſiſſima habetur, quæ in minimo pondere, & magnitudine exigua plurimū valet, ita & omnino, quæ paucis verbis plurimas res cōplectitur. Primū actionis feudariæ, ſiue vtilis rei vindicationis formulā hanc eſſe vult: *hoc prædiū iure feudi meum eſſe aio* (debet autem fieri deſignatio ipſius prædii, perinde vt in rei vindicatione conſueuit) vel hanc: *Feudum huius prædii meum eſſe aio.* Secundò, Actionis, qua dominus à vaſallo petit operas ſiue ſeruitia feudalia, formulam hāc conſtituit: *Aio Titium vaſallum ſeu hominem meum, hac vel illac operas mihi debere* (oportet autem exprimere operas plerumq; ex tenore inueſtituræ deſumptas, vel ex conſuetudine) Tertiò, Actionis præiudicialis vtilis hanc formulam tradit: *Titium vaſallum ſeu fidelem ſeu hominem meum eſſe aio.* Quartò, Actionis ingrati iſtam: *Aio Titium vaſallum meum feloniam commiſiſſe hanc vel illam.* hîc exprimēda eſt ſpecies feloniȩ ſeu ingratitudinis, quæ ad priuationem feudi ſufficiat. Quemadmodum vt qui iniuria ſe adfectum dicit, in ſpecie exprimere debet, qualem ſit paſſus, ne vocari videatur in generalitate cū periculo alienæ exiſtimationis, vt ICtus loquitur, ita hic quoq; ius eſt. Dicet igitur dominus in ſpecie, verbi gratia: Titium aio vitæ meæ inſidiatū eſſe, vel vxori, aut filiæ meæ vitium obtuliſſe, quas ſpecies ingratitudinis copioſè ſupra executi ſumus. Ad hunc igitur fere modum exemplo veterum formulas concipere licebit. arg. eorum quæ dicta ſunt ad §. Adpellamus, & §. ſic itaq;, Inſtit. de actionibus, & eorum quæ tradit Briſſ. in lib. De formulis P. R. Sed noſtris moribus quo pacto ſit libellandum à pragmaticis & formulariis, qui paſſim extent, petendum eſt.

Caput X.

De probationib. feudalibus, & quid hic peculiare ſit. Appellatio in cauſſis feudalibus ad quem fiat, deq; Executione.

1. D. *De probationibus cauſarum feudalium quid habes peculiare?*

M. In probationibus feudalibus maxima eſt & difficultas, &, vt ita dicam, ſingularitas. Nam ſi vlla in re differunt iudicia feudalia ab aliis communibus; in his certè vel maximè differunt non tantum quo ad genera probationum, verum etiam quo ad perſonas, quæ probare debeant. Principio autem illud ex iure ciuili huc adferendum eſt, probationem propriè ſic dictam ferè duplicem eſſe; vnam, quæ fiat per teſtes: alteram, quæ per ſcripturam ſeu literas, ſiue per inſtrumenta in ſpecie ſic dicta, *totis titulis D. & Cod. De Teſtibus, & de fide inſtrument.* Sunt quidem etiam alia quæ fidem faciant rei anteà dubiæ, vt confeſſio, iuſiurandum, rei euidentia, & inſpectio ocularis (Germanice der Augenſchein) *notorietas*, &c. propriè tamen dictæ probationis ſpecies iſtæ non ſunt. Deinde à probationibus diſtinguendæ ſunt præſumptiones, quæ ſunt coniecturæ quædam, quæ tametſi non probent ipſæ directò; tamen hoc efficiunt, vt onus probandi ab vno in alterum transferant. nempe ab eo, pro quo, in eum aduerſus quem militāt: de quibus prolixe explicant poſt Canoniſtas ad *tit. extra de præſumptionibus, Alciatus & Iacob. Menoch.* in peculiaribus ſuis tractatibus quos hac de re ediderunt. Tertiò & hoc notandum: A probationibus differre defenſionem, cuius genera fere iſta ſunt: Iuſiurandum, Exploratio, & Duellum, ſiue monomachia, quod & *certamen ſingulare* adpellatur. His ita in genere præmiſſis, nunc de ſingulis cognoſcamus: Et primum quidem de teſtibus: tum de probatione per inſtrumenta ſiue ſcripturam.

2. D. *Qualis hic probatio eſt per teſtes?*

M. In

M. In teſtibus feudalibus hæc potiſſimum quatuor ſpectanda ſunt. I. Sexus. II. Qualitas ſiue conditio. III. Numerus. IV. Coactio ſiue compulſio, & iuſiurandum eorundem.

3. D. *De ſexu quid ais?*

M. Iure quidem ciuili fœminæ tametſi à teſtimonio in teſtamentis perhibendis arceantur, vt audiuiſti ad *tit. Inſtit. De teſt. ord.* tamen in iudiciis teſtes eſſe non prohibentur, *l. 18. ex eo, D. de teſtib. cap. mulierem, 33. q. 5.* & vt pleriq; volunt, etiã in codicillis teſtes eſſe poſſunt, maximè ſi copia virorum haberi non poſſit, vt adnotauit ex *Spec. & Ioan. Olden. Godofredus ad d. l. 13.* At in cauſis feudalibus regulariter muliebris ſexus à teſtimonii dictione remotus eſt, *§. vlt. in verbo, præter fœminam, & ibi Aluar. Bald. & alii tit. 32. lib. 2. feud.* vbi eleganter *Cuiac.* mulieres, inquit, teſtes eſſe poſſunt, ſuperſtites eſſe non poſſunt. *Conſt. Harmenopul. lib. 1. tit. 6.* diſtinguit inter *teſtimonia commendatoria*, quæ ipſe vocat *Syſtatica*, & inter *apodictica*, ſeu *demonſtratoria*, vt ad hæc tantum, non etiam ad illa mulieres admittantur. *Apodictica* autem teſtimonia vocat cætera omnia præter teſtamentum, & codicillum, & donationem cauſa mortis. Sed quod ait Conſtantinus de codicillis, & de donatione cauſa mortis, in illis repudiari teſtimonium mulieris, id à iure ciuili alienum eſt. Ratio autem quare in cauſis feudalibus teſtimonium mulieris non ſit idoneũ, ex eo pendet, quod regulariter fœmina non eſt capax feudi, nec poteſt eſſe vaſalla, vt ſupra dictum. Teſtes autem feudales vt plurimum eſſe debent conuaſalli, ſiue pares curiæ, quatenus haberi poſſunt, vt mox dicam ex *§. teſtes verò, titulo vigeſimoſexto, libri primi, & ex §. Quod autem pares tantum, tit. vlt. libr. 2.* Hoc igitur teneatur, mares tantum regulariter hic ad teſtimonium recipi, & addatur etiam hoc pro exemplo ad *l. In multis, D. de ſtatu hominum, & ad l. 2. D. de Regulis Iuris.* Dixi, *regulariter.* Excipiunt.n. fœminas illuſtres, quæ cũ poſſint iudicare, cauſas cognoſcere, & cõdemnare, multò magis etiam ad teſtimonia adhibẽdę eſſe videtur: de qua exceptione vid. *Matth. de Afflict. ad d. t. Qui teſtes ſint ne-*

ceſſ.num. 25. *& ad tit.* 4. *libr.* 1. *Si de inueſtit. feudi controuerſ. num.* 104. *& Iohannem Sucidianum p.* 9. *de feud. cap.* 2. *num.* 20.

4. D. *De qualitate ſeu conditione teſtium quid dicis?*

M. Ad alias quidem cauſas iure communi admittuntur quilibet teſtes, etiam extranei, dummodo ſint idonei, & integræ frontis, vt patet paſſim ex ll. in *D. tit. de teſtibus.* In feudis autem regulariter oportet teſtes ſint pares curiæ ſeu conuaſalli, qui ab eodem domino feuda teneant: qua de re vide *d. tit.* 4. *& tit.* 10. *&* 11. *& titulũ vigeſimũtertiũ, cum t.* 26. *in §. teſtes verò, lib.* 1. *feud. & tit.* 2. *& tit. vlt. §.* 1. *& tit. lib.* 2. *feud.* Ratio cur pares curiæ potiſſimum hîc requirantur, mihi hæc eſſe videtur; tum quia hi optimè ſciunt res ſuorum conuaſallorum, vtpote, quorum etiam inueſtituræ adhibitæ fuerint: tum, quia inter dominum & conuaſallos ſæpè verſantur quædam arcana, quæ non expedit inter alios paſſim diuulgari. Dixi, *regulariter pares curiæ teſtes eſſe debere.* Exceptio enim eſt, niſi haberi non poſſint, & dominus non habeat alios vaſallos. quo caſu extranei quoque admittentur, ne videlicet veritas occultetur, & laboret inopiâ probationum: quæ Exceptio additur in *d. §. teſtes verò, tit.* 26. *libr.* 1. *& d titul.* 2. *libr.* 2. *& in §. Quod autem dictum eſt, titulo trigeſimotertio, de conſuetud. recti feudi. & §.* 1. *tit. vltim.* Altera Exceptio eſt, niſi pares non adfuerint tempore inueſtituræ. Tertia Exceptio, niſi iurare noluerint, aut iurati dixerint, ſe ignorare inueſtituram eſſe factam, quas Exceptiones rectè addit *Contius in c. vlt. method. feud. verſic. Aliàs ſi nullos habeat, ex tit. de contentione inter dom. feud. & vaſ.* Addit & hanc quartam & quintam Exceptionem, niſi agatur de inueſtitura à clerico facta. nam & tunc extranei teſtes admittuntur, *§. hæc omnia, d. tit.* 26. vide & *Franciſc. Sonsbeccium p.* 15. *de feud. n.* 2. *&* 7. *ſeqq.*

5. D. *Quid ſi is qui tempore inueſtituræ ex paribus curiæ fuerat, poſtea vaſallus eſſe deſierit, an à teſtimonio ob id remouebitur?*

M. Immò admittetur: Sufficit enim tempore inueſtituræ ex numero parium fuiſſe, quamuis tem-

pore

pore motæ litis non amplius ſit. hoc enim imputari non debet illi, qui eorum teſtimonio vtitur, qua de re extat *tot.tit. 19. lib. 2 feud.* vbi eleganter ait textus: *quid enim peccauit qui inueſtituram adcepit, ſi illi quos eo tempore, vtpotè idoneos adhibuit, poſteà pares eſſe deſierint?* Accurſius ibidem in gl. hanc ait eſſe rationem; quia hic non ſit modus interdicendi teſtimonium: ſignificat tamen ibidem Feudiſta de hoc articulo diuerſas fuiſſe opiniones; ſed hanc, quam modò expoſui, prævaluiſſe. Quemadmodum igitur in teſtibus teſtamento adhibitis ſpectatur illud tempus, quo teſtamentum eſt factũ, nec obeſt, quamuis poſtea tempore mortis, cum teſtamentum vires accipit, conditio teſtium mutata ſit, *l.22. Ad teſtium, §.1. D. Qui teſtam.fac. poſſ.* ita hîc quoque res habet. Qua comparatione rectè & Accurſius vtitur in *d.t.19.in gl.ad verbum,pares.*

6. D. *De numero teſtium feudalium quid ais?*

M. Diſtinguendum inter probationem inueſtituræ feudalis, & probationem ingratitudinis. Si agatur de probatione inueſtituræ, quam vaſallus factam eſſe ait, dominus negat, ſufficiunt duo teſtes. Ita diſertè ſcribunt Feudiſtæ aliquoties, vt *§ ſi quis ſe, tit. 26. libr.1.in verbo: Niſi per duos pares de domo ipſius domini probauerit, quod intendunt.* Vbi hoc notat etiam *Accurſius tit. 2.li.2. in verbo, ſaltem coràm duobus ex illis, §. 1. tit. vlt. libr. 2.in verbo, Duos teſtes idoneos.* Et hactenus quidem congruit ius feudale cum ciuili & canonico; imò etiam cum iure diuino. nam & iure ciuili & canonico vnius teſtis dictum non probat, ne quidem ſi magnæ ſit dignitatis & auctoritatis, *l.iuriſiurandi, C. de teſtibus*, ad quam l. adludit Pontifex in *c.47. licet ex quadam, extra de teſtibus, & adteſtationibus*, vſque adeò vnius teſtimonio credere peſſimi exempli eſt, vt ait & Scæuola IC. & Pontifex apud *Valerium Max. lib.* 4. nullaque eſt cauſa quæ vnius teſtimonio quaſi legitimo terminetur, *cap.23.licet vniuerſis. extra de teſtibus.* Vnde & Quintilianus in declamatione eleganter inquit; *Redeant Catones & Scipiones, vel alia quæcunq; clariſſima nomina, vnius teſtimonium nunquam habebitur pro legitimo*: Et hoc adeò verum eſt, vt ne quidem ſemiplenam probationem vel præſum-

ceſſ.num. 25. *& ad tit.* 4. *libr.* 1. *Si de inueſtit. feudi controuerſ. num.* 104. *& Iohannem Sucidianum p.* 9. *de feud. cap.* 2. *num.* 20.

4. D. *De qualitate ſeu conditione teſtium quid dicis?*

M. Ad alias quidem cauſas iure communi admittuntur quilibet teſtes, etiam extranei, dummodo ſint idonei, & integræ frontis, vt patet paſſim ex ll. in *D. tit. de teſtibus.* In feudis autem regulariter oportet teſtes ſint pares curiæ ſeu conuaſalli, qui ab eodem domino feuda teneant: qua de re vide *d. tit.* 4. *& tit.* 10. *&* 11. *& titulũ vigeſimũtertiũ, cum t.* 26. *in §. teſtes verò, lib.* 1. *feud. & tit.* 2. *& tit. vlt. §.* 1. *& tit. lib.* 2. *feud.* Ratio cur pares curiæ potiſſimum hîc requirantur, mihi hæc eſſe videtur; tum quia hi optimè ſciunt res ſuorum conuaſallorum, vtpote, quorum etiam inueſtituræ adhibitæ fuerint: tum, quia inter dominum & conuaſallos ſæpè verſantur quædam arcana, quæ non expedit inter alios paſſim diuulgari. Dixi, *regulariter pares curiæ teſtes eſſe debere.* Exceptio enim eſt, niſi haberi non poſſint, & dominus non habeat alios vaſallos. quo caſu extranei quoque admittentur, ne videlicet veritas occultetur, & laboret inopiâ probationum: quæ Exceptio additur in *d. §. teſtes verò, tit.* 26. *libr.* 1. *& d titul.* 2. *libr.* 2. *& in §. Quod autem dictum eſt, titulo trigeſimotertio, de conſuetud. recti feudi. & §.* 1. *tit. vltim.* Altera Exceptio eſt, niſi pares non adfuerint tempore inueſtituræ. Tertia Exceptio; niſi iurare noluerint, aut iurati dixerint, ſe ignorare inueſtituram eſſe factam, quas Exceptiones rectè addit *Contius in c. vlt. method. feud. verſic. Aliàs ſi nullos habeat, ex tit. de contentione inter dom. feud. & vaſ.* Addit & hanc quartam & quintam Exceptionem, niſi agatur de inueſtitura à clerico facta. nam & tunc extranei teſtes admittuntur, *§. hæc omnia, d. tit.* 26. vide & *Franciſc. Sonsbeccium p.* 15. *de feud. n.* 2. *&* 7. *ſeqq.*

5. D. *Quid ſi is qui tempore inueſtituræ ex paribus curiæ fuerat, poſtea vaſallus eſſe deſierit, an à teſtimonio ob id remouebitur?*

M. Immò admittetur: Sufficit enim tempore inueſtituræ ex numero parium fuiſſe, quamuis tempore

pore motæ litis non amplius ſit. hoc enim imputari non debet illi, qui eorum teſtimonio vtitur, qua de re extat *tot. tit. 19. lib. 2 feud.* vbi eleganter ait textus: *quid enim peccauit qui inueſtituram accepit, ſi illi quos eo tempore, vtpotè idoneos adhibuit, poſteà pares eſſe deſierint?* Accurſius ibidem in gl. hanc ait eſſe rationem; quia hic non ſit modus interdicendi teſtimonium: ſignificat tamen ibidem Feudiſta de hoc articulo diuerſas fuiſſe opiniones; ſed hanc, quam modò expoſui, prævaluiſſe. Quemadmodum igitur in teſtibus teſtamento adhibitis ſpectatur illud tempus, quo teſtamentum eſt factũ, nec obeſt, quamuis poſtea tempore mortis, cum teſtamentum vires accipit, conditio teſtium mutata ſit, *l. 22. Ad teſtium, §. 1. D. Qui teſtam. fac. poſſ.* ita hîc quoque res habet. Qua comparatione rectè & Accurſius vtitur in *d. t. 19. in gl. ad verbum, pares.*

6. D. *De numero teſtium feudalium quid ais?*

M. Diſtinguendum inter probationem inueſtituræ feudalis, & probationem ingratitudinis. Si agatur de probatione inueſtituræ, quam vaſallus factam eſſe ait, dominus negat, ſufficiunt duo teſtes. Ita diſertè ſcribunt Feudiſtæ aliquoties, vt *§ ſi quis ſe, tit. 26. libr. 1. in verbo: Niſi per duos pares de domo ipſius domini probauerit, quod intendunt.* Vbi hoc notat etiam *Accurſius tit. 2. li. 2. in verbo, ſaltem coràm duobus ex illis, §. 1. tit. vlt. libr. 2. in verbo, Duos teſtes idoneos.* Et hactenus quidem congruit ius feudale cum ciuili & canonico; imò etiam cum iure diuino. nam & iure ciuili & canonico vnius teſtis dictum non probat, ne quidem ſi magnæ ſit dignitatis & auctoritatis, *l. iuriſiurandi, C. de teſtibus*, ad quam l. adludit Pontifex in *c. 47. licet ex quadam, extra de teſtibus, & adteſtationibus*, vſque adeò vnius teſtimonio credere peſſimi exempli eſt, vt ait & Scæuola IC. & Pontifex apud *Valerium Max. lib.* 4. nullaque eſt cauſa quæ vnius teſtimonio quaſi legitimo terminetur, *cap. 23. licet vniuerſis. extra de teſtibus.* Vnde & Quintilianus in declamatione eleganter inquit; *Redeant Catones & Scipiones, vel alia quæcunq; clariſſima nomina, vnius teſtimonium nunquam habebitur pro legitimo*: Et hoc adeò verum eſt, vt ne quidem ſemiplenam probationem vel præſum-

ptionem faciat vnus teſtis; quod tamen vulgò putant, qui multa de ſemiplena probatione tradunt ad *l.* 31 *admonendi.D. de iureiurando.* Sed contrarium docet *Cuia. ad c.* 38. *Extra de teſtibus*, quamuis idem clementius ad *tit.*36.*lib.*4.*feud.* vbi ſic ſcribit: *Si quæratur, an vnus teſtis præſumptionem ſiue probationem ſemiplenam faciat, dicam huius rei diſquiſitionem totam eſſe poſitam in arbitrio & religione iudicantium.* Vnius igitur teſtis dictum, vt aiebam, nihil probat, neque ciuili neque Canonico, neque feudorum iure. A qua tamen regula excipiunt Canoniſtæ Pontificem Romanum, quaſi qui multorum inſtar eſſe debeat, *c. cum à nobis* 28. & ibi præter alios *Cuiac. extra de teſtibus & adteſtationib.* Requiruntur ad minimum duo; quia pluralis locutio duorum numero contenta eſt, *l.*12. *D. de teſtib.* quam Regulam ex iure ciuili vſurpauit & Feudiſta in *d.*§. *Quod autem pares, t. vlt. lib.*2. *& facit huc l. inter* 217. §.1. *D. de V. S.* Huc pertinet quod vulgò iactatur ex Euãgelio *Matth.*19. In ore duorum vel trium ſtat omne verbum. Quo tamen dicto abuſus eſt Pontifex Alexand. III. in *c.* 10. *ext. de Teſtam.* Et hæc de numero teſtium ad probandam inueſtituram neceſſario. Si verò agatur de probatione ingratitudinis, duo teſtes non ſufficiunt, ſed requiruntur quinque; & quidem non quilibet, ſed tantum ſummæ atq; integræ opinionis, vt diſertè ſcriptum eſt in *Conſtitutione Henrici Imp. t.*57. *lib.* 2. *feud.* cuius tam ampli numeri ratio eſt grauitas huius iudicii: quippè, vbi maius periculum eſt, ibi cautius eſt agendum, vt aliàs iura aiunt. ſic in codicillis quoque & donatione cauſa mortis & alia quauis vltima voluntate præter teſtamentũ, quinque teſtes requiruntur, *l. vlt. C. de codicillis, l. vlt. C. de don. cauſa mortis.*

7. D. *Sed quid eſt, quod alibi duodecim requiruntur ſacramentales ſiue coniuratores: Si duodecim: Non igitur ſufficiunt duo vel quinq; teſtes?*

M. Duodecim illi, qui vocantur *ſacramentales*, huc non pertinent, ſed ad defenſionẽ quæ fit per iuſiurandum: de qua nos inf. dicemus. Iam enim de probatione quærimus, à qua ſeparandã eſſe illã defenſionem ſupra monui. Nihil igitur duodenarius numerus hîc te morari debet.

8. D. *De coactione teſtium feudalium quid dicis?*

M. Vt pares curiæ compelli poſſunt ad iudicandum, de quo ſupra, vbi & remedia expoſui huius compulſionis: ita & teſtes cogi poſſunt. Sed hoc diſtinctius paulò explicandum eſt. neq; enim aut ſemper iure ciuili & in omnibus cauſis aut iure canonico cogi teſtes potuerũt. Scire igitur debes, olim in priuatis iudiciis vtramque partẽ non niſi voluntariis teſtib. vti ſolere: In publicis autẽ iudiciis ſolebant vel iudices vel accuſatores teſtimoniũ denuntiare inuitis: Excipiebantur tantũ certæ perſonæ, puta, cognati & adfines, qui lege Iulia in cognatos vel adfines inuiti ad perhibendũ teſtimoniũ nõ pertrahebantur, *l.4.8.19.D.de teſtib.* Vnde & *Quintilian. lib. 5. c. 7.* teſtes ait eſſe vel voluntarios vel neceſſarios, quib. teſtimoniũ denunciari ſoleat. Deinde à Iuſtiniano introductũ eſt in *l.16.* (quam legem ſummatim reſtituit *Cuiac.13.obſ.38.*) *& in l.ſi quando.C.de teſt. & Nou. 90.de teſtibus*, vt etiam in cauſis ciuilibus teſtimonium denuntiari poſſit inuitis, exceptis tantum iis perſonis, quas anteriores leges iam exceperant in publicis iudiciis, ſiue in capitalib. cauſis: exceptis itẽ perſonis illuſtribus, quem *rigorem iuris humani* vocat Pontifex in *c. 3. in fin. extra de teſtib. cogend. vel non.* Hæc de iure ciuili. At iure Pontificio teſtes inuiti cogi non conſueuerunt, ſed tantum admoneri & perſuaderi ipſis, ne veritati adſerendæ deeſſe velint, ne veritatẽ rei occultent: quæ admonitio & ſuaſio non eſt propria legis virtus, neq; neceſſitatem adfert ei, cui adhibetur: ſicut & conſilium ICtus ait extra neceſſitatem parendi poſitum eſſe, propria namq; legis virtus eſt imperare aut vetare, *l. legis virtus.D.de legibus*, & Ariſtoteles ait: ὁ νόμος ἀναγκαστικὴν ἔχει δύναμιν: Ius, inquit Pontifex, non cogit regulariter inuitos, ſed monet tantum vt teſtimonium perhibeant pro veritate cauſæ, vt videre eſt ex *d.t. Decretal. de teſtibus cogendis*, & ibi notauit *Cuiacius*. Excipitur vnus caſus, quo etiã iure pontificio cogi teſtes poſſunt; videl. ſi quis teſtimoniũ detrectet adeoq; cohibeatur, vel gratia vel inimicitia, odio vel metu, & aliæ ꝓbationes deficiãt. Hoc, inq̃, vnico caſu omnes teſtes etiã iure Põtificio cogi poſſunt in omnib. cauſis, tã criminali-

bus quàm ciuilibus. Nam quod quidā volunt, nunquā in criminalibus teſtes cogi poſſe, malè id colligunt ex *c.pen.extra d.tit.* vt rectiſſimè docet *Cuiac. ad rubri. d.tit.* Atque hæc in genere adhuc de teſtibus cogendis. De teſtibus autem in cauſis feudalibus compellendis, vel à Comite (id eſt à iudice) vel à populo, vel denique his ceſſantibus ab Imp. duo extant textus, vt in §. *teſtes verò, tit.26.lib.1.& verſic.qui ſi denegauerint,tit.2. lib.2.* Vterq; locus cum faciat mentionem corruptelæ, amoris, ſeu gratiæ, odii & pretii, videtur intelligendus eſſe ſecundum ius pontificium, & ſecundum illam Exceptionem, de qua paulò antè dixi.

9. D. *Quid de iureiurando teſtium deniq; dicis?*

M. Vt iudex iusiurandum quoddam præſtat de rectè iudicando, & ſecundum præſcriptum legum, de quo ſupra dixi, ita & teſtibus non iuratis fides non adhibetur. Iurisiurandi religione ârctandi adſtringendique ſunt, *l.9.C.de teſtibus.* Iurare autem debent, ſe veritatem dicturos, neq; vllo pacto celaturos. Feudiſta inquit, *compelluntur iurare, quod ex ea cauſa falſitatem non dicent, nec vera ſcientes tacebunt.* Ad quem locum notabis: In omnibus cauſis non minus delinqui ſuppreſſo vero, quàm contra verum dicto mendacio. Quò pertinet illud Auſonii in præfat. Idyllii 2. *Falſum dicere & verum tacere, eiusdem piaculi exiſtimo.* Et Lactantius lib.5. diuin.Inſtit.cap.3. *Eadem cæcitas eſt, & vero falſitatis, & mendacio veritatis nomen imponere.* Hinc eleganter Plautus in Querulo: *Peierat ſæpè qui tacet.* Tantum eſt enim tacere verum, quantum & falſum dicere. Quam in ſententiam & S. Auguſtinus ad Caſulanum: *Vterq; reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit:* quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat; quod eius dictum refert Gratianus in *Can.80. quisquis metu.11. q.3.& c.1. Extra de crim. falſi* Et Chryſoſtomus homilia 25. in Matth. *Non ſolum ille proditor eſt veritatis, qui transgrediens veritatem palam pro veritate mendacium loquitur; ſed etiam ille, qui non liberè veritatem pronuntiat, quā liberè pronuntiare oportet, aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere conuenit, proditor eſt veritatis.* Quod autem in *tit.2.lib.2.feud.* additur, *iurent tactis Sacroſanctis*

croſanctis ſcripturis: id pertinet ad ſolemnitatem iuriſiurandi; de qua alibi iam dictum, occaſione ſcilicet illorum verborum in *tit.5. eod. lib. Ego iuro ad hæc ſancta Dei Euangelia.* Quid quod & Iudæi hodieque ex *ordin. Cam. Imperial. part.1.tit.*86. iurantes iubentur dextram manũ vſque ad carpum imponere libro legis diuinæ, & quidẽ ſuper illo præcepto quod eſt, *Non adſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Longobardis etiam tactis armis ſacratis iurare ſolebant, vt ex ipſorum legibus probat *Cuiac. ad d.t.* 1. *feud.§.ſi autem controuerſia.* Iurabant etiam ſuper reliquias ſanctorum, quomodo Imp. Otto Magnus Ioanni XII. Papæ iuſiurãdum prꝫtitiſſe perhibetur per lignum viuificæ crucis, & reliquias Sanctorum, quas demonſtrabat, vel etiam tangebat, vt eſt in *c.13. Tibi domino. Diſtinct.*63 & alibi paſſim.

10. D. *Satis de probatione per teſtes dixiſſe videris. Quomodo autem fit probatio per ſcripturam in cauſis feudalibus?*

M. Diſtinguendum hic quoque eſt inter probationem inueſtituræ, aut alicuius qualitatis feudi, de quo agitur: & inter probationem feloniæ per ſcripturam faciendam.

11. D. *Quomodo inueſtitura, aut qualitas, feudi per ſcripturam probatur?*

M. Vel per inſtrumentum publicum, vel per regiſtrũ principis, quo continetur deſcriptio bonorum feudalium, Auß den Saalbüchern.

12. D. *Quale eſt inſtrumentum illud, quod vocas publicum?*

M. *Publicum inſtrumentum* nominatur initio *t. & §. ſi verò vaſallus, tit.2. lib.2. F.* & *inſtrumentum publicè confectum.* Quia adpellatione publici inſtrumenti, vel *forenſis*, (vt vocat Imp. in *l. pen. C. de fid. inſtrum.*) intelligere debemus, id quod confecit tabellio. *Nou.* 73. *vbi Cuiac.* & idem in *recitat. ad c.*10. *extrà de fid. inſtrum.* Aliàs hoc vocant, *breue teſtatum*, vt *tit.* 2. 3. 4. aliquoties *lib.1. feud. item tit.* 31. *lib.* 2. *Breue* ſic dicitur, vt alias *breue Apoſtolicum*, pro literis papalibus. Reperitur etiam *Breuis*, in genere maſculino, vt in *l.* 5. *& vlt. C. de conueniend. fiſc. debit. lib.* 10. vbi breuis quidam adſeueratur inuentus

inter chartulas confiſcati. Hinc & *breuiculũ* dictum eſt, vt in *tit. Cod. de ſententijs ex breuiculo recitandis*: quamuis Cuiac. ibi legi velit, *ex periculo*. Hinc Germanicum noſtrum Brieff/ quo literas ſiue Epiſtolas denotamus. *Teſtatum* verò pro *deſcriptione* à veteribus illis & elegantibus ICtis vſurpatur, vt *Vlpian. in l. 1. §. rectè, D. Vſufructuarius quemadmodum caue.* inquit, hæredem & legatarium, cui vſusfructus ſit relictus, debere in teſtatum redigere, qualis ſit res, cum legatarius frui incipit, vt inde adparere poſſit, an & quatenus res deterior ſit facta à legatario. Vbi, *redigere in teſtatum*, nihil aliud eſt, quàm deſcriptionem quandam (ſeu Inuentarium) earum rerum conficere. Adparet igitur, feudiſtas ſuum illud breue teſtatum hinc mutuatos eſſe. Debet autem id ſubſcriptum eſſe à duobus vel tribus teſtibus etiam extraneis, *arg. d. tit. 32.* & cæterorum locorum, quæ ſup. adlegaui, in quibus opponitur teſtimonium pariũ curiæ probationi factæ per breue teſtatum. Licet quidem ita diſtinguant, vt quo caſu dominus poſſidet feudum, requiratur ſubſcriptio parium: Quo verò vaſallus poſſidet, etiam extraneorum ſubſcriptio ſufficiat, *arg. eorũ quæ notat gl. ad init. t. 2. li. 2.* Vt autem alias *Exemplis* ſeu *copiis*, (quæ & *transſumpta* vocant) non creditur, ſed originale ipſum ſiue Authenticum inſtrumentum in iudicio producere oportet ad fidem faciendam, *l. 2. D. de fide inſtrum. l. 8. D. fam. erciſc.* cum ſimilibus locis, (niſi exemplar publica manu & iuſſu iudicis conſcriptum fuerit, cum videlicet, antiquum inſtrumentum periclitaretur, ne deficeret paulatim vetuſtate, & fugientibus literis. Nam tunc demum inde confectum inſtrumentum eandem auctoritatem obtinet cum Authentico. *c. vlt. extra de fid. inſtrum.* & adnotauit *Cuiac. ad c. 1. & 2. eod.*) ita hîc quoq; oportet originaliter produci breue teſtatum, vide *Ioſeph. Maſcard. in tract. de probat. concluſ. 941. nu. 7. & Tiber. Decian. conſil. 24. nu. 23. in 1. vol.* Illud autem vix opus eſt vt admoneam, inſtrumentum hoc feudale inter eos tantum vim probationis obtinere, quos inter confectum eſt, eorumq; hæredes; non etiam inter alios. hîc enim valet regula: *Rem inter alios actam, alijs neq; prodeſſe neq; obeſſe.* Vide *Henr. Roſenth. c. 6. n. 126.*

13. D.

13. D. *Poteſtne vaſallus à domino, aut vice verſa dominus à vaſallo cogi ad Editionem inſtrumenti feudalis?*

M. Regulariter poteſt, & tenetur tam vaſallus domino, quam dominus vaſallo petenti edere inſtrumentum feudi; immò etiam ſubvaſallus domino feudi hoc deſideranti edere debet inſtrumentum ſubfeudationis ſibi factæ, niſi longi temporis poſſeſſio interuenerit, quæ immunitatem præſtat, ne quis cogatur edere. Sed hanc rem ſupra quoq; adtigiſſe memini, cum de mutua obligatione inter vaſallum & dominum ageremus. Vide *Borch. c. 8. n. 117. cum ſeqq. & Roſ. c. 8. concl. 59. & ſeq.*

14. D. *Quomodo autem per Regiſtrum principis ſit probatio?*

M. Si oſtendatur, bona feudalia in eo deſcripta exſtare, qua de re vide *Aym. Crauettam conſ. 226. in prin. & Matth. de Afflictis in deciſ. 217. nu. 3. & Maſcard. concluſ. 768. num. 10.*

15. D. *Quomodo & quando felonia per ſcripturam probatur?*

M. Primum ſi felonia ſcripto ſit commiſſa: deinde per acta iudicialia, quæ notorium facere perhibentur: denique per inſtrumentum in iudicio productum.

16. D. *Quomodo felonia per ſcripturam committitur?*

M. Id variis modis fieri poteſt: puta, ſi vaſallus per literas amicitiam contraxerit cum inimicis domini; ſi literas diffidationis, id eſt, quibus bellum domino indiceret ſeu hoſtem eius ſe profitetur, (wann er jm Feind: oder abſags Brieffe zuſchickt) ſi iniurias graues ſcripto comprehenſas ei fecerit: ſi per literas alteri mandauerit, vt dominum læderet; ſi per literas aliquod arcanum domini manifeſtauerit alteri; ſi deniq; falſum inſtrumentum in ipſius graue præiudicium ac diſpendium, & grandem patrimonii iacturam confecerit, vel per ſe, vel per alium, &c. Hæc igitur ſcriptura aduerſus ſcriptorem in iudicio producta probationem facit: ſed oportet, vt vel agnoſcat eam reus; vel ſi diffiteatur, vt comparatione eiuſdem manus conuinci poſſit, perinde vt aliàs quoque in communibus iudiciis fieri ſolet, qua de re aliàs plenius.

Digitized by Google

17. D. *Quomodo per Acta iudiciaria ſolennia probatur?*

M. Si contumaciam admiſerit vaſallus, idque in Actis fuerit adnotatum, ſiue vt vocant, *regiſtratum*, hæc probata erit probatio; quia acta dicuntur facere ſiue inducere notorium. *Bald. in l. 1. C. Quomodo & quando iudex*, & in *l. ciues, Cod. de appellat.* vide *Bertachinum in repertorio, in verbo: Notorium cauſſatur, notorium autem probatione non eget.*

18. D. *Quomodo per inſtrumentum in iudicio productum ſit probatio?*

M. Si vaſallus inſtrumentum aliquod produxerit, ex quo aliquid contra ipſum deſumi poteſt, nam hoc quoque agnoſcere cogetur, ipſique nocebit. Quisquis enim ſcripturam aliquam pro ſe profert in iudicio, is omnia in eo comprehenſa agnoſcere & fateri videtur, ideoque pati debet, vt etiam contra ſe aduerſarius ſuus inde aliquid depromat. Iaſon poſt *gl. in l. 1. §. editiones, D. de edendo, & idem Iaſon, Bald. & Dec. ad l. 1 C. eod. l. 9. vbi gl. & Bald. C. de liber. cauſſa, c. 6. cum venerabilis, & ibi canoniſtæ. extra de Exception.* Quod idem etiam de teſtibus valet, vt ſcilicet teſtes, quos quis produxit pro ſe, non debeat contra ſe recuſare.

19. D. *Quid ſi neque teſtibus neque inſtrumentis intentionem ſuam actor implere potuerit, ſed in probatione defecerit, vt obiici ei poſſit illud Paulli, in l. 30. duo ſunt Titii, D. de teſtam. tut.* Non tibi ius, ſed probatio deficit: *abſoluendusne erit reus?*

M. Iure quidem ciuili regula eſt: Actore non probante, eum qui conuenitur (id eſt, reum) tametſi nihil ipſe præſtiterit, obtinere ſiue abſoluendum eſſe. *l. 4. qui accuſare, C. de edendo. l. 8 fruſtra, & l. 23. actor. C. de probationibus, l. 11. cogi, C. de petit. hered.* eiusque rei ratio additur in *d. l.* 4. quia neque iuris, neque æquitatis ratio permittat, vt reus cogatur actori poteſtatem facere inſpiciendorum inſtrumentorum ſuorum; atque ita quaſi tela ſubminiſtrare aduerſario, quibus ab eo iuguletur: vnde & vulgò dicitur: *Eis perire, qui ſuis armis pereat.* Indicatur & altera ratio in *d. l. 23.* quia illi qui dicit, non qui negat probatio incumbit, vt ait *Paulus in l.*

in l.2.D. de probation. cum quo conſentit *Martianus in l. 21. verius. eod. tit.* Semper, inquit, probandi neceſſitas incumbit illi, qui agit: cuius regulæ multa Exempla ſub eod.tit.& paſſim in iure adferuntur. Eſtque inter commoda poſſeſſionis vnum etiam hoc, quod quamuis poſſeſſoris res non ſit, tamen in ſuo loco remanet poſſeſſio, ſi actor non potuerit probare ſuam eſſe, *§. retinendæ. verſic. commodum. Inſtit. de interd.* Ita, inquam, iure ciuili res habet: quamuis interdum ſi ſit inopia probationum, id eſt, cum aliquatenus, ſed non tamen plenè probatum eſt, poſſit iudex velut ad ſupplementum vel reo, vel actori deferre iuſiurandum, *l.3. Cod. de rebus credit. Nou.* 124. & prolixè explicatur à Dd. ad *l. 31. admonendi. D. de iureiurando*, vbi Caius: *Solent*, inquit, *ſæpè iudices in dubijs cauſis exacto iureiurando* (intellige quod ipſi detulerunt,) *ſecundum eum iudicare, qui iurauerit.* Quod ait, *Secundum eum iudicare*, intellige, vel ſecundum actorem condemnando reum, vel ſecundum reũ abſoluendo ipſum. ſed longè aliter iure feudali obſeruatur, quo non continuo abſoluitur reus actore non probante, quin imò ſæpè aliquid amplius præſtare prius debet; hoc eſt, ſe defendere vel purgare, licèt interdum etiam hoc iure locum habeat illa regula, *l. 4. C. de edendo*, vt indicat *Feudiſta in §. ſacramentum, tit. 33. lib. 2. in verbis: Aut actore nihil probante, qui conuenitur, etiamſi nihil præſtiterit, obtinet.* Sic enim ibi legendum cum Cuiacio, deletis illis verbis [*reus tamen abſoluitur: vel*] quę imperitè ab aliquo adſuta ſunt. nam *qui conuenitur*, periphraſis eſt *rei*, vt apud Cic. *is vnde petitur*, &c. & qui abſoluitur, is certè obtinet.

20. D. *Quotuplex eſt illa defenſio, ſiue quot modis fit ea, quam dicis, purgatio?*

M. Tribus. Iureiurando: Duello: & Exploratione; quæ rurſum variis modis fieri ſolet.

21. D. *Qualis eſt purgatio ſiue defenſio per iuſiurandum ſeu Iuratoria?*

M. Hanc ius pontificum vocat, *purgationem canonicam*; quia ſcilicet à ſacris canonibus ſit adprobata. Reliqua duo genera, nempè, Duellum & Explorationem, idem ius pontificium vocat, *purgationem vulgarem*; quia

ſc. vulgus hominum, (in quo vt ait Cicero, nō eſt ratio, non eſt mens, non eſt conſilium) illam introduxit, & vſurpare conſueuit malo more, vide lib. 5. *Decretal. tit.* 34. *& ſeq.* vocantur etiā peregrina iudicia, quæ prohibitā eſſe dicuntur in *c.* 8. *ex tuarum. Ext. de purgatione canonica.* Sed de his vulgaribus purgationibus, & peregrinis iudiciis poſteà dicetur. Nunc de iuratoriâ, quæ eſt Canonica purgatio, videamus. Solet autem ea tunc adhiberi in feudis, quando agitur de feudo, & dubitatur vel de inueſtitura, vtrum ſit facta, nec ne: vel de qualitate feudi, &c. vide *libr.* 1. *feudorum, tit.* 4. *tit.* 8. *tit.* 10. *& titul. vlt. §. ſi quis verò, & libr.* 2. *feud. titul.* 25. *§. ſed ſi dominus, & titul.* 33. *§. ſacramentum, & titul.* 41. *iuncto titul.* 51. *§. ſi contentio, & alibi Borchold. cap.* 7. *de feud. num.* 53. Et iuſiurandum defert vel litigator vel iudex. Prius poteſt deferenti referri, vt ipſe potius iuret; alterum non poteſt referri, ſed ſimpliciter ſuſcipiendum eſt, *dict. §. ſacramentum & ibi Cuiacius.* quod planè congruit cum iure ciuili, quo manifeſtæ turpitudinis & confeſſionis eſſe dicitur, nolle nec iurare, nec iuſiurandum referre, *l.* 38. *manifeſtæ. D. de iureiurando*, qui locus intelligendus eſt tantum de iureiurando, quod pars parti in iudicio defert, non de eo, quod alter alteri extrà iudicium ex conuentione; non etiam de eo, quod iudex alteri in iudicio defert. Neutrum enim horum recuſari aut referri poteſt, *l.* 17. *in prin. D. de iureiurando.* Diuerſitatis cauſam indicat Cuiac. ad *c. fin. ext. De iureiur.* vbi etiam addit exceptionem à ſuperiori regula, qua dicebam, Iuſiurandum quod pars parti in iudicio defert, poſſe referri. Fallit, inquam, hæc regula in actione furti vel rerum amotarum, quæ eſt quaſi furti actio & iniuriarum, in quibus delatum ſibi iuſiurandum reus referre nequit, *l.* 11. *§. vlt. &* 2. *ll. ſeqq.* Ratio eſt, quia lex nominatim non permiſit, vt hic liceret delatū iuſiurandum referre, ſicut permiſit paciſci, & iuſiurandum deferre. *Cuiac. d. loco.* Etſi autem plerumque iudex poſſeſſori defert iuſiurandum in cauſis feudalibus, tamen hoc non eſt perpetuū. nam prout aliquid eſt quod iudicem moueat, id eſt, prout aliqua adeſt præſumptio, ita in arbitrio eius erit, vel huic vel illi iuſiurandū deferre.

ferre.

ferre. Ex quo facilè intelligis, multum hac in re poſſe auctoritatem prudentiamque iudicis, *d.§.ſacramentum*, *t.33.* quod & Accurſius rectiſſime adnotauit ad §. *ſi contentio, in verbo, diſcernere, tit.* 51. pro quo aliqui & melius quidem, vt videtur, legunt, *decernere*, quomodo etiam paulò antè ibidem legendum puto, *decernere veritatem iureiurando*, vbi vulgò, *diſcernere.* Monuit idem de iudicis poteſtate in deferendo iureiurando, etiam Cuiac. ad §. *ſi autem controuerſia, t.1.li.* 1. *feud.* Et ex eo *Borchold. d.c.7. atq; Giphan. parte vlt. tractat. feudal.* Siue autem iuſiurandum deferatur domino, ſiue vaſallo, & ſiue ab aduerſario ſiue à iudice, is cui delatum eſt iurare debet non ſolus, ſed adhibitis duodecim ſacramentalib: quorum aliqui ſunt parentes, id eſt, cognati iurantis; aliqui extranei; quod maximè propriũ eſt huius iuris valdeq; ſingulare, *d.§.ſacramentum, verſ. ſi à iudice, t.33.* quem textum *elegantem* Zaſius vocat, & *clauem controuerſiarum feudalium, p.* 11. *nu.*34. vbi tamen hanc poteſtatem iudici tum demum tribuit, quando pares ab vtraq; parte probationes ſunt allatæ. Canoniſtæ hoc vocant *duodecima manu iurare*, ſicut tertia & quarta manu, item ſeptima aut quinta manu ſui ordinis iurare, dicitur in *cap.* 5. & *cap.* 8. *Ext. de purgatione canonica*, qui mos loquendi etiam in idiomate Gallico remanſit. *Sacramentales* dicti ſunt à ſacramento, id eſt, iuramento (ſæpè enim ſacramentum, pro iureiurando vſurpatur non ſolum in C. & *Authent.* ſed etiam hoc iure Feudorum, cum alibi, tum maximè *tit. vlt. §. vlt. lib. 2. feud.* vbi dicitur; *multum diſcrepare ſacramentum hæreditarium à principali ſacramento*) & alio nomine adpellantur *coniuratores*, itemq; *purgatores*, vel *compurgatores*, vt paſſim in tit. Decretal. de purgatione canon. in textibus & Summariis videre licet. Cur autem parentes ſeu cognati adhiberi debeant, & non ſoli extranei iurent, ratio in promptu eſt; quia cognati melius ac facilius ſcire creduntur res cognatorum quàm extranei, ſicut & vicini vicinorum. Eſt tamen hac in re melior quodãmodo conditio domini quàm vaſalli: videlic. quod non præciſè dominus ſex parentes ſacramẽtales adhibere cogitur, queãdmodum vaſallus, *d. §. ſacramentum, & ibi notat Accurſius*

in gl. verb. ſi vult. Forma iſtius iuriſiurandi in ſacramentalibus hæc olim recepta fuit, vt omnes coniuratores manus ſuas imponerent ſupra capſam, & principalis omnibus ſuper imponeret ſuam manum, ac verba cæteris præiret, vt ex *Legibus Alemanicis tit. 6. probat Hotom. in Lexic. feudal. in verbo, Sacramentales.*

22. D. *Atqui de alieno facto iurare res eſt coniuncta cum periculo ancipitis periurij, arg l. videamus. D. de in litem iurando, l. 11. D. de act. rer. amot. Non videbatur igitur admittenda eſſe hæc iurandi ratio per Sacramentales?*

M. Rectè mones, & hanc obiectionem Hotom. quoque mouet *cap. 43. diſput. feud.* poſt *Accurſium ad verb. Conſcientiæ, tit. 33. lib. 2. feud. in §. ſacramentum.* Sed reſpondendum eſt, ſacramentales iſtos non tàm de alieno facto iurare, id eſt, dominum feciſſe inueſtituram vel non feciſſe, quàm de ſua conſcientiâ, vt ait textus feudalis: id eſt, omiſſa mentione credulitatis. Ratio differentiæ eſt, quia in rebus noſtris ac propriis ita certi eſſe debemus, vt nõ opinemur aut credamus, ſed ſciamus. nec in his ita probabilis eſt ignorantia, ſicut in alienis, in quibus non debemus eſſe nimis curioſi, & ſufficit opinari ſeu credere, vel non. Ita intelligendus eſt *textus in d. tit. 33. verſic. Et iurauit, cum verſic. dominus quoque.* Sic & hæredis iuſiurandum differt a iureiurando principalis ſeu anteceſſoris: cum hæredem ſufficiat iurare de ſua credulitate, quod non eſt ſatis in perſona principalis, *§. vlt. tit. vlt. lib. 2.* vbi qui adleguntur textus ex iure ciuili iis addi poteſt *l. Qui in alterius, D. de Reg. Iur.*

23. D. *Eſtne hoc perpetuum, vt tàm dominus quàm vaſallus iuret adhibitis XII. ſacramentalibus?*

M. Immò nonnunquam dominus abſoluitur iniuratus, iureiurando in totum ei remiſſo, *d. §. ſacramentum, & §. vlt. tit. 33.* Nonnunquam coniuratores ſiue ſacramentales ipſi remittuntur, & ſolius domini religioni ſtatur; nempè ſi vaſallus ſit actor ſiue Gaſtaldius eiuſdem ex cauſa alterius feudi, de quo non ſit controuerſia, & dicat, ſe inueſtituram alterius quoque feudi, quod dominus poſſidet ab eo accepiſſe, nec tamen probare poſſit, quod intendit. Hoc caſu quamuis ſtricto

iure

iure dominus idemque poſſeſſor ſe defendere deberet adhibitis XII. ſacramentalibus, tamen ex æquitate ipſi remittitur iſta neceſſitas defenſionis. Debetur enim hic honor ſeniori ſiue domino, pro quo etiam hic eſt præſumptio, ne quærendis & adhibendis ſacramentalibus ſe fatiget, vt eſt *text. in tit. 4. libr. 1. feud. & tit. 10. & tit. 26. cod. Cuiacius ad §. ſi autem controuerſia, tit. 1. libr. 1. Cont. cap. vlt. method feud. Borchol. cap. 7. nu.* 54. Notabis autem in *d. tit.* 4. inter ſe opponi hæc duo: *Ex ordine*, &, *ex æquitate*; perinde ſcilicet, vt in iure ciuili *ius ſtrictum, ius rigidum* ſiue *rigor iuris* æquitati, ſiue æquo & bono. Vt autem dominus interdum ſolus iurat, de quo iam dictum, ita & vaſallus ſine ſacramentalibus aliquando iurare poteſt, nempè quando per annum in poſſeſſione feudi fuit ſciente & patiente domino, qui poſtea negare velit, ſe vaſallum inueſtiiſſe, *§. ſi autem aliquis, tit. 26 lib. 1.* Hic igitur vaſallus ſi iurauerit ſolus, relinquetur penes ipſum poſſeſſio feudi, quemadmodum fit in cauſa interdicti, Vti poſſidetis. *Cuiac. d. loco. & Borch. n.* 54. Eſt etiam quando vaſallus cum vno vel duobus conuaſallis ſuis iurat, vt in *conſtit. Henrici II. apud Cuiac. lib. 5. feud.* nempe ſi agatur de ſeruitio aliquo, quod vaſallus ait ſe præſtitiſſe domino intra annum, domino id negante. Hotom. putat ad *d. conſtit.* tantumdem ibi valere tres pares curiæ, quantum alias XII. ſacramentales, qui non ſunt pares. Eſt deniq; caſus quo neutri defertur cōditio iuriſiurandi, ſed dominus eſt potior in lite, videlicet ſi dominus probat, ſe prædium alicui conceſſiſſe non iure feudi; ſed iure Gaſtaldiæ vel pignoris. Tunc, inquam, dominus in lite potior erit, niſi poſſeſſor contrà probet inueſtituram quæ ſecuta ſit illam Gaſtaldiæ vel pignoris conſtitutionem, vide *Cuiac. d. loco. & Ant. Cont. d. c. vlt. in fin.*

24. D. *Quid ſi neuter poſſideat, neq; actor neq; reus?*

M. Hoc caſu neuter habebit iuratoriam defenſionem: ſed quia deficit ius feudale, vtemur iure ciuili, vt ſcilicet probet is qui dicit, non qui negat, *l. 2. D. de prob. c. vlt. extra de iureiur.* vid. *Cont. d. c. vlt.*

25. D. *Eſtne talis conſuetudo iurandi adhuc in vſu?*

M. Immo receſſit hoc ab aula; neq; moribus noſtris

receptum eſt. *Zaſ. p. 11. num. 36.* cuius deſuetudinis cauſam eſſe puto; quia hîc ſubeſt anceps periculum periurii, cum quis pro alio etiam ex ſua opinione, non ex rei veritate iurat, & deuouet fiduciâ inductus nimiâ probitatis & innocentiæ alienæ, quæ, vt quotidiana teſtatur experientia, non ſemper reſpondet opinioni. Nam, vt ille ait, *Front. nulla fides.* In Dania tamen audio illum morem iurandi adhibitis X II. Coniuratorib. hodieq; durare ac frequentari, non quidem in Feudis, ſed in aliis cauſis, etiam criminalibus.

26. D. *Quid ſi non de feudo eiusq; inueſtitura & qualitate, aut etiam ſeruitiis agatur; ſed de felonia ſeu crimine infidelitatis, habetne etiam tunc locum iſta purgatio ſiue defenſio iuratoria cum duodecim ſacramentalibus, ſiue duodecima manu, vt loquuntur?*

M. Hoc caſu ſi de felonia vaſallus, vel etiam dominus incuſetur, non puto vnquam receptum fuiſſe vt per iusiurandum & ſacramentales ſe purgarent: nullum certè huius rei veſtigium aut in libris iſtis, aut in hiſtoriis extare reperio, ſed potius aliis modis purgatio fiebat, nempè, duello, ferro candente, aqua feruente aut frigida, de quib. mox dicetur. Iure tamen Canonico receptum fuit, vt etiam de criminib. ſuſpectus & diffamatus hac ratione ſe purgaret, licèt nõ ſemper 12. ſacramentalib. ſeu iuratorib. adhibitis, ſed tribus duntaxat, vel quatuor vel ſeptem, vel interdum quatuordecim, in *t. c. 10. extra, de purgat. canon.* quod vt ſupra admonui, vocabam: *Tertia, quarta, ſeptima, decimaquarta manu iurare.* Quod autem *Innocent. 3. in d. c. 10.* ait purgationem 14. manus indicendam, ſi vera eſt lectio vulgaris, mala eſt Grammatica: debuit enim dicere *purgationem 14. manuum*, vel, *purgationẽ per quatuordecim manus*, vel etiã, *purgationẽ quarta decima manus*, quo modo crediderim Põtificẽ, qui bonus fuit IC., ſcripſiſſe, & errorẽ poſtea natũ ex noſtratib. notis, quod nõ eſt infrequens. Septima quidẽ manu iurare dicitur non ſolũ *in c. 8. extrà de purgatione canon.* ſed etiam in *cap. 2. requiſiſti. 33 quæſt. 1. & cap. 33. vbi notat hoc Cuiacius. Extra de teſtibus.* Denique in *§. ſi ruſticus militem, tit. 27. lib. 2.* vbi vulgò *manu ſua*, ſed Hotom. reſtituit *manu ſeptima.*

Obſer-

Obſeruabis benè quinq; potiſſimum capita ex illo *tit. De purgatione Canonica*, ad quem ordo interpretationis nos iam deduxit, I. cap. continet aliquot Exempla, in quibus purgatio iſta admittitur; vt ſi quis inſimuletur vel infametur de homicidio, quod tamen contra eum non probatur, hîc debet iureiurando ſe purgare, *c.* 8. *d. tit.* item, ſi moniales libidinibus inſeruire adcuſentur, *cap.* 3. *eod.* item ſi quis arguatur conſenſum vel operam præbuiſſe raptoribus alienarum ſponſarum, *c.* 4. *eodem.* item ſi quis diffamatus ſit quaſi fautor & familiaris hæreticorum, *cap.* 10. *eod.* item ſi Presbyter infamatus ſit, quaſi negligens vitæ ſuæ, & prauis exemplis malè de ſe ſuſpicandi anſam hominibus præbuerit, *c.* 2. *eod.* item ſi Epiſcopus de Simonia, *c.* 5. *ordo.* Sequitur quales eſſe debeant compurgatores, de quo ait *c.* 7. debere eſſe idoneos eiuſdem honeſtatis & opinionis, vt non ſit veriſimile, eos amore vel odio, vel obtenta pecunia ſiue ſordibus peiorare velle, hoc amplius debere notam habere vitam & conuerſationem illius, quem purgare debent, ſiue pro quo iurant. Item, debere perſonas eſſe non ſolum honeſtas, ſed etiam vicinas, *d. c.* 7. & *c.* 11. *cũ dilectus, eod. t.* Tertiò notandũ eſt, quid iurare debeant compurgatores, nempè, non quidẽ de veritate, id eſt, quod verè ſit innocẽs ac purus criminis ille qui inſimulatur de eo, aut diffamatur; ſed de ſua credulitate & conſcientia, ſe videl. credere eum verè ac liquido iuraſſe, *c.* 5. *in fin. eod. t.* & *c.* 13. *de teſtib. eod.* Quartò obſeruandus eſt locus, vbi fieri debeat iſta purgatio, de quo hanc regulam tradit Innocent. III. in *d. c.* 10. *inter.* vt ibi purgetur, vbi quis infamatus eſſe noſcitur. Huius ratio eſt, vt ſcandalum, quod ibi maximè præbitum eſt, tollatur. Cui nõ eſt abſimile, quod etiam publici latrones, eo maximè loco ſupplicio adfici ſolent, vbi deliquerunt, *l.* 28. *Capitoliũ, §. famoſos, D. de pœnis.* Ratio eſt; primum, vt vbi contractum eſt crimen, ibidem etiam expietur; deinde, vt cõſpectu alii deterreantur à ſimilib. facinoribus. Deniq;, vt pœna ibidem reddita, ſolatio ſit cognatis & adfinib. interfectorum. Quintò, obſeruanda eſt pœna deficientis in purgatione, quæ eſt vt habeatur ac puniatur pro conuicto. verbi gratia; ſi diffamatus ſit Presbyter, deponatur ab officio omnique Eccleſiaſtico beneficio

priuetur. Poſtremò & VI. obſeruanda eſt Exceptio, ſiue caſus, in quibus purgatio iſta non admittatur, nempè in criminibus manifeſtis, ac notoriis: verbi gratia, ſi totus populus notoriæ viciniæ ſit teſtis, *c. pen. verſic. dicitur enim, iuncto cap. 4. eod.* Ratio Exceptionis eſt, quia ſi tunc quoque locus daretur purgationi iuratoriæ, aperiretur feneſtra periuriis. quod fieri non debet. Atque hæc velut in tranſcurſu de purgationibus criminum per iuſiurandum infamati & compurgatorum ſiue ſacramentalium.

27. D. *Poſt iuratoriam ſeu canonicam purgationem explices mihi velim reliquas ſpecies defenſionum?*

M. Fiebat innocentiæ oſtenſio vel diuino vel humano iudicio. Sic enim partitur *Imp. in §. ſi miles ruſticum, tit. 27. de pace tenenda, lib. 2. feud.* Diuinum iudicium vocabant explicationem per ferrum, inquam, vel aquam feruentem, & cæteras ſpecies, de quibus infra. Humanum iudicium adpellabant, probationem innocentiæ per pugnam, ſiue ſingulare certamen, quæ Græcis *monomachia,* & vulgariter *duellum* dicitur; ſic enim dictum locum exponit *Accurſius in gl. ad d. tit.* 27. quam tamen expoſitionem refellam infra.

28. D. *De duello quid habes dicere?*

M. De toto hoc loco ſingularis certaminis luculenter ſcripſerunt hi auctores: *A. Alciatus in lib. de ſingulari certamine. Fernand. Vaſquius lib. 1. vlt. controuerſ. cap.* 49. vbi differit, An & quatenus licitum ſit duellum. *Bernh. Saccus libr. 9. hiſtoriæ Ticinenſis, cap.* 8. 9. 10. *&* 11. *Franc. Hotom. diſput. de feud. cap.* 45. qui & *libr. 3. feud.* aliquot legibus & conſtitutionib. ponit, vt Othonis IV. ex legibus Longobardicis, *lib. 2. tit.* 84. Friderici II. ex conſtit. Neapolit. *lib. 2. tit.* 32. 33. *&* 40. Phil. Pulchri regis Gall. ex *Deciſ. Guidonis Papæ deciſ.* 67. Denique ex *Speculo Iuris Saxonici lib. 1. à titul.* 63. *Iod. Damhouderius in praxi rerum crim. cap.* 42. *& ſeqq. Petrus Martyr in Locis communibus, claſſe* 14. *loco* 18. *Angelus Matthaareus profeſſor Patauinus libr. 1. De via & ratione iuris, cap.* 32. *Franciſcus Sonſbeccius tract. de feud. num.* 75. *cum ſeqq.* vbi plures adlegat *Henricus Bocerus de iure belli ſiue pugnæ lib. 2. c. 1. & ſeqq.* Deniq; *Phil. Camerar. noſter cent. 2. med. hiſtoricarum*

Digitized by Google

ricarum cap.19.& ſeqq. vbi Exempla illuſtria huiuſmodi ſingularium certaminum hinc inde ex hiſtoriis collecta, recenſet. Hos & ſimiles auctores vbi legeris, nihil admodum deſiderabis eorum, quæ ad duelli iura pertinent. Dicenda tamen & mihi pauca hac de re exiſtimaui, & quidem per hæc 8. capita eundo. Primum, de vocabulo & origine Duelli. Secundo, de definitione. Tertio, de diuiſione. Quartò, de perſonis, quę duellum cōmittere poſſunt. Quintò, de rebus ſuper quibus Duellum cōmitti ſolitum ſit, & quæ ſint requiſita duelli ſuper cauſa criminali. Sexto, de forma ſeu modo eius committendi. Septimo, de iure ſeu effectu ſingularis certaminis. Octauo, de iis ſiue regibus ſiue Pontificibus, qui iura illa duellorum vel omninò tollere, vel certe earum licentiam coarctare & refrenare ſunt conati. In quorū capitum faciliorè tractatione plurimū me ſcriptis Bernhardi Sacci & Fr. Hotom. adiutū eſſe, libenter & ingenuè profiteor. neq;.n. turpe eſt, ſed ingenui potius animi fateri per quos proficeris, teſte Plinio. De ſingulis igitur hiſce capitib. eodem quo propoſui ordine, me interrogare poteris.

29. D. *De nomine duelli quid ais?*

M. Duellum a duobus ſiue duabus partibus factum vocabulum vet. Latinis idem prorſus valet, quod bellum, teſte *Varrone lib.6. De Lingua Latin. & S. Pomp. Feſto*, immò hoc ex illo factum eſt per contractionem, & mutationem vnius literæ. Hinc perduellis in *l. 234. Quos nos hoſtes, & ibi Alciatus aliique, D. de V.S.* Perduelles, inquit, cum quibus bellū nobis eſt. Hinc poſtea dictum eſt perduellionis crimen, eorum ſcilicet, qui hoſtile quid contra Rempubl. vel Principē moliti ſunt, quiq; hoſtili animo aduerſus Rempubl. vel Principem animati ſunt, vt explicatur ad *§.1. Inſtit. de publico iud. & in l. vlt. D. ad l. Iul. maieſtat.* hinc etiam Duellicus vt apud Lucret:

——Equorum Duellica proles,

Poſtea deprauata lingua Latina per Gotthorum & aliarum gentium in Italiam diruptiones duellum dici cœpit, quod Latini *ſingulare certamen*; Græci, vt aiebāt, ***monomachiam***, qualis in hiſtoria ſacra deſcribitur pu-

gna Dauidis contra Goliathum Philiſtęum inuſitatæ magnitudinis bellatoris, qualia itẽ non pauca in hiſtoria Romana occurrunt exempla apud Liuiũ & alios.

30. D. *Origo duelli qualis eſt, aut à quibus populis inuenta?*

M. Sicut inſtitutum ipſum feudorum eſſe Germanicum alias docui; ita duella quoq; ab iisdem crebèrrimè vſurpata, & in Italiam ac Galliam importata fuere; nam tametſi multarum etiam aliarum gentium hoc inſtitutum fuit ferro dirimere controuerſias, quæ iure & iudicii legitimo tramite componi non potuiſſent (vnde & *Cic. in lib. de offic.* duo diſceptãdi genera facit; vnum iure, alterum vi; quorum iſtud tum demum probat, cum prius illud tuum habere non potuit) Præcipuè tamen Germani iam ab antiquo hunc morem habuerunt, vt controuerſiarum diſceptationes committerent dubiæ duellorum aleæ, & incerto armorum euentui, manibus ſitam haberet ius, quemadmodum apud Heſiodum inter ferrei ſeculi homines, & qui viribus, idem etiam iure ſuperior eſſet habendus. Sic *Velleius Paterculus libr.* 2. teſtatur, Germanos, ad quos debellandos Auguſtus Quintilium Varum cum legionibus miſerat, circumueniendi ipſius cauſſa ſimulaſſe ſibi ipſius nouum inſtitutum ac diſciplinam magnopere probari, pro eoque gratias ipſi agere, quod lites & controuerſias, quas ipſi armis ex prouocatione diſcernere ſoliti eſſent, ipſi Romanâ iuſtitiâ & iure potius terminare atque decidere inciperent. Itaque & Longobardos monomachiæ conſuetudinem retinuiſſe, ſecum etiam in exteras regiones, quas armis occupârunt, intuliſſe, nihil mirum eſt. Conſuetudinis enim, præſertim inueteratæ, tyrannica quædam vis eſt, quæ difficilimè extirpatur, quantumuis fortè vitioſa ſit, cum ſit altera quodam modo natura, immò etiam ſæpè ipsâ naturâ potentior, poſteaquam vires diuturnitate acquiſiuit. Sic ergò etiam Longobardicis legibus aliquid hac de re inſerendum ſanciendumque fuit, quamuis ab inuitis eorum regibus piis ac religioſis viris, ne ſcilicet conſuetudo per ſe mala neglecta etiam peior ac diſſolutior euaderet. Tres

autem potiſſimum cauſas animaduertit *Bernhardus Saccus* introductæ ac retentæ inter Longobardos monomachiæ, primò defectum legum, quod ſcilicet iis non omnes ambigui & contentioſi caſus vel articuli comprehenderentur, ideoque ad eas controuerſias tollendas neceſſario ad manus veniendum fuiſſet, ſecundum illud vulgò iactatum, *Si non ſufficiunt iura, veniamus ad arma.* Nam feritas illius gentis in cauſſa fuit, vt omnibus aliarum nationum legibus poſthabitis, ipſi ſibi proprio iure per conſuetudinem conſtituerint, confirmata poſtea à ſuis regibus, ducibus & iudicibus, vt ſcribit idem *Saccus capite ſeptimo, libro nono.* Secundo, licentiam militarem, cui cum non potuerit omninò compeſci, aliquid indulgẽdum fuit. Non enim poterat hęc opinio prorſus euelli militaribus animis, quia putabant turpe, ignominioſum ac perniti oſum etiam alterius inſultum in alterum inſurgentis aut perfidi, aut fugere; ſed potius decorum & glorioſum inſurgentem armis repellere, eoque iure vti, quod natura omnia animalia docuit, *l. vt vim, D. de iuſt. & iur. l. 1. D. ſi quadrupes pauperiem.* Tertio concurſum, conglobationem & factiones cognatorum atq; amicorum vtriusque partis, quibus nimium adauctæ fuiſſent contentiones. Quare tolerabilius viſum fuit duob. permittere ſingulare certamen, quam plures ad eiusdem periculi ſocietatem admittere. Hãc igitur originem duella habuerunt, nimirum fere eandem cum bellis, quæ iurisgentium eſſe conſtat ex *l. 5. D. de iuſtitia & iure.*

31. D. *Duellum quomodo definitur?*

M. Pragmatici quidem vulgò ſic definiunt, quod ſit ſingularis pugna inter duos ad probationem veritatis. Item, quod ſit pugna corporalis deliberata, hinc inde duorum ad purgationem vel gloriam conſequendam, vel ad odii exaggerationem tendens. Sed *Hotoman. d. cap.* 45. hanc definitionem reprobat: eò quod non modo duorum, ſed & plurium eſſe poſſit duellũ. quare ipſe ſic potius vult definiri, quod ſit duorũ pluriũve concertatio, ea lege inſtituta, vt ex ipſius euentu de re ambigua dii iudicetur. Cõcertatio ſiue pugna

loco generis ponitur, cui differẽtiæ loco adduntur cæteræ, ea lege vt ex euentu de re ambigua diiudicetur; quibus verbis hæc ſpecies pugnæ diſcernitur à cęteris, quæ aut belli aut latrocinii, aut rixæ aut ſpectaculi tantum cauſſa inſtituuntur. Ex euentu, id eſt, prout victoria ab hac vel illa parte ſteterit; quaſi ſcilicet vix aliter fieri poſſe putandum ſit, quã vt Deus iuſtę cauſſæ patronus ac vindex ſit, eiusque victoriam largiatur, quod tamen interdum fallit, cum cõſtet aliquos etiam in cauſa iuſta ſuccumbere, occulto Dei iudicio. ſed nunquam in iuſto id permittente. Quocirca poëta:

——— *Careat ſucceſſibus opto,*

Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Cui ſimilis extat ſententia apud Diodorum Sicul. Exemplum nobiliſſimæ controuerſiæ per duellum deciſæ extat in hiſtoria Othonis Primi, ſiue Magni, cum incidiſſet quæſtio, *Vtrum nepos, vnà cum patruo ſuccederet auo, an verò à patruo excluderetur.* Et victoria ceſſit. qui nepotes ad ſucceſſionem admittebant, an inter filios computabant. Vide hiſtoricos citatos à *Cuiacio ad tit.4. lib.1. feud. & Hoto. illuſt. quæſt.3. & cap. vlt. diſputationis de feudo. Borcholdus quoque cap.7. num.*50. plura refert exempla.

32. D. *Quotuplex eſt duellum?*

M. Duplex: Aliquando enim committitur inter ipſos principales, ſiue eos, quorum intereſt, & quorum res eſt propria: aliquando inter alienos. Nam interdum poteſt quis etiam propugnatorem pro ſe dare, ſiue partes pugnandi quaſi delegare alteri mercede conducto, vel etiam gratis delecto; nimirum, ſi quis ipſe parum idoneus eſſet ad pugnam vel ætate, vel morbo, aliave imbecillitate præpeditus. Feudiſtę hunc propugnatorem vocant, *campionem*, non tàm a campo, ſiue circo decertantibus definito ac circumſepto, vt putat *Bernhard. Sactus cap.9. & Hotom. in text. feud.* quàm à Germano kempffen, quod eſt certare. poterit etiam eleganter vocari, *vicarius pugnæ*. Poteſt etiam ita diuidi duellum, vt aliud ſit inter duos, aliud inter plures vtrinq; delectos. Exempla vtriusque generis plurima videre licet apud *Hotom. & alios.*

33. D. *De perſonis duello pugnantium quid ais?*

M. Primum oportet, vt concertaturi ſint paris cõditionis ac dignitatis. verbi gratia, vt ſi vnus ſit miles, etiam alter ſit miles, non paganus: ſi vnus nobilis, etiam alter ſit eiuſdem generis, *d. tit.* 27. *lib.* 2. *feud.* Indignum enim eſſe viſum fuit, vt quis cum eo, qui diſparis ſit conditionis & dignitatis, in certamen deſcẽdat, quamuis vt aliis in rebus, ita hic quoque nemo prohibeatur ſuo iuri renuntiare, atque ita etiam ad eum ſe demittere, qui inferioris ſit ordinis. Contra eum verò aduerſarium, qui diſpar eſſet vel dignitate, vel viribus, vel ætate, vel aliis rebus licebat campionem dare, ſiue vicarium pugnæ ſubrogare, vt paulò antè dicebam. *arg. §. ſi ruſticus, tit.* 27. *lib.* 2. *& Legum Longobardi. lib.* 1. *tit.* 11. *& lib.* 2. *tit.* 54. Deinde in perſonis requiritur paritas, & ſimilitudo armorum; cuius rei æſtimatio erat penes Præfectum duelli, ſiue arbitrum. Præterea à perſonis exigebatur iuſiurandum calumniæ, quod præſtare debebant campum ingreſſi antequam pugnam incœpiſſent; nempè, quod credant ſe iuſtam fouere cauſſam, neque calumniandi animo vel aſtu, id eſt, dolo malo, ad pugnam deſcendere. Idemque iuſiurandum calumniæ etiam campiones præſtare cogebãtur, & hoc amplius quod non eſſent præuaricaturi, ſed optimo ſtudio adiuturi principales ſuos, pro quibus pugnabant. vide *tit.* 37. *libr.* 2. Conſtit. Neapolitanarũ morte multabatur, vt docet. 39. *in iiſdem conſtit.* Aliquãdo etiam cogebantur etiam pugnaturi iurare (Lõgobardicæ leges hoc vocant *extendere manum ſuam*, phraſi Biblica Hebræis vſitata, de qua eruditè monuit Ianus Druſius, poſt Robert. Stephanum in Phraſib. Hebraicis) quod nullis herbis aut aliis rebus ad maleficium ſiue incantationes pertinentibus ſeſe muniuiſſent. vt ex *tit.* 112. *De campionibus in legib. Longobardicis probat Bernhardus Saccus libr.* 9. *cap.* 10. *& Hotom. in verbo, Campio.*

34. D. *Super quibus rebus & cauſis duellum committi ſolebat?*

M. De omnibus cauſis tàm publicis, quam priuatis, tam Eccleſiaſticis, quàm laicorum litibus, tam ca-

pitalibus quàm pecuniariis, ſiue tàm criminalibus quàm ciuilibus licebat iure Longobardorum duello aduerſarium prouocare, vt docet *Hotom. in d. c. vlt. poſt Bernhard. Saccum d. lib. 9. cap. 9.* vbi in tres cauſas hæc omnia partitur. Primum, pro ſalute & fama. Secundo, pro rebus & bonis. Tertiò, pro fama tantùm; eaque vel propria vel aliena. De rebus ſiue cauſis publicis committitur duellum: verbi gratia, quandó duo reges vel imperatores de ſumma imperii inter ſe certant, ea lege, vt victus dedat victori vrbem, agrum, aras, focos, &c. Exempla vide apud *Hotoman. cap. vltim.* qui & locum ex Amphitruone Plaut. egregiè huc facientem profert. Ad publicas cauſas etiam refero crimina ſiue iudicia publica, vt læſæ maieſtatis, adulterii, homicidii, veneficii, incendii, furti, vis, &c. Priuata iudicia ſunt, vt conuicii ſeu contumeliæ, feloniæ, ſeu infidelitatis, cauſæ libertatis ſiue actio præiudicialis, item actio depoſiti abnegati, venditionis vi aut metu extortæ, debiti paterni, de re mobili vel immobili malo ordine poſſeſſa, item de nuptiis puellarum nobilium & regiarum. Et de felonia quidem duello concertari ſolere, habes *titul. 39. in fin. libr. 2. feud.* ſicut de homicidio, quod quis defenſionis ſuæ cauſa commiſiſſe ait, eſt *§. ſi quis alium, titul. 27. libr. 2. feud.* De cæteris exemplis vide ll. Longobardicas, & Conſtit. Neapolit. quas & *Bernhard. Saccus d. cap. 9. & Hotom. d. cap. vlt.* adlegāt. Quòd ſi de criminali cauſſa duellum committeretur, quatuor neceſſaria erāt requiſita, vt vocant: primum, vt certò conſtaret facinus eſſe commiſſum. Secundò, & quidē vt facinus eſſet capitale. Tertiò, vt occultū eſſet, cuius probatio nulla extaret. Quartò, vt is cui crimen obiiceretur, argueretur & vrgeretur indiciis quibuſdam ac præſumptionibus, & ſuſpicionibus, ex quibus tamen ſolis nemo condemnandus eſt. *l. vlt. C. de probat. l. Dolum, C. de dolo malo*; quæ quatuor requiſita ex edicto Philippi Pulchri collegit *Guido Papa, deciſ.* 617. & probat *Hotoman. d. cap. vltim.* vbi ipſe etiam addit, nempe, vt excipiatur furtum, de quo non debeat duellum committi. De Eccleſiaſticis litibus, quod etiam in his locum habuerit

buerit

buerit duellum, probatur per Conſtitutionẽ Othonis IV. quam conſentiente Papa promulgauit in Italiâ. In vniuerſum autem, vt legitimum ſit duellum, *Bernhard. Saccus d. loco* ponit quatuor requiſita principalia. I. cauſam idoneam, & concertatione dignam. II. Neceſſitatem & auctoritatem iudicialem. III. Impoſſibilitatem probationis & reprobationis, id eſt vt res aliter quã iſto modo probari non poſſit. Quarto permiſsionẽ conſuetudinis aut legis. Extra hos caſus & has conditiones ait nemini licere imperioſo quodã actu, & citra iudicii auctoritatẽ alterum prouocare ad certamẽ, vt hodiè malo more fit: quod etiam ſcribit improbari *Ant. Maſſæ Galeſio*, quem authorẽ mihi nondum contigit videre.

35. *D. Quid de forma ſiue modo ſingularis certaminis dicis, ſiue qualis eſt ordo pugna?*

M. Forma, modus ſiue ordo Duelli legitimi cõmittendi in his potiſsimũ nouem capitibus conſiſtit. I. Vt ante omnia à magiſtratu licentia pugnandi peteretur. II. Certamine decreto rex tempus locumq; certamini deſignabat. III. Vterq; pugnatorum dabat pignus, prouocator quidẽ prius; laceſsitus autem poſterius. Et plerumq, pignus illud erat chirotheca, quo tãquã Symbolo non ſolum fidem mutuam adſtringebant, ſed etiam de ſumptibus in eam rem factis victori reſtituendis ex bonis victi. IV. Campus in quo pugnaturi erant, funibus aut repagulis ſeu perticis aut palis, aut cancellis vndiq; includebatur, quibus tantum aditus ſpectatorũ circumſtantium, non etiam proſpectus arceretur. Addebantur etiam milites aliquot campo cuſtodiendo præfecti, qui præcauerẽt, ne quis ad pugnatores irrueret, alteriq; cõtra alterũ ferret auxilium. V. Adſciſcebat etiã ſibi vtraq; pars aliquot ſocios & amicos pugnandi peritos à quibus ante pugnã inſtruerẽtur, quo pacto ſe quiſq; tueri, & aduerſariũ facilimè lædere poſſet. Habebat etiã vterq; armigerũ ſuũ, quem *coliſtertũ* vocabãt, ſicut ſocios parentes, item patrinos & patronos. VI. Præerat duello vir aliquis primari⁹, & dignitate præſtãs, cui in cõſilio aderãt aliquot adſeſſores. VI. Arma vtrinque paria adferebãt; & quidẽ prouocator ad conditio-

nem laceſſiti, (cuius erat optio armorum) ſe adcommodare cogebatur. Nec in armis tantum eorumquè qualitate; verum etiam in cæteris rebus omnib. quantum omnino fieri poterat, æqualitati ſtudebant, adeò vt ſi quis integer cum luſco, aut manco aliquo cōgredi vellet, cogeretur prius ſibi eam partem corporis, qua ipſe aduerſarium vincebat, faſciola aut ligamento præpedire, ne videlicet vlla in re aduerſarium ſuperaret. VIII. Præſtabant pugnaturi iuſiurandum de calumnia, de quo iam ſupradictum. Sæpè etiam ſors mittebatur vter initium feriendi facere deberet. Conueniebant denique inter ſe de numero ictuũ & plagarum, quoties alter alterum ferire deberet. IX. Finis certaminis non ſemper erat mors aduerſarii; ſed fere vulnus tantum, non lætale, idque arbitrio iudicis & Adſeſſorum. Solebat autem victus manum dare victori, quo ritu profitebatur ſe ab eo victum eſſe. Nam vt vetus Poeta: *Qui vicit non eſt victor, niſi victus fatetur.* Quod ſi nondum vellent deſiſtere (vt eſt difficilè caloris impetum reprimere, & vt vulgò aiunt, plagas & verbera quaſi ad menſuram infligere) finis pugnæ etiam per præconem iuſſu magiſtratus proclamabatur; de quo toto ordine, modo, ac proceſſu duelli plura vide apud *Saccum libr.9.cap.*10. *& Hotom. d. capite vltimo*, apud quem etiam reperies leges de ſingulis ferè capitibus productas.

36. D. *Ius duelli ſiue effectus pugnæ cuiusmodi eſt?*

M. Primum reſpectu prouocati, qui pugnam detrectauit, quive conditionem pugnandi ab aduerſario oblatam adceptare noluit, ius hoc eſt, vt pro confeſſo, conuicto ac condemnato habeatur. Idem eſt ſi quis vel delata vel adceptata ſemel conditione, poſtea ad diem duello præfinitum non adfuerit. videtur enim vterque diffidere iuſtitiæ ſuæ cauſa, alioquin pugnaturus, præſidio fretus diuino & armorum; nam quod eleganter ait Ouidius de milite, idem etiam huc adcommodare poſſumus:

Frangit & attollit vires in milite cauſa:
Quæ niſi iuſta ſubeſt excutit arma pudor.

Deinde qui duello ſuperatus fuiſſet pro eo habebatur

tur ac ſi iudicialem ſententiam condemnatus excepiſſet: proindeq; ſi cauſa eſſet criminalis, eodem ſupplicii genere adficiebatur, quod leges irrogabant conuicto, & condemnato iudicialiter; verbi gratia, Amputatione dextræ manus ob crimen homicidii, vel falſi vel periurii, &c. Deniq; ſi procurator, qui alterum laceſſiuiſſet, inferior ex certamine abiiſſet, pro calumniatore, id eſt eo, qui falſum crimen alteri intentaſſet, habebatur. vide *Hotom. in diſp. de feud. cap. vlt. propè finem.*

37. D. *Quid de duelli abrogatione & deſuetudine dicis, quod erat extremum caput abs te ſupra propoſitum?*

M. Cum agnoſcerent & Longobardorũ pii religioſiq; reges, & Pontifices Rom. atq; Impp. quidã, impiũ eſſe, hanc conſuetudinẽ inter priuatos ita depugnãdi, & ambigua cauſarum fata armis decernendi, vtpote, per quã Deus tentatur (quod quę legib. ac iure diſceptarẽtur melius, ſeuerè prohibemur diuinis literis) Põtifices quidẽ planè reprobarunt duellorũ inſtitutum. Sic. n. ex *decretis Nicolai* refertur in *can. 22. monomachia. 2. q. 5.* monomachiã verò in lege non adſumimus. Vbi omiſſum puto à librario vocabulũ, *noua*, & legendum: *In lege noua, nõ adſumimus*: id eſt, in nouo teſtamẽto, vt rectè exponitur in ſummario *d. c.* quæ eſt lex gratię ſeu Euangelica, vt ſæpè *noua lex* à ſanctis patribus dicitur, pro, *Nouo teſtamẽto*; vt cum dicunt, *ſacramenta nouæ legis*. Cui oppoſita *vetus lex*, eſt vetus Teſtamentum. Sic *Celeſtinus 3. in c. 1. ext. de probatione vulgari*, reſcripſit; Duella neq; in Eccleſiaſticis poſſeſſionib. neq; in aliis caſib. vllatenus debere ſuſtineri. cuius prohibitionis duæ reddũtur rationes in ſummario *d. c.* Vna, quia Deus hoc modo tentari videatur, quæ eſt ſumpta ex *c. vlt. eod. tit. & ex d. c. monomachiã.* Altera, quia per huiuſmodi purgationem ſæpè fiat, vt condemnetur qui erat abſoluẽdus, & vt multi ſub clypeo iuſtitiæ concidant, vt dici ſolet. Exemplum recitat Innocentius III. in *c. 12. eod. tit.* Accuſati erant quidam de furti crimine, & pugnandi ſui cauſa duellum inire coacti fuerant cum accuſatore; ſed in eo certamine ſuccubuerunt; fortè quod aliis peccatis eſſent præpediti, vt maximè in præſenti cauſſa innocentes eſſent. Repertis enim poſtea

apud alios rebus furtiuis, detecta fuit ipſorum innocentia. Quo facto Papa mandauit conſulibus Spoletanis, vt ipſis reſtituerent bona vniuerſa, quib. eos tanquam furti conuictos ſpoliauerant.

Reges autem Longobardorum vt Rhotarius & Luitprandus, quamuis animũ adiecerint ad impiam hanc legẽ extirpandã abolendamq; (qua in re imitati videntur Conſtantinum Magnum, qui & gladiatoria certamina multò antè prohibuerat in *l. vnic. C. de gladiatoribus penitus tollendis*, 11. vbi *cruenta* vocat *ſpectacula*; cõtra quæ cum alii, tum Tertullianus grauiſſimè ſcribit in *lib. de ſpectaculis*) tamen cum id quod volebant obtinere ſtatim non poſſent, propter inueteratã ſcilicet conſuetudinẽ, qua ea lex corroborata erat, (difficilimè autẽ antiqua gentis conſuetudo quæ ei ſic inoleuit, vt iam quaſi in naturã verterit, funditus extirpari poteſt) id ſaltem effecerunt, vt licentiã illam pugnandi comprimerent nonnihil atque coercerent: Incerti ſumus, inquit Rex Luitprandus, de iudicio Dei, & multos audiuimus per pugnam ſine iuſta cauſa perdere cauſam ſuam. *l. 23. tit. De homicidio liberi hominis.* Idem animi fuit Imp. Friderico II. vt adparet ex his eius verbis *lib. 2. titul.* 33. Monomachiam, inquit, quæ vulgariter duellum dicitur, paucis quibuſdam caſibus exceptis, in perpetuum volumus locum non habere; quæ non tàm vera probatio, quàm diuinatio dici poteſt, quæ naturę non conſona à iure communi deuians ęquitatis rationibus non conſentit. Addit rationem: quia magna ſit inter homines diſſimilitudo atq; diuerſitas tàm corporum ac virium, quam animorum & ingeniorum, in quo alludere videtur ad *l. 31. inter artifices, D. de ſolut. & tit.* 40. vocat *conſuetudinem prauam*, & à tramite rationis cuiuslibet alienam. Idem ſenſit Philippus Pulcher Rex Galliæ, vt videre eſt ex eiusdem Conſtit. relata apud *Guid. Papa, & ab Hotom. repetita d. cap. vlt.* Prohibitionem autem iuris Canonici paſſim hodie ſequimur in bene cõſtitutis rebuspubl. vnde etiã pœnis adfici ſolẽt. qui ex prouocatione pugnarũt tam prouocati quã prouocatores (quãuis prouocantiũ deterior nonnunquã ſoleat eſſe conditio. *arg. l. 1. §. cum arietes, D. ſi quadru-*

drupes pauperiem. In multis tamen locis etiam hodie duella tolerantur, vt docet *Borch.c.7.n.51.*

38. D. *Audiui de humano iudicio ſiue purgatione per duellum. Tempus eſt dicere de diuino iudicio, id eſt, de exploratione eiusq; ſpeciebus: & quid de his ſit ſentiendum?*

M. Ita quidem ſupra dixi, humanum iudicium interpretari Accurſium, atq; diſtinguere à diuino, ad §. *ſi miles ruſticum, tit.27.lib.2.* Sed diſſimulare non debeo, diuerſos ab hoc abire & *Hoto. & Cuiac.* qui per humanum iudicium intelligunt teſtimonia legitima in iudicio producta; diuini autem iudicii adpellatione tam duellum quàm explorationes illas, de quibus iam dicam, cõprehendunt: quæ ſanè expoſitio mihi quoque probabilior videtur. *arg.can pen.cauſa 2.quæſt.5. in verbis: orant ſibi concedi, vt alter illorum vtrosq; diuino purget iudicio:* qui certè locus intelligendus videtur de duello. Sequitur enim ſi vnus in hoc ceciderit. Verum ad propoſitum. Explorationis igitur ſiue violẽtæ, & quaſi per tormenta expreſſæ probationis genera fere ſex enumerari poſſunt: 1, Per flammam. 2, per crucem. 3, per ferrum candens, puta vomeres ignitos aut chirothecas ferreas candentes. 4, Per aquam feruẽtem vel etiam congelidam. 5, Per ſortes. 6, Per corpus & ſanguinem domini, ſiue ſacram hoſtiam, de quib. omnib. diligentiſſime expoſuit *Hoto.cap.44.diſput. de feud.* vbi ſingulas ſpecies ſuis auctoritatibus, & exemplis hiſtoricis copioſè illuſtrauit. Quædam etiam, ſed protinus adtingit *Cuiac.ad §.ſi autem controuerſia, tit. 1.lib.1.feud.* vocat autem Hotom. furioſas huiusmodi omnes explorationes, quæ olim à ſimplici vulgo dici conſueuerunt leges paribiles, teſte *Frid. I. lib. 2. tit. 32.* quaſi dicas manifeſtorias & adparentes, vt per quas veritas, quæ in profundo anteà latebat, pareat, & in apricum proferatur. Deo nimirum quaſi per miraculum eam reuelante: nam ſi quis inlæſus atque innoxius abiiſſet, pro innocente dimittebatur; ſin læſus eſſet, puta, à flamma aut ferro candente, aut aqua feruente aduſtus, aut ſacra hoſtia in corpus adſumpta extinctus aut ſuffocatus, habebatur pro conuicto & cõdemnato. Priusquam autem ad rem accederetur, offerre ſolebãt

adcuſatos ſacerdoti, cuius interuentu omnia gerebãtur. Is enim conceptis verbis formulas precum præibat, quibus vel ferrum vel aquam vel hoſtiam conſecrabat diuino numine adorato, vt ſeruaret innocentes, malè autem perderet nocentes. Quas formulas precum & deuotionis recitat *Ioan. Auentinus libr.* 4. *Annal.Bauar.& ex eo Hotom.d. cap.* 44. Sic & in l. Moſaica erant aquæ maledictionis, quas mulier à marito inſimulata adulterii expetebat, eæque innocentem quidem nullo damno afficiebant, pollutam autem & ream ita pertranſibant, vt ventrem ei inflarent, eiusque femur computreſcere facerent, vt eſt *Numer. cap.*5. & refertur à Gratiano in *cap.* 21. *d. cauſſa & quæſtione.* Vnde Chriſtiani ſuum illum morem duxiſſe videntur, argumento neſcio an bono inquit Cuiac. *ad d.lib.*1.*tit.*1.quomodo & alia multa per quãdam Cacozeliam Iudaicam vſurpata,& in Chriſtianiſmum recepta eſſe liquet. In primisq; ſeptẽtrionales populi quidã maxime huiusmodi reb.dediti fuerunt, ſicut de Liuonibus teſtatur *c. vlt. extra de purgatione vulg.* in quo Pontifex Honorius III.improbat morẽ illum magiſtratuum, quo ſolebant de crimine aliquo infamatos cõpellere ad ſubeundũ iudicium ferri candẽtis, & adustis tanquã reis ciuilẽ quandã pœnam infligere.ſic & hodie in Saxonia occidentali,quæ eſt Weſtphalia mos ille viget,vt ſagas in flumen cõiiciant vinctas, atq; ita explorãt ſint ne noxiæ an inſontes, qua de re extãt ſuperiorũ annorum diſputationes, Ioannis Euuichii, Herman.Neuvvaldi Medicorũ; Ioannis itẽ Bodini, & Ioan.Georgii Gõdelmanni ICtorũ.Sed recte de huiusmodi probationib. cenſuerunt ſacri canones eſſe populares inuẽtiones ſuperſtitioſa adinuẽtione cõfictas fabricãte inuidia,i.Diabolo:quas qui ſectẽtur,ii nihil aliud quã Deũ tentare videatur,*c.7.Mennã,& c.20.cõſuluiſti,& c.22.monomachiã,2.q.5.& d.c.vlt.extra de purgatione canonica*: ideoq; & noſtris moribus nõ amplius frequentantur. In primis autẽ horrenda fuit profanatio & abominandus abuſus cœnæ Domini, quod rem ad ſalutẽ hominum inſtitutã,in execrationẽ ac perniciem quodammodo conuerterunt. Et tamen etiam

canon

Canon Concilii Wormacienſis hanc rationem purgandi per corpus domini non modò probauit, ſed etiam præcepit, vt furto facto in monaſterio fratris ſeu monachi ſui expurgandi cauſa communicarent in vlt. miſſa in hæc verba: *Corpus domini ſit mihi ad probationem hodiè*, vt refertur in *c.* 23.*ſæpè. d.cauſa & q.* Sic Papa Gregorius VII.cum ei controuerſiæ grauiſſimæ intercederent cum Imperatore Henrico IV. primum quidē ſacramentum corporis Domini in ignem coniecit, ac reſponſa diuina contra ipſum quæſiuit, teſte Benone Cardinali, qui vitam eius deſcripſit. Deinde cum Imp. Romam veniſſet ſui purgandi cauſa, Papa miſſam celebrauit, fractæq; ſacræ hoſtiæ partem vnam ipſe adcepit ac comedit, alteram Imperatori ſumēdam obtulit, vt nimirum Deo teſte ipſius innocentia comprobata, os obſtrueretur iis,qui falſa de eo detuliſſent, vt ſcribit *Lambertus Schafnaburgenſis*.Et quam horribilia ſunt illa diræ imprecationis verba,quæ ex Chronicis *Ioh.Trithemij c.*15.recitat Hotom. *Si aliter eſt, quam dixi, corpus non pertranſeat corpus meum ,ſed hæreat in faucibus meis, ſtrangulet & ſuffocet me.* Ex quo improbo certo more adhuc ſæpè audies reliquias quaſdam in ſermonibus vulgi, ſeipſum execrantis impiiſſimis, Paratus ſum ſumere ſacramentum ni res ita habeat. Non ſatis igitur ſibi conſtitiſſe videntur Pontificii in hac poſtrema explorationis ſpecie:nam ſi ea vulgaris eſt, ſi populari & ſuperſtitioſæ adinuentioni adſcribenda, ſi deniq; eſt ex earum numero, quæ fabricante inuidia Diaboli ſc.fractæ ſunt. Quare & concilium Wormacienſe ſuo decreto & Gregor.VII.ſuo ipſius facto eam adprobauit,& vt vulgari verbo vtar, *canoniſauit*. Aut quæ poterit reddi ratio diuerſitatis, cur canonica & licita ſit hæc purgatio in Pontifice & Imperatore,nec non in perſonis monachorum,quibus *d.c.ſæpè* 23.eam concedit, eadem verò ſit vulgaris ac prohibita in perſonis laicorū, & quomodo vnum idemq; factum in his quidem contineat tentationem Dei, in illis verò non contineat. An non meminiſſe oportuit, quod in vulgus manent exempla regentum, quod principum mores imitetur tota ciuitas ac regio; immò quod ad exemplum regis totus or-

bis componatur. Sed hæc pluribus exagitari non eſt nobis propoſitum, quæ ſeipſa ſatis refellunt ac euertant. Quare à probationibus & defenſionibus, de quib. huc vsq; diximus, ad alia transeamus. Quanquam autẽ multa adhuc dici poſſunt de præſumptionibus feudalibus, tamẽ hunc locum prolixius perſequi iam ſuperſedebimus, tum quod non pauca de his iam ſup. ſparſim attigerimus, tum quod hoc argumentum poſt Menochium *li.3.de præſumptionib.* aliosq; diligenter tractauit *Ioan. Schöner. li.2. Diſp. feud. Diſp.3.à.n.57.vſq; ad* 100. qui cum in multorum manibus ſit, cætera ab eo peti poterunt; v.g. An & quando, & quibus argumentis res præſumatur potius eſſe feudalis, quam allodialis, vt alias regulariter ſolet: item quod præſumatur potius feudum proprium quam improprium; rectum quã degenerans; antiquum, quam nouum; ex pacto & prouidentia, quam hereditarium.

39. D. *Probationes feudales quid ſequitur?*

M. Probationibus factis & diſputationibus hinc inde deſuper habitis, cauſaq; cognita à competente iudice, proximum eſt, vt feratur ſententia per quam cõtrouerſia feudalis decidatur. Quæ erit vel abſolutoria, vel condemnatoria, vt etiam iure ciuili ſolet, *l.1. D. de re iud.* vel denique declaratoria, ſecundum ea quæ ſupra dicta ſunt in cauſis amittendi feudi. Quod autem ſententia, quam vaſallus reportauit, etiam aliis, vt domino feudi vel profit vel noceat ſecus quàm iure ciuili ſupra iam audiuiſti, cum de facultate compromittendi litigandique vaſallo competente ageremus.

Sententiæ promulgationem niſi ea fuerit ſuſpenſa per adpellationẽ aliave ſimilia remedia, vt per reuiſionem, per querelam nullitatis, per reſtitutionem in integrum, per ſupplicationem, & Iure Saxonico per Leuterationem, &c. ſequi debet executio.

Adpellatio regulariter, perinde vt iure ciuili, intra decem dies (vulgò *decendium*) fieri debet, vt poſt alios docet *Iul. Clar. q.91. Mynſing. cent.5. obſ.5. Hart. in tit. De Appellat. obſ.* 25. Alioquin ſententia tranſibit in rem iudicatam. Dixi, *regulariter*. Nam excipiuntur feuda regalia, in quibus adpellationi ad Imperatorem faciendæ

ſex

ſex hebdomadæ ſunt præfixæ, §. *fin. vbi gl. Schenck. & alij r. Quo tempore miles inueſtituram petere debet.*

Executio in cauſis feudalibus à quo iudice, & quomodo facienda ſit, vide apud *Ioan. Schöner. d. loco nu.* 128. *cum ſeqq.* qui etiam de contumacia tàm vera quam præſumpta quædam vtiliter adfert.

Traditis hactenus Partitionibus iuris feudalis, poteramus quidem adhuc nonnulla adiicere de Regalibus, quorum in communi vſu vita, & in materia feudali plurima ſit mentio. Verùm ne nimis longè euagemur, & diutius quàm par eſt à profeſſione iuris ciuilis abſimus, eam tractationem REGALIVM *in præſentiarum omittemus, cum præſertim ſatis accurata & copioſa eorum explicatio ab aliis tradita, ſit in manibus ſtudioſorum Iuris: in primis autem* Ioan. Borcholdo & Frid. Bruckmanno *: ad quorum vtiliſſimos in hoc genere labores nunc ſufficiat remiſiſſe.*

FINIS PARTITIONVM IVRIS FEVDALIS.

Digitized by Google

by Google